

Acta eruditorum Lipsiensia, anno 1682 à 1776

UNIVERSITEITSBIBLIOTHEEK GENT

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

NOVA ACTA ERUDITORUM

AD ANNOS

MDCCLXIV et MDCCLXV.

publicata.

Cum Sereniſſimi Electoris Saxoniae Privilegio.

LIPSIAE

Proſtant apud IO. FRID. GLEDITSCHII et LANCKISII heredes.

Vendantur etiam Romae apud PAGLIARINOS: Venetiis apud IO. BAPT. ALBRIZZIUM: Bononiae apud LAELIUM della VOLPE: Pariſiis apud BRIASSONUM: Ultraiecti apud IO. BROEDELETUM: Lugduni Batavorum apud SAM. et IOH. LUCHTMANSIOS: et Amſtelodami in SCHREUDERI et MORTIERII iunior. officinis.

MDCCLXVII.

Digitized by Google

Digitized by Google

LECTURIS
SALUTEM.

Etsi eam Vobiscum a tot annis familiaritatem contraximus, ut neque commendatione aliqua laboris nostri apud Vos opus esse videatur, neque excusatione vel defensione; cum et consilium huius operis, et quae illud vel adiuvare possint, vel remorari, Vobis omnium maxime perspecta sint: tamen huic quoque Volumini nonnihil praefandum duximus. Ac primum quidem fatemur, tardius illud quam expectatio Vestra fert, publicari; sed iidem tamen operam dabimus, ut quae sequentur Volumina, suo magis, hoc est iusto et maturo tempore, prodeant. Nam id ipsum, quod biennium uno Volumine exhibemus, propterea factum est, ut redeamus in viam, et altero biennii Volumine, quod Annos LXVI. et LXVII. complectetur, et in quo excudendo fervent operae, intra aliquot menses edito, annus novus LXVIII. eo ordine prodeat, quem olim

Eru-

Digitized by Google

Eruditorum Actorum collectores ſervare conſueverunt. De libris porro paucis hoc Volumine retulimus; ſed in his ſunt ii, qui multorum aliorum vicem praeſtare poſſint, de quibus adeo copioſe et accurate dicendum nobis erat; ut Picturae Herculanenſes, ut WINCKELMANNI, FEBRONII, LAMBERTI, MORGAGNI, et his ſimilium Libri, aut Exercitationes praeclarae. Ceterum bene de his Actis merebitur humanitas et benevolentia Veſtra, ſi libros qui in Gallia, Anglia, Italia, inter Batavos denique, et ubicunque literis honos habetur, publicantur, ad nos quemadmodum commodum fuerit, miſeritis. In nobis neque diligentiam, neque fidem et candorem, in primisque aequitatem in laudandis virorum doctorum ſtudiis, unquam deſiderabitis. Quid? quod ipſi intelligitis, ad ornandum hoc opus, per annos iam octoginta quatuor, non levi eruditorum hominum per Europam commodo, propagatum, tanto plura conferri a nobis poſſe, quanto maior eſt eorum, qui illi favent, in offerendis ſubſidiis, comitas. Hoc igitur literarum cauſa agite. Valete.

Digitized by Google

NOVA ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipſiæ

Calendis Ianuarii et Februarii Anno MDCCLXIV.

IUSTINI FEBRONII, ICti, DE STATU ECCLESIAE et legitima poteſtate Romani Pontificis Liber ſingularis, adreuniendos diſſidentes in religione Chriſtianos compoſitus.

Bullioni, 1763. 1 Alph. 4 pl. in 4to.

Inſigne prorſus, ac memoratu digniſſimum eſt, quod hic opus indicamus, non ſolum ob egregiam atque diffuſam doctrinam qua eſt refertum, ſed etiam, atque inprimis, ob novum ac laudabile Auctoris conſilium. Ab ipſis ſane Lutheri temporibus nemo extitit, qui, in medio quaſi coetus Romani gremio, contra abominandos illius abuſus, et vanam Pontificis poteſtatem, tam intelligenter, cum tanto lectionis et doctrinae adparatu, tam denique fortiter diſputarit, quam hic perſonatus Febronius; quam larvam eſſe Conſultiſſimi *D. Georgii Chriſtophori Nelleri*, SS. Canonum in Academia Trevirenſi Profeſſoris, qui iam aliis libris ad rem numariam medii aevi potiſſimum pertinentibus magnam famam, magno ſuo merito conſecutus eſt, comperimus. Hic enim vir incomparabilis totus eſt in eo, ut cauſas, originem, et incrementa iniuſtae poteſtatis pontificiae declaret, eam arctioribus limitibus includat, adeoque viam monſtret ad reconciliandos cum ſua eccleſia eos, qui diſſentiunt; quod, diminuta paullulum,

hac potestate facilius obtineri posse putat, quamvis multum adhuc tribuat Pontifici, quod nemo nostrum ei non negabit, ut ex ipsa operis delineatione, quam nunc dabimus, manifestum fiet. Praemissa est epistola ad Pontificem, reges, et principes Christianos, Episcopos, Doctores denique Theologos ac Iuris Canonici, qua singulos monet Auctor, quo animo ad hunc librum legendum accedere debeant, et quomodo de eius consilio iudicare. Ipsum opus, iusto profecto ordine concinnatum, novem constat capitibus. In primo agitur de exteriore forma regiminis, quam in sua Ecclesia Christus Dominus instituit. Inquirit hic potissimum in veritatem argumentorum, quibus vulgo statum ecclesiae monarchicum firmare studeant; quorum duo sint genera, loca nonnulla Scripturae S. male intellecta, inprimis Matth. XVI, 18. et Ioh. XXI. et traditiones. Illa quidem non ad Petrum solum, sed ad omnes ministros ecclesiae pertinere, ex mente Christi, et ipsa adeo quorundam Patrum atque Episcoporum primorum temporum sententia, demonstrat. Hanc vero non tam ex nudis quorundam scriptorum verbis, quam potius ex diuturno et constanti multorum seculorum usu, arcessendam statuit; quamquam ne hoc quidem aliquis nostrum ipsi concedat (§. I-IV.). Ostendit potius, formam ecclesiae non esse monarchicam, ex ipsa Christi intentione, qui potestatem clavium univresae dedit ecclesiae, quam haec per ministros suos exercet, in quibus primarium ponit Pontificem; (quae tamen quaestio singularem meretur tractationem, ad infringendam falsam auctoris de primatu Petri, et huius imagine, ut fertur, Pontifice, opinionem,) licet ipsi universitati subordinatum haud neget, (§. V. VI.). Gaudebant igitur omnes Apostoli aequali potestate ecclesiastica, ut docent partim ea, quae gesta sunt in Synodo Hierosolymitana, partim disciplina primitivae ecclesiae, cum sub Apostolis, tum sub Episcopis, qui in illorum locum proxime successerint (§. VII.). Quid? in Tridentino Concilio inprimis de forma ecclesiae monarchica quaesitum fuit, neque pro Pontificis caussa sententia lata (§. VIII). Quae omnia satis comprobant, regi hodieque ecclesiam

cleſiam externo Chriſti auxilio, et ab eius demum directione pendere, quod eccleſia falli non poſſe dicatur (§. IX.). Certe vulgaris doctrina de facultate Pontificis, qua falli non poſſe creditur, neque ab omnibus, qui profitentur ſacra pontificia, agnoſcitur, neque in rerum uſu ullam habet utilitatem (§. X.). Alterum iam caput Primatum in eccleſia, eiusque iure, deſcribit. *Etſi hic monarchiae expertem eſſe eccleſiam*, auctor concedat, tamen primatum in ea obtinere firmiter ſibi perſuaſit. Putat enim, multum intereſſe eccleſiae, ut primus aliquis ſit inter Epiſcopos, *qui*, ut ait ipſe, *bono communi principaliter intentus, continuo invigilet, ut arceantur profanae novitates, et diſciplina eccleſiaſtica ſervetur integra.* Quam quidem ſententiam iis codicis ſacri locis, ubi Petrus *primus Apoſtolorum* vocatur, nec non Patrum traditione, ſtudet corroborare (§. I.). Cauſſam igitur ac fundamentum huius dignitatis in unitate eccleſiae conſervanda ponit (§. II.), ob quam Chriſtus eam Petro dederit, licet Servator ſucceſſores eius futuros haud definiverit, quorum deſignationem partim ab ipſius Petri, partim ab eccleſiae voluntate, quae Romanum Epiſcopum elegerit primarium, pependiſſe aſſerit; adeoque huius auctoritate primatum et ad aliam ſedem transferri poſſe (§. III.). Naturam autem et iura ipſa huius officii expoſiturus, hanc conſtituit regulam: *Omnia illa et ſola eſſe primogenita et eſſentialia iura Primatus, ſine quibus unitas non poteſt ſervari.* Inde concludit, Primatum non in ſola directione conſiſtere, verum etiam aliquid coactionis in ſe continere (§. IV.); eccleſiam, cui Primatus annectitur, fieri centrum unitatis omnium eccleſiarum particularium, nihilo tamen ſecius ab eccleſia Romana recedi, et ad generale Concilium recurri poſſe (§. V.); ea quae ad eccleſiae ſtatum attinent ubicunque gerantur, ad Romanum Pontificem referenda eſſe, ut is officio ſuo perfungi queat (§. VI.); eundem eſſe tutorem ac vindicem canonum per univerſam eccleſiam (§. VII.), et gaudere iure, leges univerſae eccleſiae nomine proponendi (§. VIII.), et cavendi, ne quid novi invaleſcat (§. IX.), atque ut officio ſuo ſatisfaciat, legatos ad

omnes ecclesias mittere posse (§. X.); neque tamen hunc principatum esse iurisdictionis, sed ordinis, societatis, et auctoritatis (§. XI.). Atque haec sunt genuina, (ita enim sentit auctor,) veteris Primatus iura, qualis per priora octo secula obtinuerit, (§. XII.) ut ex ipsis actis Conciliorum illorum temporum admodum docte hic demonstratum est. Nunc, quomodo iniuria crescere coeperit Primatus, sequenti capite exponitur. Cum officium Episcoporum quasi commune esset, ita ut Episcopi fines suae provinciae tum possent excedere, cum in aliena dioecesi religioni periculum immineret, et huius quoque curam gerere (§. I.), idque interdum etiam a Pontifice Romano, factum esset, male hoc pro iure Pontifici soli proprio venditatum fuit (§. II.). Deinde Praesules Romani multa ex potestate perperam sibi arrogata, aut ex singulari privilegio, vel pacto, in alienis dioecesibus, citra canonum placita egerunt, quae tamen ad exemplum trahi non debent, et quorum diiudicandorum *normam*, ut egregie clarissimus auctor, *non a factis, sed iure sumamus*, necesse est. (§. III.) Porro antiqua ratio iusque excommunicandi non erant effectus iurisdictionis, ut postea censuerunt. Scilicet, cum opus omnino esset, ut mutuum quoddam inter dissipatas ecclesias commercium subsisteret, vix autem fieri posset ut singulae sibi notae essent, magnae quaedam sedes electae sunt, per quas ecclesiae hoc vinculum continuarent. Sic Romana ecclesia erat quidem punctum in quo reliquae ecclesiae convenirent, sed vel ipsa haec communionis ratio praeceptis, non a Romana, sed ab universa ecclesia dictatis definiebatur. Huic ecclesiarum communioni opposita est earundem excommunicatio. Quodsi enim ecclesia aliqua, aut eius episcopus, alterius ecclesiae eiusve episcopi doctrinam, vel disciplinam, ab adprobatis praeceptis recedere animadverteret, huius rei certiorem faciebat totam societatem, vel datis literis, vel reiectis a sua communione iis qui inde veniebant. Hac ratione ecclesia Romana, quae propter Primatum sui Antistitis est quasi centrum unitatis, quo schismatis occasio tollatur, alias ecclesias saepe communione privabat,

Digitized by Google

bat, eodem iure quo quisque alius episcopus, absque ulla iurisdictionis specie. Hinc excommunicatio, sine legitima caussa a Pontifice facta, nullam habebat vim, si a tota ecclesia, aut magna eius parte, invalida censeretur (§. IV.). Nec minores errores genuit confusio dignitatis Patriarchae, Romanae sedi adhaerentis, cum iuribus Primatus (§. V.). Praeterea nomina ecclesiae, *sanctae, apostolicae, matris* et *magistrae* reliquarum ecclesiarum, Romanae ecclesiae tributa; nec non honores *capitis ecclesiae* et *vicarii Christi*, Pontifici proprii, magnam illi auctoritatem conciliarunt, et ad firmandam de sacra monarchia sententiam multum fecerunt, licet vere nullum involvant imperium (§. VI.). Mox relationes de caussis dubiis ac gravioribus ad Romanum Pontificem fieri solitae pondus huic auctoritati haud exiguum adiecerunt (§. VII.). Inde natae nimis magnificae et glorioſae Patrum de iuribus ecclesiae Romanae locutiones, quae tamen rei naturam neutiquam mutant (§. VIII.). Praecipuam vero caussam potestati pontificiae, fictae epistolae decretales Isidori dederunt, in quibus insignia privilegia Romanae ecclesiae perperam tribuuntur, quorum argumenta auctor breviter recensuit (§. IX.). Haec, licet falsa, maxime confirmata sunt accedente civili Pontificis imperio et potestate, ac Imperatorum et principum liberalitate aucta (§. X.). Unde factum est, ut commentitia haec iura, illis epistolis tradita, etiamnum Romae vigeant, quid? paullo duriore adhuc, quam olim, pacto exerceantur (§. XI.). Enarratis igitur causis et incrementis nimiae potestatis pontificiae, progreditur auctor capite quarto ad ea iura, quae Pontifici soli servata esse vulgo asserunt, quaeque *caussae maiores* vocari solent, quarum vestigium ante quintum seculum haud occurrere diligenter ostendit, licet in gravioris momenti negotiis, nihil citra Pontificis, utut Primatis, scientiam agi posse firmiter sibi persuadeat (§. I.). Ita ius caussas fidei diiudicandi, non soli Pontifici proprium est, sed singulis quoque episcopis et particularibus Conciliis competit, quae vel possunt opiniones a Pontifice damnatas sub examen vocare. Relinquit tamen auctor Pontifici iudicium

singulare de iis quaestionibus, quae discordiam in universa ecclesia possint excitare (§. II.). Confirmatio electi episcopi, nec non eiusdem postulatio, genuino iure ad Synodum provincialem, aut ad Metropolitanum pertinent (§. III. IV.). Constitutio Coadiutoris demum exeunte seculo decimo tertio inter causas maiores referri coepta (§. V.). Translationes episcoporum semper auctoritate Synodorum provincialium factae, demum Pseudo-Isidori fraude Pontifici cesserunt (§. VI.). Idem dicendum de cessione episcoporum (§. VII.), nec non de iure eosdem deponendi (§. VIII.). Ius denique novos episcopatus, metropoles, atque ecclesias primarias constituendi, nulla lege, sed sola consuetudine ad Pontificem pervenit (§. IX. X.). Quibus praemissis, auctor recte concludit, Sedi Romanae nullum omnino ius, quod monarchiam sapiat, adhaerere; quo loco inprimis adversus purpuratum Orsum disputat. Sedet tamen ipsi hoc, in negotiis ad universam ecclesiam spectantibus, Pontificis, tamquam Primatis, auctoritatem, etiam extra Concilium, multum valere, eaque posse illo dissentiente omnino impediri (§. XI.). Cum autem inprimis Pontifici legislatoria potestas vulgo tribui soleat, tractat de ea auctor capite quinto, quod de legibus ecclesiasticis, earum pro universa ecclesia ferendarum iure, et de provocatione ad Romanum Pontificem, inscribitur. Docet hic, hanc facultatem semper fuisse totius ecclesiae, (rectius dixisset, principis esse in quolibet regno), nunquam vero, neque ab ipso Christo, ut satis inepte adulatores aulae Romanae ex Luc. XXII, 32. eruere conantur, neque ab ecclesia, soli Pontifici traditam (§. I.). Nullum igitur ei competere ius, in rebus quae disciplinam concernunt, universam ecclesiam legibus adstringendi: quid? ne generalium quidem Conciliorum decreta particulares ecclesias obligare, nisi expresse recepta, atque in provinciis legitimo modo promulgata. Haec tamen Pontificis arbitrio iterum tolli haud posse (§. II.). Id quod probat exemplis, a vigore Decreti Gratiani, Decretalium Gregorii IX, reliquarum partium Corporis Iuris Canonici, Regularum Cancellariae, Bullae Coenae,

et

Digitized by Google

et Declarationum ut vocant Concilii Tridentini, petitis (§. III.) Ampliſſimam quidem eſſe auctoritatem Pontificis, propter Primatum, in dirigenda diſciplina eccleſiaſtica; nullam vero iurisdictionem, quae vulgo a Clericis circumfertur, et confirmatur argumentis minus idoneis, ex decretis nonnullorum Conciliorum, praeſertim Tridentini ac Florentini, maligna interpretatione extorſis, quae noſter doctiſſimis rationibus impugnat (§. IV.). Inprimis autem contra eos diſputat, qui hancce iurisdictionem ex iure provocationis, quo Pontificem, decepti Synodi Sardicenſis placitis, ornant, deducunt. Demonſtrat enim, primo novum plane et inauditum quid hoc Concilio eſſe introductum; deinde, non ius provocationis Pontifici conceſſum, ſed quandam duntaxat decernendae reviſionis auctoritatem tributam. (§. V.); denique hoc ipſum decretum non ubivis receptum fuiſſe, propagatum tamen potiſſimum per falſas decretales Iſidori epiſtolas, et hodie adhuc non ſine magno diſciplinae eccleſiaſticae detrimento ſervari (§. VI.). Neque fortius praeſidium ficti huius iuris in epiſtolis Gelaſii et Nicolai I. Pontificum reperitur. Nam, cuius ibi mentio fit, imploratio Pontificis ab Athanaſio, Chryſoſtomo, et Flaviano facta, non ſolum provocationis ius non involvit, verum etiam absque ullo iurisdictionis reſpectu proceſſit (§ VIII.). Solent etiam vulgo, licet perperam, multa de inſigni Pontificis circa Concilia auctoritate proferri, quae auctor capite ſexto ſub examen vocat, ubi de Conciliis generalibus ſermonem facit. Primo igitur ſtatim loco declarat, iura Conciliorum pugnare cum ficto Pontificis imperio, quem potius illis ſubiectum eſſe, Conſtantienſe et Baſileenſe Concilium definiverint, et vel Tridentino haud obſcure repetitum ſit. Facultatem vero ab huiusmodi legis neceſſitate aliquem liberandi, (quam auctor nihilo ſecius Pontifici aſſerit,) nullum omnino imperium innuere; cum hoc ius etiam Epiſcopis quodammodo competat, qui non ſoli conſiliarii, ſed collegae illius haberi debeant, in iudicando ac arbitrando. (At quomodo haec cohaereant, lege aliquem excipere poſſe absque imperio, id quidem Auctor vide-

viderit) (§. I.). Mox singula conciliorum iura expositurus, de potestate ea convocandi initium facit. Hoc ius nulla lege, neque divina, neque humana, Pontifici datum, sed in primis octo Conciliis universalibus ab Imperatoribus exercitum, postea vero tacito Principum consensu ad eum, licet nec in perpetuum, nec in omnibus caussis, delatum fuisse affirmat (§. II. III.). Deinde dirigendi haec Concilia facultatem modo Imperatores, modo Pontifices exercuerunt, quibus ius proponendi caussas, et prima ferendi suffragia, salvo tamen iure Episcoporum, tribuitur (§. IV.). Unde decreta generalium Synodorum non indigent Praesulis Romani confirmatione, quod multis exemplis illustratur (§. V.); nec fuit umquam Pontifex, qui sententiam alicuius Concilii denuo discutere sustinuerit, cum potius Synodi generales saepe in illius decreta inquisiverint (§. VI.). Iam de necessitate ac utilitate Conciliorum differere instituit (§. VII.), ubi firmissimis argumentis eorum impugnat sententiam, qui decisionem Pontificis, a plurima Episcoporum parte comprobatam, pro decreto totius ecclesiae venditant (§. VIII.): cuius opinionis infirmitatem vel controversia de baptismo haereticorum, inter S. Cyprianum et Stephanum Pontificem agitata, arguit (§. IX.) Potius legitimam esse a Romano Pontifice ad generale Concilium provocandi rationem, omnium gentium in huius ecclesiae societate constitutarum iudicio, omni tempore prodito, declaratur (§. X. XI.). Sed hanc ipsam caussam esse, ait, cur aula Romana tanto semper studio caverit eiusmodi Synodos, quamvis haec negligentia viam quasi munierit haeresibus magis magisque propagandis. Hinc tot abusuum, ecclesiam Romanam deformantium, originem repetendam esse, qui a Tridentino Concilio fuerunt neglecti, et forti indigent medela. Horum longum dat indicem, eosque adeo graves describit, ut sine summa ecclesiae iniuria, ac certissimo salutis aeternae detrimento, a nullo episcopo tolerari queant. Digna certe praecone vox (§. XII. XIII. XIV.). Ipsam quidem ecclesiam illis corrigendis sedulo semper dedisse operam, sed a Romana curia numquam non impeditam

fuisse.

fuiſſe. (§. XV.) Ceterum, quae de iure generalium Conciliorum tradidit, auctoritate purpurati Iuliani, pontificii ad Baſileenſe Concilium Legati et Praeſidis, firmat ac illuſtrat. (§ XVI.) Quantum autem poteſtatis Pontifex in Conciliis ſibi competere clamat, tantum iuris ſibi et in Epiſcopos ſumit, quorum auctoritatem Noſter, capite ſequenti, ex iure divino defendit. Chriſtum namque ait munus Epiſcoporum inſtituiſſe, et iura quaedam huic propria attribuiſſe, quae ab eorum officio ſeparari nequeant, quod ſatis ſit indicio, omnium ac ſingulorum parem omnino ex ipſius Chriſti mente eſſe auctoritatem. (§. I.) Succeſſiſſe igitur illos in locum Apoſtolorum, et gaudere iure ab ipſo Deo ἀμέσως ipſis conceſſo. Certe, qui eorum poteſtatem a Romano Epiſcopo profectam volunt, aeque ridiculam fovent opinionem, quaſi ipſos Apoſtolos ſuam poteſtatem non a Chriſto, ſed a Petro accepiſſe ſtatuant. Ac fuit quidem de hoc argumento in Concilio Tridentino quaeſitum; litis tamen deciſionem metus Curiae Romanae prohibuiſſe videtur. (§. II.) Singulas vero iuris epiſcoporum partes ut defendat, ineptam eorum ſententiam, qui omnem iurisdictionem, et iura quae vocant dioeceſana, a Pontifice in Epiſcopos transferri contendunt, doctiſſimis rationibus, ex ipſis veterum Pontificum Conciliorumque teſtimoniis impugnat, et facultatem, iura, quae Epiſcopi officio continentur, in aliorum dioeceſibus exercendi, illi eſſe nullam, concludit. (§. III.) Ius quoque beneficia conferendi origine ſua ad Epiſcopos pertinere, et non niſi ſerius, ac veri iuris eccleſiaſtici ignorantia, variisque artibus factum eſſe, ut illud Pontifici vindicaretur, quamquam poſtea, Concordatis pactis, fines huic licentiae, etſi ne tum quidem ſatis iuſti ac firmi, poni coeperint. (§. IV.) Eandem potentiam, perperam licet arrogatam, Annatis tamen anſam praebuiſſe, quarum iniuſtitiam aperte et docte declarat. (§. V.) Nec magis iure divino et primae eccleſiae ordine Romano Praeſuli ſoli quaedam diiudicanda eſſe relicta, ſed, quicquid iuris nomine in gravioribus delictis ſibi arroget ille, partim ab Epiſcoporum voluntate, partim a regula ſemel ſtabilita, Prae-

ſulem Romanum in quavis dioeceſi aequo plane cum eiusdem Epiſcopo iure gaudere, repetendum eſſe. (§. VI.) Suavia igitur ſunt, at riſu digna, purpurati Lucae, aliorumque, de univerſali, ut barbari homines ſat barbare loquuntur, Pontificis Ordinariatu, deque mendicantium ordini addictorum privilegio, in aliorum dioeceſibus confeſſiones poenitentium audiendi, ſomnia, cui Epiſcopos ex ipſarum legum voluntate ſe opponere poſſe oſtenditur. (§. VII.) Quo et referenda ſunt privilegia, quibus quidam monachi a iurisdictione Epiſcopi ſui liberantur. (§. VIII.) Tandem nec ordinis privilegium, quod purpuratos Epiſcopis dignitate praecedere vult, adimit quid horum poteſtati, quippe ex divina inſtitutione, ut putat Auctor, deſcendenti. (§. IX.) Ceterum, quomodo Epiſcopi priſtina ſua iura recuperare queant, ex Gerſonis, Cancellarii, ſententia declaratur. (§. X.) Haec vero omnia quae recenſuimus, a praeſtantiſſimo huius excellentis operis auctore ideo diſputata ſunt, ut illis praeſtructis, ſanum de libertate eccleſiae recuperanda iudicium ferri poſſit, quod quidem poſtremis duobus capitibus abſolvitur: quorum altero de libertate eccleſiae, eiusque reſtaurandae cauſſis, altero de mediis recuperandae libertatis eccleſiaſticae, agit. Praecipuam corruptae diſciplinae in eccleſia cauſſam in fictis Pſeudo Iſidori Decretalibus quaerit, ad quarum normam recentiori aevo omnia fere in aula Romana tractari coeperint, (§. I.) etſi neque ab initio potuit, neque etiamnum poteſt eccleſia Romana ullum praeſidium ibi reperire. (§. II.) Occurrunt potius multa exempla, quae demonſtrant, eccleſiam iura ſua interdum ab earum figmentis vindicare non dubitaſſe, quale quid in conciliis Viennenſi et Conſtantienſi factum legitur. (§. III.) Quamvis igitur ex ſuppoſititiis hiſce epiſtolis magna profecto commoda in eccleſiam Romanam redundaverint, illis tamen, fraude iam patefacta, ea uti iure non poterit, (§. IV.) cum nec praeſcriptionis, nec ceſſionis, nec poſſeſſionis, nec conſuetudinis ſimulacrum aliquid iuvet, ipſa mala fide prohibente (§. V.). Unde conſequitur, hode valde opus eſſe finium regundorum iudicio in auctoritate Pontificis

cis, cui tenebroſorum temporum ſuperſtitio tanta adiecit incrementa, definienda, cum iam ſaniora regnent iuris publici eccleſiaſtici principia. (§. VI.) Cuius conſilii eo maior neceſsitas eſſe videtur, quo conſtat certius, nimiam licentiam, quam Pontifex huc usque obtinuit, pernicioſam plane eſſe univerſae eccleſiae, eiusdemque amicam reconciliationem inprimis impedire. (§. VII.) Quapropter optat Auctor, ut aliis gentibus ſaltim ad Gallorum libertatem redire liceret; (§. VIII.) quod eo facilius fieri poſſe putat, quo minus reſtaurationem genuini iuris canonici concordatis a Romana ſede cum variis populis initis prohiberi, (§. IX.) et libertati eccleſiaſticae non tam Pontificem, quam curiam Romanam officere ipſi viſum eſt. (§. X.) Ultimo denique loco media, quibus libertas eccleſiaſtica recuperari poſsit, proponuntur; in quibus idoneam populi inſtitutionem (§. II.), et libertatem cum concilii generalis, tum etiam conciliorum ſingularum gentium, refert (§. III. IV.): quamquam, ut monet acute, haec commodius in monarchia, quam in ceteris regnis obtineri poſsint, ubi Romana curia facilius turbas excitare queat, inprimis cum quandoque *ipſi* principes propriae utilitatis cauſſa Pontifici multum ſoleant indulgere. (§. V.) Hinc ſuppeditat conſilium, ut principes legatos mittant, qui, adhibitis epiſcopis, de poteſtate Pontificis in ordinem redigenda deliberent, (§. VI.) cui nec execrationum metus, nec ſchismatis periculum obſtaret, ſi modo iuſta cautione res ageretur, quam auctor certis regulis definit. (§. VII.) Porro haud exiguum libertatis eccleſiaſticae medium in eo ponit, ut principes, exemplo Gallorum, bullas Apoſtolicas, non niſi a ſuis adminiſtris ſub examen vocatas et approbatas, valere ſinant. (§. VIII.) Unde ſimul aliud profluit, nempe, ut reſiſtatur iuſſibus Pontificum, qui repugnent legibus eccleſiaſticis et conſuetudini, aut iuribus epiſcoporum ac principum detrahant. (§. IX.) Ubi inprimis utilem depraedicat *appellationem*, ut vocatur, *tamquam ab abuſu*, Gallicae eccleſiae uſitatam. (§. X.) Ex his omnibus ducit tandem Auctor id, quod toto hoc opere diſputare voluit, intereſſe omnino

ecclesiae ut servetur Primatus, sed ad legitimos fines redactus. (§. XI.) Nos vero hanc ipsam operam, a doctissimo auctore, cuius insignem rerum, quae formam ecclesiae et leges concernunt, peritiam, singulae non paginae, sed lineae produnt, in tam arduo nec omni periculo libero negotio collocatam, satis mirari quidem et laudare non possumus; neque tamen omnia probare. Multa enim insunt, quae Pontificiam superstitionem adhuc sapere, et cum fine, quem vir egregie cordatus sibi proposuit, minus convenire videntur, ut est tota eius de primatu doctrina, quae, veremur, ne quemlibet nostrum a consilio auctoris persequendo deterreat. At dixit fortasis plura, de quibus liberius cogitare, quam scribere duxit, memor illius, raram esse temporum felicitatem, ubi sentire quae velis, et quae sentias dicere liceat. Sane prudentis Medici est, inveterati ac pertinacis morbi, non omnem subito vim reprimere, sed variis remediis lenitam sensim sopire, atque ita tandem evertere.

CAROLI ANDREAE BELII D. ET PROF. PUBL. in Acad. Lips. de Ottone II. Granseio, Basileensi Episcopo, caedis Alberti I. Rom. Regis participe, disquisitio historica.

Qui Adolfum regem, ut regno potiretur, aemulus, A. MCCXCVIII. sua manu interemerat, Albertum, Rudolfi Habspurgici primogenitum, romanorum regem, Ducem Austriae, decennio post, inter Rusam et Arulam, fluvios, propter Bruggam oppidum et Vindonissam, Kal. Maii A. MCCCVIII. violenta morte interiisse, de hoc nemo dubitat, et est scriptorum indubiae fidei testimoniis comprobatum *a*). Neque de sicariis ullum est dubium. Primum impe-

a) ALB. ARGENTIN. *Chron.* ad a. 1308. *Urstisius* seu CHRISTIAN. WURSTISEN, *Basler Chronik* ad h. a. p. 151. MARQV. HERGOTT, (qui, dum haec scribimus,

impetum fecit ex fratre Rudolfo nepos, Iohannes poſthumus *b*), novendecim annorum adoleſcens, ſpei plenus, prodigus, ut ſunt in iſta aetate. Succeſſere coniurati, *Rudolfus de Warth*, *Rudolfus de Palma c*), *Waltherus de Eſchimbach*, *Conradus de Tägerfeld*: quorum quisque, quo erat avidior caedis, hoc inſtabat magis. Hi igitur perimendi regis conſilium exequuti ſunt: quis dederit, haud quaquam exploratum eſt. Erat in Alberto furioſa quaedam, augendi dominatus, atque inſatiabilis cupido. Hanc tota vita, ſed eo potiſſimum tempore, quo regnavit, multis modis prodidit, videbaturque cum numero liberorum creſcere. Atque huc illa in Hollandiam, adverſus Ioannem de Avennis, Hannoniae Comitem, quam Lambacherus deſcripſit, expeditio; huc illa cum Electoribus de Rhenanis vectigalibus diſceptatio; huc Bohemia, Miſnia, Helvetia denique impetita, pertinet: quae quidem hic circumſcripte dixiſſe ſufficit. Talem principem, cetera potentem conſilio, et fortem, invidioſum fuiſſe, et cinctum quaſi hoſtibus, nemini poteſt mirum videri: et tamen, ſi unum hominem exceperis, de quo mox dicemus, nemo vitae eius paraſſe inſidias ante, quam iſti ſicarii ſupervenirent, legitur. Anne igitur percuſſores iſti, quod con-

 ſilium

mus, diem ſuum obiit,) *Genealog. Aug. gent. Habsp.* T. I. p. 203. 204. Qui ſunt in MVRATORII *Scr. rer. Ital.* Tomo IX. editi, FERRETVS VICENTINVS *Hiſtoriae* L. III. extr. et FR. FRANC. PIPINVS, Ord. Praedicator. *Chron.* L. IV. c. 47. ab ill. OLENSCHLAGERO *Hiſtor. Sec. XIV.* excitati, fere talia habent, quae fidae narrationi Alberti Argentinenſis contraria ſunt, videnturque ab his Italis, ex incertis vulgi ſermonibus, male conſarcinata fuiſſe.

b) Poſthumum adpellat BIRKENIVS: et videtur fuiſſe.

c) ALB. ARGENT. Udalricum; et recentiſſimus Hiſtor. Helvet. Scriptor, incomparabilis WATTEWILLIVS. de Balme nominat, P. I. L. I. extr. e formula proſcriptionis coniuratorum, quae eſt in Bernenſi tabulario.

filium exequuti sunt, ipsi invenerunt? Ita videtur: nam etiam publice de iniquitate regis conquesti sunt. Et de Ioanne quidem Habspurgico, eiusque assectis, ita ALBERTUS ARGENTINENSIS d): *Ioannes autem dux, fratruelis regis, quem rex in curia sua cum filiis suis nutrivit, asserens munitiones dominii de Kiburg ad se spectare, tamquam matri suae per Rudolfum regem olim morganatico iure donatum, libenter habuisset sua: instans ferventer, ut sibi saltem munitiones aliquas assignasset. Ad quod cum rex induci nequiret, et insuper multos Baronum bonis suis et iuribus spoliaret, et instante frequenter regina, ut liberos suos sibi commendatos haberet, ac ipsius Ioannis prodigalitatem nimiam accusante: tandem ipse Ioannes dux, cum Baronibus Rudolfo de Warth, Walthero de Eschibach, et Udalrico de Palma, regem interficere cogitavit.* Paullo post idem scriptor: *Rege existente apud locum suum Balnearum (Baden,) ac Ioanne Episcopo Argentinensi rogante regem, ut praedicto duci de munitionibus suis aliquid assignaret: rege vero respondente, quod vellet ipsi duci committere centum galeatos in expeditionem regis versus Boheniam, et post reversionem vellet sibi aliqua assignare; hocque per Episcopum ad ducem perlato: dux dicens, se nihil habere, et commissionem gentis sibi faciendam esse onerosam, Episcopo respondit, se mortem et suorum ablationem ad paria iudicare.* Etsi vero haec satis docent, cuinam potissimum adscribenda caedes Alberti sit: tamen, si, quae paullo ante caedem Alberti Basileae acciderunt, cum his, quae consecuta sunt, conferas, verisimile fit, etiam *Ottonem II. Granseium*, Baronem Burgundum, Basileensium Episcopum, si non consilio, certe exemplo atque auctoritate, participem eius criminis fuisse. Sed altius res omnis petenda est, ut fides dictis constet.

Vetus erat, cum Basileensium Episcopis, Comitum Habspurgiorum controversia. Inde a decimo seculo multis aucti regionibus et eparchiis Praesules isti, magnae erant in

d) *Chron.* l. c. p. 113. sq. quae repetiit WURSTISEN, in *Basler Chronik*, L. III. c. 5. p. 150.

in Helvetia poteſtatis *e*), magnarum opum, quae et Burgundiae regum liberalitate in primis creverant. Inde orta, ut fit in tali fortuna, maiorum fames; cui explendae, quae maxime opportuna viderentur, ea Epiſcopi appetebant. Igitur incurrerunt in vicinorum omnium invidiam, quae bellorum fomes fuit. Erat Rudolfi Habspurgici aetate, inde ab a. 1262. Epiſcopus Henricus *III.* Comes Neoburgenſis, Ulrici filius, et gentis ſuae potentia, et affinitatibus, ferox. Hic, quod Briſacum atque Neoburgum ad Rhenum redigere ſub poteſtatem conaretur *f*), a Rudolfo Comite diuturno bello preſſus, non, niſi poſt multas utrinque clades, pacem a. 1269. obtinuit. Sed recruduit bellum triennio poſt, Epiſcopo, quicquid poterat ditionum, in omni circum agro, coemente: Habspurgio contra, iſtam, tot novis acceſſionibus, creſcentem in dies vicini Praeſulis potentiam extimeſcente *g*). Ad Baſileam tandem debellatum eſt. Rudolfus, magno collecto exercitu *h*), obſidione claſit urbem eam, liberatam periculo cum interitura videbatur, evocato ab Electoribus ad regendam Germaniam Rudolfo *i*). Pace per

e) v. *Baſilea Sacra*, p. 136. ſeqq. WATTEWILLE, *hiſt. de la Confédération Helvétique*, T. I. p. 106. ſequ.

f) WVRSTISEN l. c. L. II. c. 20. *de* ROO *Annal.* L. I. BASILEA SACRA p. 238. ſequ.

g) Neſcimus, unde VOLTARIVS hauſerit, quae de hoc bello in *Annal. Imperii* T. I. p. 301. prodidit, geſtum a Rudolfo fuiſſe *en faveur de l' Abbé de St. Gal.* Etſi enim erant in exercitu Rudolfi auxiliares copiae iſtius Abbatis; tamen erant et aliorum, neque propterea bellum iſtorum cauſſa geſtum eſt.

h) Mit einem gewaltigen Oberländiſchen Zeug ait WVRSTISEN l. c. cap. 21.

i) Hoc nuntio accepto exclamavit Epiſcopus: *ſede fortiter domine Deus, vel locum occupabit Rudolfus tuum.* ALB. ARGENTIN. *Chron.* p. 100.

per arbitros compoſita, Briſacum Epiſcopo cesſit, Imperio Neoburgum.

Mortuo Rudolfo rege, Petrus II. Medicinae Doctor, quod ad curandum non veniſſet comitatus morte pediſequa, Baſileenſium Epiſcopus a Bonifacio VIII. P. M. conſtituitur. *In hac nova dignitate*, (utimur verbis P. Claudii Sudani, Ieſuitae *k*), *Petrus Adolfo Naſſovio fidelem gratamque operam praeſtitit. Anno ſiquidem ineunte 1292. ſalutato ab Ordinibus Imperii in Caeſarem Adolfo, Colmaria, Alberti Auſtriaci confiſa potentiae, eousque rebellem ſe oppoſuit, dum armis ſubigeretur. Quod et factum ope ſingulari, et opportunis ſuppetiis Argentin. atque Baſileenſ. Epiſcopi.* — Ea res auxit triſtem inter finitimos et antiquam ſimultatem; neque poterat non diſplicere Alberto, Adolfi aemulo, Baſileenſes vicinos conſilia ſecutos, quae manifeſte odium Habspurgicae domus proderent.

Et videbatur odium hoc creſcere, redeunte ad Albertum, Adolfo interemto, dignitate regia. *Emit Petrus anno 1305.* (iterum verba ſunt SVDANI) *a Friderico Toggenburgenſi Leucoſtabulum, vulgo Lichtſtallium, arcem Honbergenſem, et villam Elſenwihr in Alſatia, indignante quidem Alberto Imperatore, qui haec ſibi et haereditariis ditionibus Ergoviae adiecta cupiebat.* Quam emtionem in opprobrium regis factam eſſe, ALBERTUS ARGENTINENS. manifeſte innuit *l*): *Habuit rex tractatum emendi oppidum Lieſtal a Comite de Honberg. Comes autem, obmiſſo rege, vendidit et tradidit idem oppidum eidem Epiſcopo et Eccleſiae Baſileenſi, quae hodie tenet illud. Ex quo rex contra Epiſcopum, Capitulum, Eccleſiam, et civitatem Baſileenſem, commotus fuit odio capitali.*

Commotus rei iſtius indignitate Albertus, memor veterum iniuriarum, quas et ipſe olim ab Epiſcopis Baſileenſibus, et Rudolfus pater, accepiſſet, ei, qui Petro, (Clementis V. P. M. beneficio Archiepiſcopatum Moguntinenſem conſe-

k) *Baſil. Sacrae* p. 254. conf. ALBERT. ARGENT. l. c. p. 109. extr. WVRSTISEN l. c. p. 145. et 148.

l) l. c. p. 113. conf. WATTEWILLE l. c. p. 107.

conſecuto,) in Baſileenſi cathedra ſucceſſerat, *Ottoni II.* Granſeio, in feudorum poſſeſſionem introductionem, quae erat a rege petenda, negare conſtituit. *Hic Otto* (verba ſunt ALBERTI ARGENTIN. *m*) *Epiſcopus, cum rex ipſum nollet de ſuis regalibus inveſtire*, ET ALIAS ESSET INFESTVS EIDEM, *quadam vice rege exiſtente Baſileae in curia Monachorum in monte S. Petri, aſſumtis ſervitoribus ſuis, acceſſit regem, ac genu flexus coram eo, per Hugonem ad Solem, ſcientem gallicum, per regem ſe petut inveſtiri, Rex enim Gallicum, Epiſcopus vero Teutonicum neſciverunt. Venit autem Epiſcopus eo animo, quod ſi rum renuiſſet inveſtire*, QVOD EVM VOLVIT OCCIDISSE. *Petente ergo Hugone in Teutonico a rege Epiſcopum humiliter inveſtiri; rege vero reſpondente vulgariter, quid vellet iſte Scholaſticus? Epiſcopus non intelligens dictum regis, ſed credens eum recuſaſſe preces ſuas, iratus dixit: qui dit? in gallico. Hugo vero videns furiam Epiſcopi. erat enim iuvenis et animoſus, manſuete dixit Epiſcopo, in Gallico: Domine, Dominus noſter rex dicit, quod cras libenter velit vos inveſtire, et omnia facere, ad quae Eccleſiae Baſileenſi tenetur.* Et Epiſcopus *inclinans ſe, dixit: grammerſi* (grand merci,) *et receſſit. Rex videns motum Epiſcopi, poſt receſſum Epiſcopi illico receſſit, non ingrediens amplius Baſileam, ſed contra illos durius eſt incenſus.* Hic igitur eſt ille ſicarius Epiſcopus, qui iam anno 1307. caedem regi Alberto intentaverat, Hugonis prudentia non interveniente, regem, nil tale veritum, certo manſuram. Conſceleratam hanc Epiſcopi iſtius mentem neque Bruntrutani Ieſuitae negare auſi ſunt. Ita enim rem omnem narrant *n*): *Epiſc. Otho Granſeius, turpiſſimo, quod in Caeſarem coxerat, facinore, nomen et famam longe obſcuravit. Cauſa meditatae caedis fuit, repulſa illa, et mora longior, qua Imperator Albertus petita concedere ipſi iura regalia abnuebat.*

Qua-

m) *Chron.* pag. 113. WVRSTISEN l. c. p. 149. ET. *Epit. hiſt. Baſil.* p. 184. WATTEWILLE, l. c. p. 107.

n) SVDANI *Baſil. Sacrae*, quam ediderunt, p. 256. ſeq.

Quare vindictae cupiditate incenſus Otho, conſilium capit dignitate ſua indigniſſimum, et facinoroſis quibusque ac profligatae vitae conſceleratis abominandum. Praeſentem ſe ipſe Imperatori ſiſtere, ſuarumque ditionum, quas Imperii beneficio obnoxias habebat, confirmationem urgere ſtatuit: quae ſi negaretur, nihil certius quam Albertum mox confodiendum. Datur itaque aditus et alloquii cum Caeſare copia, per interpretem Hugonem a Sole, civem Baſileenſem primarium, quem animi ſui propoſitum haud prorſus celaverat: — Albertus interim de periculo commoneſactus, ſummo mane egreſſus, in Ergoviam ſeceſſit, ubi cum ſuis de Praeſulis nefario conſilio conqueritur, vindicta conceptae animo caedis in tempus magis idoneum dilata. Furorem hominis, audito regis properato diſceſſu, facile divinando adſequimur. Et debebat ei fuga victimae atrox omen videri. Tamen, ut palpum ſtupidae plebi obtruderet, iram ſe regis extimeſcere mentitus, obſervato tempore, ita ſcribunt Bruntrutani Ieſuitae o), *quo Eliſabetha, Alberti coniux, praeter Baſileae ſuburbium Rheinfeldam peteret, currum adequitans, eam ſibi conciliatricem parabat.* Hic, male acceptus, poenas quodammodo luit impii conſilii. *Aulici* enim, *qui Auguſtam comitabantur, ex compoſito, ab aditu et colloquio Epiſcopum prohibebant p): ſingulariter vero quidam nomine Conradus ex familia Mönch carrucarios equos ad curſum flagris identidem impellens. Ita luto reſperſus et ludibrio habitus, re fruſtra tentata, Baſileam triſtis q) revertitur Otho.*

Dum haec fiunt, Albertus rex, bello Praeſulem petit, ineunte anno MCCCVIII. et *caſtrum Fürſtenſtein, Wernheri et Ioannis de Raperg, per ſuos obſidet r).* Inter haec, Calendis

o) *Baſil. Sacrae* p. 258. conf. WURSTISEN l. c. p. 149.

p) *Ibid.* ALB. ARGENTIN. l. c. p. 114.

q) Sine dubio eo ſenſu, quo Horatius triſtes iras pro duris atque acerbis dixit, a quibus vehementer timeas.

r) *Ita* ALBERTVS ARGENT. l. c. p. 113. WURSTISEN, pag. 149. ei arci praefectos, Wernherum de Rotberg, et Nicolaum Zer Kinden, nominat.

dis Maii, ut paullo ante diximus, rex interimitur. Mirum, illa ipſa nocte, quae caedem eam conſecuta eſt, *cum obſeſſi in Fürſtenſtein ſe mane voluiſſent captos dediſſe, in crepuſculo venientem nuncium, in vertice montis clamaſſe: domine de Raperg, rex eſt occiſus s).* Quid ex hoc tam feſtinato tamque opportuno obſeſſis nuncio, (ſoluta enim repente obſidio fuit,) coniicias? certe ſicariorum conſilia Epiſcopum, eiusque aſſeclas, non penitus ignoraſſe. Baſileenſes, comperto regem interiiſſe, ſeditionem fecerunt *t*): Praeſul autem, *apprehendens panerium civium*, (verba ſunt Argent. Alberti,) *curiam Monachorum ad S. Petrum u) acceſſit, et ingreſſus omnis populus, Monachis et eorum liberis per muros et cloacas fugatis, omnia pretioſa domus tollens, quinquaginta plauſtra vini effundens, non quievit, quousque omnia ſunt deſtructa.* Secuta clientum regis, Scalariorum et Monachorum, cum omni progenie, proſcriptio *x*): nimirum, ut omnis Alberti regis memoria Baſileae deleretur. Ut memoria caedis ſupereſſet, diligenter cavit Epiſcopus; nam ſicariorum vnus, Rudolfus de Palma, *(qui faciem regis et caput gladio diviſerat*, ſcribente Argentinenſi Alberto,) diu Baſileae in domo Converſarum latuit; quod Othonem Praeſulem latere potuiſſe vix eſt credibile.

s) ALB. ARGENTIN. p. 115. WVRSTISEN pag. 151. BASIL. S. p. 259.

t) ALB. ARGENTIN. l. c. WVRSTISEN l. c.

u) Fuit illa ipſa domus inclutae gentis Monachorum (der Mönche,) in qua hoſpitantem nuper Albertum interimere Epiſcopus conſtituerat. Hic igitur, quod iam ſanguinem principis fundere non poterat, effudit Monachorum vina, atque omnem domum, prae moerore, depraedatus eſt. Conf. not. q.) Atque haec SVDANVS prudenter reticuit, neque Bruntrutani ſodales meminerunt, forte memores, *nihil intereſſe inter ſuaſorem et probatorem, et nihil referre, utrum volueris fieri, an gaudeas factum.* Cicero *Phil.* II. cap. 12.

x) ALB. ARGENT. WVRSTISEN et SVDANVS ll. cc.

Regina deinceps percuſſores regis ad internecionem perſequente, Epiſcopum ſibi et ſuis reconciliauit *y*): vel quod ipſa, a cuius aditu cum contumelia prohibitus nuper fuerat, vim ab eo metueret; vel quod putaret, quae eſt Urſtiſii ſententia, ni conciliaretur, defenſorem ſicariorum futurum. Igitur pecunia cum eo transegit. *Epiſcopus autem Otho z), qui initio occiſionis regis bene potuiſſet agere facta ſua, recepta pecunia, cum regina et eius liberis concordavit.* Sed non diu laetus fuit de hac pecunia Otto Epiſcopus. In itinere Italico, Henrici Lucelburgii regis comes, extinctus eſt, *non ſine propinati veneni ſuſpicione a).*

Atque his quidem diligenter penſitatis, probabile omnino ſit, Ottonem Epiſcopum, quod iam antea diximus, caedis Alberti regis multis modis participem fuiſſe. Secuti ſumus fidem Scriptorum omni exceptione maiorum, atque in his Ieſuitarum potiſſimum, quibus, de Epiſcopo necem regi minante teſtantibus, omnino putamus credi oportere. Ceterum, ſi cui haec coniectura noſtra diſpliceat, eum vehementer rogamus ut cogitet, futuros quibus placeat propterea, quod in iſtorum temporum hiſtoria, bene multa, non, niſi per coniecturam, aſſequi datum eſt.

ULPHILAE VERSIO GOTHICA NONNULLORUM capitum Epiſtolae Pauli ad Romanos; e litura codicis cuiusdam manuſcripti reſcripti, qui in Auguſta apud Guelpherbytanos Bibliotheca adſervatur, eruit et commentatus eſt FRANCISCUS ANTONIUS KNITTEL, Metropol. Eccleſiae apud Guelpherbytanos Diaconus.

Librum

y) WURSTISEN pag. 151. auf daß ſie ihre Macht wider ihres Herrn und Vaters Mörder deſto füglicher wenden könnten.

z) ALB. ARGENT. pag. 115. verba ſunt.

a) BASIL. SACR. pag. 261.

Librum hunc excudi curavit principale apud Brunovicenſes Orphanotropheum, 1762. quaternis c. figg. aen.

Ita vero diſſolvit Reverendus editor nomen, quod promiſſa (in his *Novis Actis Eruditor.* anni 1758. pag. 669 etc. et anni 1760. pag. 613 etc.) Ulphilae interpretatione in capita quaedam epiſtolae ad Romanos, contraxerat. Audiverat Rev. *Knittelius*, ab Illuſtr. D. *de Praun*, Brunovicenſis Ducatus Vice Cancellario, eſſe in Bibliotheca Guelpherbytana Codicem Originum Iſidori, reſcriptum in fragmentis Ulphilanae Verſionis epiſtolae ad Romanos, litura fere deletis. Quem, cum nactus eſſet, cognovit, Ulphilana eadem lingua, et iisdem fere litteris ſcripta eſſe, quae in *Codice* Suecorum *Argenteo* extant, vid. p. 317. quarumque ſpecimina aeri inciſa exhibet Tab. I. II. et VIII. Erant vero ſaepenumero ipſa litterarum veſtigia vetuſtate et litura ita extincta, ut plane non, aut certe non ſine maximo labore legi poſſent; quare in eiusmodi locis eruendis hoc conſilium ſequutus eſt V. Clar. ut ea tantummodo in apographum referret, quae in ipſo autographo ita ſupereſſent, ut in oculos caderent, clareque perſpici poſſent. (*Praefat.* pag 11.) Atque ſic tandem prodiit Fragmentum Verſionis Gothicae epiſtolae ad Romanos, quod complectitur loca haec.

Rom. XI, 33-36. XII, 1 - 5. et 17 - 21. XIII, 1 - 5. XIV, 9 - 20. XV, 3 - 13. impreſſa pag. 4 - 51. Addita eſt in oppoſito latere uniuscuiusque paginae Verſio Gothorum latina, et verba graeca ſubiecta ſunt, quae eidem reſpondeant. Verſio illa latina ſcripta fuerat ad latus Verſionis Gothicae, per cola et commata, eamque vetuſtiſſimam eſſe e litterarum forma recte colligit *Knittelius* p. 386. putatque eam in Italia ſcriptam eſſe; cur non in Hiſpania? Ab Ulphilana eam interdum diſcrepare, obſervavit pag. 392. Nos hic pauca notabimus.

Rom. XI, 33. Ulphilana habet *qaiwa unuſſpilloda*, quam inenarrabilia; Gothica latina: *quam ſcrutabilia*, profecto

non ex lectionis varietate, ſed manifeſto vitio, voculam IN abſumſit M in *quam*, legendumque *inſcrutabilia*.

Rom. XII, 2. Ulphilana vertit: *thamma aiwa*, huic ſeculo. Gothica latina: *huic mundo*. In graecis eſt: τῷ αἰῶνι τούτῳ, adeoque hic nulla eſt lectionis varietas. Nam Gothica vox *aiwa*, uti latinorum *aevum*, germanorum *ewig*, formata ex graeca αἰών, notatque *aeternitatem*, *mundum*, *homines*, *ſeculum*. Sic in Schilt. Gloſſ. *ewa* aeternitas.

Rom. XII, 3. Ulphilana: *du waila frathjan garjammeh ſwaſwe goth gadailida*, ad recte ſapiendum, unicuique ſicut Deus diſtribuit. Gothica latina: *Sapere ad prudentiam, ET unicuique ſicut diviſit dominus*. Manifeſtum eſt illud ET poſt frathjan, Gothice *jah* ſcriptum, extitiſſe, aut certe ex alliteratione a librario lectum fuiſſe. Quidquid praeferre placuerit, nulla inde oritur lectionis varietas, ſed merum vitium interpretis.

Rom. XII, 17. *coram Hominibus* habet Latina; ſed Ulphilana addit praeterea *omnibus*, quod eſt in graeco; apparet, iſtud *omnibus*, ob ſimilitudinem litterarum cum *hominibus*, incuria librarii excidiſſe.

Rom. XII, 18. *quod ex vobis EST;* ſic habet Latina. Ulphilana tantum: *us izwis* omiſſo *iſt*, quod vel inter diſtandum, vel ex ingenio aſſumſit librarius.

Rom. XII, 19. In verbis δότε τόπον τῇ ὀργῇ Ulphilana addit τοῦ θεοῦ, ex mero interpretamento, uti v. 3. διὰ τῆς χάριτος τοῦ θεοῦ. Gothica Latina hoc omittit, quod conſtaret librario, in notiſſimo hoc loco vocem *Dei* a textu ipſo abeſſe.

Rom. XV, 12. Gothica Latina: *Et iterum Eſaias ait: ET erit radix* etc. Iſtud *ET* nec Ulphilana habet, nec textus graecus; equidem crediderim illud ex ſequentis lineae initio transſcriptum, rectequc poſt *Ieſſe* collocandum eſſe; ſic conſentientes habebimus Ulphilanam et graecum textum.

Nobis quidem diligentius hanc rem conſiderantibus, probabile videtur, hanc verſionem latinam, non e graeco textu, aut alia quadam verſione latina factam eſſe, ſed ex ipſa

ipſa Gothica verſione Ulphilae. Ulphilanam e graeco translatam recte ſtatuit Rev. Knittelius; Variantes eius lectiones, parui momenti, omnes exhibet pag. 362. etc. His praemiſit Gloſſarium vocum Gothicarum p. 323-361. ubi p. 323. *aftka* vitioſe impreſſum eſt pro *aftra*.

Verſionem Gothicam excipiunt fragmenta IV. Evangeliorum *graeci Codicis Guelpherbytani A*, qui e coenobio Weiſſenburgenſi in Bibliothecam auguſtam Guelpherbytanam pervenerat. Coniicit editor, indiciis ſatis certis, hunc codicem Seculo VI. ſcriptum fuiſſe (pag. 299.). Scripturae ſpecimen exhibet Tabula III. Litterae ſunt unciales: verba ipſa, ſpatiis nullis ſeiuncta, carent accentibus ſpiritibusque, ita ut in litteris ipſis, et modo ſcribendi, maxima inter hunc et Alexandrinum codicem intercedat ſimilitudo. (p. 279.) Particulae iſtis fragmentis comprehenſae, hae ſunt: Matth. I, 11-21. III, 13-17. IV, 1-18. X, 7-19. et 42. XI, 1-11. XIII, 40-50. XIV, 15-36. XV, 1-3. XV, 29-39. Marci I, 2-10. III, 5-17. XIV, 23 24. XIV, 48-61. XV, 19-35. Lucae I, 1-13. II, 9-20. VI, 21-42. *VII*, 32-50. *VIII*, 1. 2. VIII, 31-50. IX, 26 36. X, 36-42. XI, 1-4. XII, 34-45. XIV, 14-25. XV, 13-32. XVI, 1-22. XVIII, 13-39. XX, 21-47. XX, 1-3. XXII, 3-16. XXIII, 20-32. XXIII, 45-56. XXIV, 14-37. Iohannis I, 29-41. II, 13-25. XXI, 1-11. Excudi iſta curavit R. Editor p. 55-100. Commentario illuſtravit p. 271. ſeqq. Nos e multis, quae de ſcriptura obſervavit Vir doctiſſimus, hoc inprimis lectoribus commendamus, quod de Θ monuit pag. 281. Θ enim plurimis locis in Codd. Guelpherbytanis A et B, et in Galeni Codice MSto, apparet ſine lineola in medio, adeo ut prorſus referat formam τῦ Ο. Idem in Hippocratis Codicibus olim obſervarat Galenus; unde efficitur, nullum eſſe pondus litis, quam in loco 1 Tim. III, 16. moverat Alexandrinus codex. Obiter hoc dicimus adverſus Wetſtenium. Ad marginem huius codicis numeri Ammoniani ſcripti reperiuntur, quos interdum varietatis cauſſam praebuiſſe ſtatuit

tuit R. Knittelius, putatque, quantum quidem iudicamus, recte, esse in his numeris insignem lectionum variantium fontem. Utitur illustrandi caussa exemplo Matth. III, 16. ubi Codex Cantabrigiensis legit: πνεῦμα τῦ θεῦ καταβαίνοντα ὡσεὶ περιστερᾶν. Millius putabat, ortam esse hanc lectionem forte ad exprimendam Spiritus S. personalitatem, uti Ioh. XV, 26. XVI, 13. Wetstenius, cuius stomacho hoc non conveniebat, putabat masculinum genus in καταβαίνοντα inde repetendum esse, quod apud Latinos, ad quorum codices ista lectio reficta sit, spiritus sit generis masculini. Optime has nugas explodit Rev. Knittelius, hoc argumento, quod in tali mutatione librarius utriusque linguae peritus esse debuerit, adeoque de mutatione ne cogitare quidem potuerit. Quare existimat, huic loco Canonum Eusebii numerum α adscriptum fuisse hoc modo:

Θεῦ καταβαινον α

Librarium τὸ α textus partem existimasse, ubi τ inter ν et α evanuerit, adeoque καταβαίνοντα expressisse. Ingeniose satis, atque etiam probabiliter; Millii sententia exemplis, quae protuli, nititur: nec tamen vera. Equidem lubens facio cum R. Knittelio, quamquam nullius codicis exemplo docuerit, esse in isto loco et post illud ipsum verbum Canonis Eusеb. num. α, quod fieri debebat ad lectionem hanc, quae sane est magni momenti, recte examinandam. Quare celeberrimi Editoris coniecturam critico argumento confirmabo. Centum annis ante Eusebium, Ammonius Alexandrinus, ex quatuor Evangeliis inter se collatis, atque apte dispositis, integram Historiam Evangelicam confecerat, ipsumque Evangeliorum textum in margine exempli sui numeris distinxerat, ut Diatessaron esset. Ipsae Sectiunculae eaedem sunt, quas hodieque in Codicum margine interiori adpictas videmus, observante Millio Proleg. N. T. n. 738. scilicet in Evangelio Matthaei, 355. Marci, 236. Lucae, 342. Iohannis, 232. Quem codicem Ammonianum, quum nactus esset Eusebius, vidit hoc modo omnes Evangeliorum particulas ad decem classes revocari posse, ita ut in prima tabu-

tabula eſſent particulae, in quibus *quatuor Evangeliſtae* concordant, in ſecunda *Matth. Marc. Luc.* in tertia *Matth. Luc. Ioh.* in quarta *Matth. Marc. Ioh.* in quinta *Matth. Luc.* in ſexta *Matth. Marc.* in ſeptima *Matth. Ioh.* in octava *Marc. Luc.* in nona *Luc. Ioh.* in decima denique illae particulae, quae cuique Evangeliſtae *peculiares* ſunt. Et ſic quidem Ammonianis numeris Euſebius ſuffixit, in margine Evangeliorum, unam e primis alphabeti literis, quae tabulam indicaret, ad quam numerus ille eſſet referendus; unde v. c. Matth. III, 16. ad marginem ſcriptum eſt $\overline{\alpha}$ nec quicquam facilius, quam ut α, cuius vim ignoraret librarius, ad *καταβαῖνον* aſſumeretur.

Sed veniamus ad tertium Codicem, quem Guelpherbytanum B vocavit Eruditiſſimus Knittelius. Is quamquam a ſuperiori differt, accedit tamen litterarum ſimilitudine ad ipſum Alexandrinum codicem, quod patet quoque e ſpecimin..s utriusque, ab Editore Tab. IIII. et IX. exhibitis. Continet Guelpherbytanus B particulas has: Luc. IV, 34-44. V, 1. VI, 10-26. XII, 5-43. XV, 14-31. XVII, 34-36. XVIII, 1-15. XVIII, 34-43. XIX, 1-11. XIX, 47. 48. XX, 1-17. XX, 34-47. XXI, 1-8. XXII, 27-46. XXIII, 30-49. Iohann. XII, 3-20. XIV, 3-22. Extant haec fragmenta p. 105-117. Variantes eorum lectiones, ſuppoſito Milliano textu, recenſentur p. 309-314. quas Critici in ſuo exemplo notabunt. Memoranda prae caeteris omiſſio vocis *ὑγιὴς* Luc. VI, 10. quam temere illatam iſti loco dudum exiſtimavimus; quicquid enim ſignificet, id iam verbo *ἀποκατεστάθη* expreſſum erat. Vetuſtiſſimas eſſe codicis huius lectiones, patet in primis e conſenſu cum Alexandrino codice, et cum Vulgata. Vide omiſſum *ὑμῶν* Luc. XII, 22. Sic Luc. VI, 18. in formula *οἱ ὀχλούμενοι ὑπὸ πνευμάτων ἀκαθάρτων, καὶ ἐθεραπεύοντο*, legit rectius, cum vetuſtiſſimis membranis: *οἱ ὀχλούμενοι ἀπὸ πνευμάτων ἀκαθάρτων ἐθεραπεύοντο.* Senſus eſt: *Inprimis vero, qui a geniis malis vexarentur ita, ut immundi redderentur, ſanati ſunt.* Quam in-

 terpre-

terpretationem, qui non assequerentur, librarii, ante ἐθεραπεύοντο, καὶ addiderunt, ne ἐθεραπεύοντο ad πνεύματα pertineret. Immo agit locus de *hominibus per genium malum morbo affectis tali, qui ipsos immundos redderet, atque ab omni cum reliquis hominibus commercio arceret.* Tales erant quidam *leprosi*, vel *qui morbo vecti in sepulcris larem haberent*, vel *epileptici et lunatici turpes, qui horrida membrorum gesticulatione vulgus arcerent et in terrorem coniicerent.* Multo minus hunc locum intellexit librarius codicis Lipsiensis, qui legit ἐθεραπεύοντο ἅπαντες, qua posteriore voce cavere voluit, ne quis in obsessis immundis morbum suspicaretur. In loco parum difficili, Luc. VI, 23. Guelph. B. pro: κατὰ ταῦτα ἐποίουν legit: τὰ αὐτὰ ε· in quo est glossema: nam Matthaeus V, 12. simpliciter habet ἔτω. Nihil mutat Guelpherbyt. A.

Luc. XII, 15. G. B. addit πάσης ante πλεονεξίας, uti alii Codd. multi, inprimis Alex. et Vulgata. Recte tamen illud explicandi studio additum putant Millius Proleg. n. 373. et Bengelius ad h. l. Talia interpretamenta frequentia esse in hoc codice, patet quoque e Luc. XII, 15. ubi pro τῶν ὑπαρχόντων αὐτοῦ habet facilius αὐτῷ. Traiectiones verborum, Lucae propriae, frequenter immutantur; v. c. Luc. XII, 35. legit: ἔστωσαν αἱ ὀσφύες ὑμῶν περιεζωσμέναι· Luc. XII, 37. habet: ἃς ὁ κύριος ἐλθὼν etc. adde Luc. XIX, 11. XX, 9. XXI, 3. XXII, 34. Vicissim finguntur v. Luc. XIX, 8.

Luc. XVIII, 14. pro ἢ ἐκεῖνος Guelpherbytani B et A legunt ἢ γὰρ ἐκεῖνος, quod recte, auctoritate aliorum codicum, praeferendum putaverat Millius.

Luc. XVIII, 41. Gu. B habet: ὁ λεγων τι σοι· Videtur in litura fuisse vox Ἰησοῦς, pleniusque sic legendus hic locus: ὁ Ἰησοῦς, λέγων· τί σοι θέλεις ποιήσω; sic legunt Bodt. 4. 5. L. M. I. Pers. Otiose quidem hoc additum, uti saepe in Evangeliis.

Luc. XIX, 4. recte legit ἐκείνης, uti vetustissimi Codd. pro δι' ἐκείνης· Similiter occurrit πόλας Luc. V, 19.

Luc. XX, 39. legit τῶν σαδδυκαίων, quae interpolatio nata est e v. 27. Guelph. A. recte habet: τῶν γραμματέων· Ceterum

terum, illa ipsa scriptura, quamvis ab hoc loco aliena, confirmat observationem Drusii in Praeteritis, qui recte statuit, Σαδδκαίως per simplex δ scribendos esse.

Luc. XX, 45. peculiaris huic codici est lectio εἶπε πρὸν αὐτούς: glossema.

Ioh. XII, 7. legit cum aliis multis: ἵνα εἰς τὴν ἡμέραν τοῦ ἐνταφιασμοῦ μου τηρήσῃ αὐτό· quam lectionem probavit quoque et illustravit Millius in Prolegom. n. 431.

Ioh. XIV, 4. delet posterius οἴδατε· Pariter tollit repetitionem verbi γινώσκειν v. 7. legitque μοῦ ἂν ἤδειτε.

Ioh. XIV, 22. pro: τί γέγονεν legit: καὶ τί γέγονεν, consentientibus quoque aliis scriptis: scilicet id graece esset: τί ἄρα γέγονεν, ὅτε etc. uti Cicero loquitur. *Quid igitur accidit, cur consilium mutarem.*

Habebamus multo plura hic dicenda, si diutius lectores morari animus fuisset. Liceat nunc, quid nobis de utroque codice graeco videatur, palam profiteri. Codex Guelpherbytanus B scriptus est ab homine docto, nec ex vulgata emendatus, sed e graeco codice factus; quod ipsum comprobant mutatae verborum graecorum traiectiones; consentit plerumque cum vetustissimis optimisque codicibus, rectoque habetur in primariis codicibus. Eadem fere dici possent de Cod. Guelph. A, si hoc tantum exceperis, quod librarius, cuius manu scriptus fuit, linguae graecae fere expers fuisse videatur, quod multis patet vitiis, v. c. γραμματαων pro γραμματέων etc.

Pergimus ad fragmenta *Galeni*, in eodem codice Isidori rescripto obvia, de quibus exposuit R. Knittelius p. 253-262. Manus inest vetusta, sine verborum intervallis, adeoque probabiliter e Sec. VII. repetenda. Comparatur iste codex cum Colbertino num. 3084 insignito, et scripturae specimen exhibetur Tab. *VI, Sp. III, IV.* Collata fuerunt haec fragmenta ex parte cum Galeni editione Aldina, qua olim usus fuit Iosephus Scaliger, quoque nunc in Guelpherbytana Bibliotheca servatur, cum notis magni illius viri mar-

gini adſcriptis. Nos iſta omnia curioſius indaganda futuro Galeni editori relinquimus.

Extant praeterea in eodem codice folia quaedam fragmentorum Verſionis *Vulgatae* veteris Teſtamenti, quorum ſpecimen e Iud. VIII, 15-18. Tabula quinta aeri incidi curavit Rev. Editor.

Sequuntur has particulas alius Codicis *Vulgatae* Veteris Teſtamenti folio VIII, a ſuperioribus diverſa, quod patet etiam e ſcripturae ſpecimine Tab. VI. Specimine I. exhibito.

Reſtat nunc, ut de commentario dicamus, quo totum iſtud opus illuſtrare inſtituit R. Editor. Complectitur Capita novem.

Cap. I. Sect. I. *De magno codicum, manu antiqua ſcriptorum, uſu, in cognoſcendo vero textus N. T. ingenio* § 1-14.

Complectitur haec Sectio multa lectu digniſſima, liberalis doctrinae cupidis ſummopere commendanda. Liceat tamen monere de loco 2 Theſſ III, 14. quem Auctor p. 137. et 138. explicat ſic, ut verba διὰ τῆς ἐπιϛολῆς τοῦτον σημειοῦσθε, vertat: *una cum redditione huius meae ſecundae, ad vos datae epiſtolae*, i. e. quando remittitis hanc epiſtolam, *inobſequentem hunc indicate*. At alienam eſſe hanc explicationem, et duram, nec ex 1 Cor. XVI, 3. confirmandam, nemo non videt. Immo vero illuſtris hic tenendus eſt hebraismus, quem ſequuti, comma iſtud interpretamur ſic: *per hanc epiſtolam iſtum notate*, τῆς ἐπιϛολῆς dictum pro: ταύτης τῆς ἐπιϛολῆς, uti ſaepe, v. c. 1 Theſſ. V, 27. σημεῖον *notandi* et *caſtigandi* vim habet, uti Subſtantivum apud Alexandrinos interpretes Num. XXVI, 6. coll. fontt. Ceterum fateri cogimur, vehementer nobis diſplicuiſſe demonſtrationem Probabilium mathematicam p. 163. etc. ſine ulla neceſſitate et utilitate inſtitutam; ſenſus internus hic ſufficit; nec ullus unquam criticus de probabilitatis regulis, quae hic demonſtrantur, dubitavit.

Sect. II *Tradit vias nondum ſatis notas, nec tritas, indagandarum novarum varietatis in Textu ſacro cauſſarum, p. 197-220.*

Prima eſt e diplomatibus, in quibus ſaepe occurrunt loca litterarum ſacrarum. Sed parum tuta nobis videtur haec

via,

Digitized by Google

via, quum saepissime non ipsa verba, sed sententiae tantum vim in talibus scriptis expressam fuisse constet. Praeterea patet, ista omnia e vulgata manasse.

Altera est e codd. rescriptis, qui saepenumero exhibent loca sacra N. T. recentiori scriptura oppressa. Tales codices multos in Guelpherbytana Bibliotheca supersesse docuit Auctor p. 205. eorumque descriptionem criticam dedit in Appendice huius operis Num. 1.

Cap. II. *Exponit de ingenio et fatis codicis rescripti Isidori apud Guelpherbytanos*, cuius fragmenta pristina supra indicavimus. Extat haec descriptio historica p. 220-249.

Cap. III. *Differit de textibus, quos praeter Gothicum, duosque IV. Evangeliorum graecos, exhibet litura codicis rescripti Isidori, p. 249-271.* Recensetur hic foliorum numerus, scriptura etc. de quibus supra egimus.

Cap. IV. *Recensetur graecus Codex Guelpherbytanus A. p. 271-299.*

Cap. V. *Recensetur Guelpherbytanus B. p. 299-315.*

Cap. VI. *Gothicus Codex illustratur Commentario et Glossario p. 315-418.* ostendit R. Editor, satis probabiliter στίχους Codicis Carolini esse eosdem cum Euthalianis p. 381-384.

Disputatum fuit inter viros doctos, an Ulphilana evangeliorum versio e graeco textu facta sit? quod quidem Bengelius in Appar. Crit. p. 408. invictis argumentis ostendit, Wetstenioque probavit: addi potest etiam Clariss. IHRE in Ulphila illustrato. Idem ostendit R. Knittelius de versione Gothica epistolae ad Romanos, ex ipsa lectionis varietate, atque deinceps.

Cap. VII. *docet Gothicam et quidem Ulphilanam versionem esse, quam in Carolino Argenteoque codice legimus, p. 418-453.* Mirifice nobis placuit haec Sectio.

Cap. VIII. *Refutat obiectiones a Maturino Veyssiere de la Croze propositas, pag. 453-495.* Extant istae obiectiones in Thes. Epist. Crosian. T. III. p. 78-95. in Epistola ad Iohannem Chamberlaynium scripta, eoque redeunt, ut credat vir ille doctus, eam versionem N. T. quae vulgo Gothica habeatur,

beatur, nullam aliam esse nisi Francicam veterem. Quam coniecturam examinat et confutat Rev. Knittelius, quemadmodum etiam a Ven. Ernestio refutata fuit in institutione interpretis N. T. p. 107.

Cap. IX. *Ostendit utilitatem Versionis Gothicae generatim, et huius quidem Codicis Carolini sigillatim p. 496-506.*

Sed haec breviter indicasse sufficiat; non possumus satis mirari ac celebrare summam Seren. Ducis Brunovicensis liberalitatem et indulgentiam, qua contigit, ut veneranda illa Antiquitatis monumenta typis describerentur. Quumque sub tanto et tali Principe nunquam possit Reverendo editori deesse occasio, ex amplissimo Thesauro Guelpherbytano plura proferendi rei criticae et literariae praesidia; rogamus eum publico nomine, ut in difficili hoc labore pergat, nostrumque seculum illustrius reddat, idque eo magis rogamus, quo magis ipsius eruditionem exquisitissimam, rei criticae peritiam, ingeniumque felicissimum, ex hoc ipso libro perspexerunt atque intellexerunt boni omnes.

FRIDER. SAM. DE SCHMIDT, S. MARCH. BADA-Durlacensis Consil. Aulici, Acad. Paris. Lugdun. Monsp. Tolos. Nemaus. Londin. etc. Socii, Opuscula, quibus res Antiquae, praecipue Aegyptiacae, explanantur.

Carolsruhae 1765. Alph. 1. plagg. 3. in 8.

Liber hic, nitidissimis formis impressus, Commentationibus V. absolvitur, quarum tres priores iam antea in Excerpto totius Italicae et Helveticae litteraturae A. 1759. et 1760. typis mandatae fuerunt, reliquae nunc primum prodeunt. Prima est Dissertatio *de Zodiaci nostri origine Aegyptia*, ad societatem Antiquariorum Londinensem scripta, quam doctissimis observationibus refertam, nunc breviter recensebimus. Creditum fuit olim *signa Zodiaci ipso stellarum situ eas efficere imagines*, quae vulgo ipsis tribui solent; ea enim est plerumque Philosophorum et Astronomorum indoles, ut in origine rerum indaganda subti-

ſubtilitatem ingenii ſequantur, Hiſtoriam veterem fere contemnant, ſaltim non conſulant. Illuſtris auctor errorem illum, a Salmaſio in libro de annis climactericis proſcriptum, pariter explodit, idemque iudicandum ait de illis, qui a Siderum orbis ſigniferi figuram repetant *a vi, quam in hunc terrarum orbem transfundere videantur*. Oſtendit porro, originem Zodiaci fruſtra quaeri *in apotheoſi filiorum Iacobi* Patriarchae: expendit deinde Macrobii et Gogueti ſententias: denique ſuam proponit celeberrimus auctor. *Macrobii* ſententia, quam noſtra aetate plurimum ornavit *Pluchius* Abbas, eo redit, ut dicat, ſigna Zodiaci *niti varia ſiderum adſolem relatione*, quam philoſophica arte explicabat Macrobius, ita quidem, ut omnino primis rerum inventoribus tribui nequeat, quum ſit a ſenſibus nimis ſeiuncta, nec niſi coniecturis ſuperſtructa. *Goguetus* in Diſſertatione de Sideribus, (quae exſtat in Originibus legum, artium, et ſcientiarum, quae prodiere franco gallico idiomate Hagae Com. 1758 T. II. p. 731-780.) ſtatuit ſigna Zodiaci deberi doctis Aſtronomis, qui ante inventas litteras, quum vellent doctrinam de ſideribus regulis adſtringere, hieroglyphicis figuris uterentur. Verum iſtam quoque coniecturam recte impugnat illuſtris Schmidt, nec omnino apparet, quid commoverit viros doctos vetuſtae antiquitatis, ad deſcribendam formis hieroglyphicis aſtronomiam, quarum, ſi quis uſus fuit privatis, certe non niſi in monumentis ſepulcralibus locum habuit. Sequitur deinde ipſius Schmidii coniecturas, quae haec eſt, ut ſtatuat *Graecos Zodicum noſtrum ab Aegyptiis accepiſſe, qui quodlibet ſignum Deo cuidam conſecrarent*. Scilicet, totum diſcrimen, quod in hac re inter Graecos et Aegyptios intercedit, a fabulis et mythologia repetendum videtur, ad quam ſingulae conſtellationes referebantur. Iam, quis neſcit, innumeras iſtas fabulas, et apud alias gentes alias fuiſſe. Habet Zodiacus Aegyptiorum Decanos, h. e. praeſides orbis ſigniferi 36, quorum tres unicuique ſigno praepoſiti fuerunt, quos vide in Salmaſii libro de annis climactericis. Coniecturam ſuam recte firmat auctor Macrobii, Manethonis, et Luciani exemplis; utitur quoque numis ineditis, Hadriani et Antonini tempore in Aegypto cuſis, qui graeca Zodiaci

diaci signa exhibent. Constat, Aegyptios deorum imperium sedemque in Planetarum orbibus et Zodiaco collocasse, unde universa ipsorum Astrologia repetenda videtur. Sic *Aries* Iovi Ammoni sacer, quem Praesidem habebant aequinoctii verni, in Arietis signo collocati. Confirmat hanc opinionem tabula Isiaca. Ceterum haud dixerim, Pascha in aequinoctio verno, in contumeliam idololatriae institutum fuisse, ut eadem anni tempestate, qua Aegyptii Ammonem maxime colerent, Aries huic numini sacer a Iudaeis caederetur. Rabbinicas nugas nimis redolet eiusmodi explicatio. Immo iam *Abrahami* tempore in usu fuisse immolationem arietis, docet literarum S. exemplum, nec aliud videtur sacrificium fuisse, unde vestes datae *Adamo* et *Evae*. Quae Tacitus Hist. V, 4. contraria habet, inscitiam hominis et levitatem satis probant.

Taurus Apin referre videtur Schmidio, recte quidem, si Lucianum audias; ad Venerem pertinere videtur Manilio.

Gemini Aegyptiis sunt Horus et Harpocrates, fratres; Graecis Castor et Poliux.

Cancer Anubidi apud Aegyptios, Mercurio, quod idem est, apud Graecos, sacer fuit. Erat stella canis.

Leonis sidus Osiridi, i. e. Soli, sacrum habuerunt Aegyptii, quumque Sole istud signum transeunte, amplior fit Nili exundatio, accidit ut in veteribus monumentis exprimerentur leones, et effigies hominum leonis capite insignitae, aquam Nili in vasculis gestantes.

Virginem putarunt Isidem, Horo suo ubera admoventem. Fuit illa Osiridis uxor. Inde Sphinx composita ex Leone et Virgine, qua Aegyptii indicabant exundationem Nili, Sole haec signa transeunte abundantissimam. Quo etiam pertinet Gryphus. Spica virgini tributa, vel recentius adiecta fuit, vel certe apud Aegyptios non messis tempus significavit, sed hoc, quo Nili fit exundatio, unde pendet Agypti fertilitas.

Libra aequinoctiis exprimendis apta visa.

Scorpius apud Aegyptios occurrit in hieroglyphicis; apud Romanos Marti sacer fuit, quem cum Typhone Aegyptiorum erudite confert illustris Editor.

Sagit-

Sagittarius pariter conſpicitur in hieroglyphicis a celeb. Pocockio editis.

Capricornus Aegyptiis fuit Hircus Mendeſius, i. e. Pan.

Aquarius Canopo ſacer, in memoriam inventi Oſiridis in aſtra relatus fuit.

Piſcium ſidus recte ad Venerem pertinere cenſetur, et in vetuſtis Aegyptiorum Obeliſcis conſpicitur.

Secunda huius Voluminis Diſſertatio eſt *de Cepis et Alliis, ab Aegyptiis cultis*. Magnus in huius cultus hiſtoria eſt veterum diſſenſus, cui mederi ſtuduit auctor, ita ut primum veterum loca de hac re afferret; deinde cepas uni Nomo Aegypti, unique deo ſacras fuiſſe oſtenderet, nec tamen quodlibet ceparum genus, ſed unum tantum. Quaerit denique de origine iſtius cultus. Putat Diodorus nec non Plutarchus, Aegyptios non religione, ſed horrore commotos, a cepis abſtinuiſſe. Sed iſtos, quo minus omnino ſequaris, impedit luculentum exemplum Num. XI, 5. nec non laudes ceparum Aegyptiacarum, quae in itinerariis leguntur, ad contrariam ſententiam nos abire iubent. Cepis et alliis altos fuiſſe operarios, in conſtruendis Pyramidibus adhibitos, docent teſtimonia Herodoti, Plinii etc. Haud tamen negari poteſt, alicubi ceparum uſum vetitum fuiſſe. Scilicet Sacerdotes Agyptii cuique Pago ſingulare Numen, Plantas, et animalia propria dicaverant, adeo ut exceptis paucis beſtiis, quae ubique colerentur, caeterae omnes in eis tantum regionibus gratae eſſent, ubi numinis, cui dicatae eſſent, cultus vigeret. Sic *Peluſiotis* Cepa, quod Luciani, Sexti, Gellii, aliorumque teſtimoniis egregie demonſtravit Schmidius. Erat illa marina, Typhoni ſacra, ob vim aerem, ignitam, urentemque. Hanc itaque etſi caeteris Aegyptiis odioſam, Peluſiotae, Typhonis cultui addicti, honore divino proſequi debuerunt. At caeteris Cepis, hac ſola ſpecie excepta, Aegyptiis uti licuit.

Progredimur ad tertiam Diſſertationem, *de Orphei et Amphionis nominibus Aegyptiis*, quae nobis mirifice placuit. Horus ſ. *Orus* ſ. OR Aegyptiorum, unus idemque eſt cum *Apolline* Graecorum (Herod. II, 156.). Inde utrique tenera aetas, radiis diſtinctum caput, Aurigae denique flagra, ſolis inſignia, tribuuntur. Quare Horapollo appellatus fuit idem deus, notante Euſtathio

ſtathio ad H. IV, 332. Simile nomen eſt Hermanubis; Anubis enim, uti iam dictum, eſt Mercurius: qua occaſione egregie carpitur Paſſerius, qui ebraicae originis hanc vocem crediderat. *Gphe* et *Gpho generare* denotat Coptis; unde *Orpheus* eſt Hori ſ. Apollinis filius, eſtque iſtud nomen cum illo *Origenis*, quo frequenter uſi ſunt Aegyptii, plane eiusdem indolis. Ac profecto de ſententia quoque veterum Graecorum, Orpheus Apollinis e Calliope filius habitus fuit.

Iupiter Aegyptiis veteribus *Amun* dictus (Herod. II, 41.) unde Thebae vocatae *No Ammon*, i. e. Διόσπολις, quod recte expreſſerunt Alexandrini interpretes Ier. XLVI, 25. Ezech. XXX, 15. Atque ſic veteres *Amphionem* filium *Iovis* ex *Antiope* habuerunt. Eum condidiſſe ferunt Thebas Boeotiae, cognomines illis, quae in ſuperiori Aegypto Iovi Ammoni ſacrae fuere. Firmat illuſtris Schmidius, quae de Orphei et Amphionis ortu dixerat, egregio Pauſaniae loco.

Quarta Diſſertatio agit *de commerciis et navigationibus Ptolemaeorum*, praemio ornata ab Academia Pariſienſi anno 1762. Vetuſtiſſimis Aegyptiis nulla fuere commercia, nec navigationes ad gentes exteras, quod conſtantiorem exiſtimarent eam felicitatem, quae bonis legibus, ipſiusque patriae divitiis contineretur, aliena bona, mores, et religiones metuerent. Pſammetychus primus *Graecos* amare, eorumque cum ſuis commercia tueri coepit. Deinde quum Alexander M. *Tyrum* deſtruxiſſet, omnis fere commercii praecipuam ſedem, ſuisque itineribus maria et terras vix antea cognitas mercatoribus patefeciſſet, commercia cum Graecis multo magis exercita fuerunt; ipſaque Alexandria aedificata, centrum commercii totius terrarum orbis. Habes primam originem et occaſionem ſplendidae ſub Ptolemaeis navigationis, quam ipſam aliquot Sectionibus perſequitur celeberr. auctor.

Prima eſt *de inſtitutis Ptolemaeorum, quibus commercia et navigationem Aegyptiorum adiuvarent*. Iam ante Ptolemaeos exſtructa fuerat Alexandria, loco commerciis et navigationi opportuno aptiſſimoque, urbs, quae vivendi amoenitate, et habitandi commoditate, quamplurimos incolas brevi tempore nacta eſt. Ei adiungenda *Pharus*, ſub Ptolemaeo Philadelpho, a Soſtra-

to

to Gnidio aedificata, fidum nautis praesidium. Accedit *Fossa Regum*, opus stupendum, cuius etiamnum quaedam vestigia supersunt, quod Nilum Mari rubro iungeret, ut facillima esset e mari Mediterraneo ad Arabicum Sinum Indosque navigatio. Commercia interna adiuta *Canalibus plurimis*, ad Mareotin Lacum ducentibus, maximeque necessariis et utilibus, ob Lacus istius cum Alexandria coniunctionem. Praeterea inprimis memoranda est *via Copto Berenicen ducens*, quae Ptolemaeis debetur, a Ptolemaeo Philadelpho confecta, qui etiam aquarum penuriae in istis locis egregie prospexit. Idem rex *navium praestantia*, et copia, priscos superavit, adeo ut Nilus et Mediterraneum mare variae formae navibus, et coriaceis, et papyraceis, et ligneis, maximae magnitudinis, et instructissimis, abundarint. Neque id neglexerunt Successores; imo Philopator fertur exstruxisse *navem ordinum quadraginta*, aliamque, cuius longitudo esset *dimidii stadii*, latitudo maior quam triginta, altitudo parum a quadraginta cubitis abesset. Epiphanes Romanos iussit *classem, qualem vellent*, a se petere; unde liquet summa omnis generis navium abundantia.

Secunda Sectio exponit *de commerciis Ptolemaeorum in mari rubro et Oceano*, quae quidem, potissimum Indicis mercibus, maxima fuere sub Ptolemaeo Philadelpho, eiusque filio Ptolemaeo Evergete, in quo, quicquid Lagidarum virtutis superesset, fere exstinctum est. Quale enim cunque fuerit postea Aegyptiorum sub regibus commercium, id luxum potius et avaritiam satiasse videtur, non opes et potentiam imperii auxisse. Quid effici potuerit, si boni Aegyptiis contigissent reges, id patet e splendido Romanorum in istis regionibus commercio, tanto, ut quotannis classes mercatorum maximae in Indiam navigarent, omnisque generis merces suavissimas et praestantissimas undique afferrent. At quaeritur, quales fuerint *limites commercii Ptolemaeorum navalis*? Illustris Schmidius utitur loco Plinii, quo totus ille cursus describitur, indeque colligit, quod sub Ptolemaeis mercatores *non* videantur *ultra Malabaricas oras* navigasse, neque circumiviſſe oras Coromandelias. Proxime Aegyptiis commercium fuit cum *Taprobanensibus*, hisque cum Seribus aliisque gentibus Indicis. Habuerunt quoque faciles *Barygazas*,

zas, gentem haud procul ab Indi ostiis habitantem, terrestre commercium cum disitis Indiae gentibus exercentem, et *Sesatas*, annuatim Thinarum merces petentes. Maximum lucrum pepererunt *testudines, ebur, margaritae, fericum, lanae*, ex animalibus; porro e plantis, *Linum Indicum, telaeque inde contextae, Othonia, Filum, Sindones, Carpasum, Saccharum, Nardus spicata*, quae est optima, *Costum*, forte non idem cum nostro, *Malobathri Indici folia* suavissimi odoris, *Gummi Bdellium, Caryophilli aromatici, Myrrha, piper, Ebena pretiosissima, Cardamomum*; e mineralibus *Adamas Indicus, Carbunculi, Hyacinthi, Opali, Saphiri, Callais, Amethysti, Sardae, Onyches, Achates, Crystalli, Murrha*, quae ex India, vel praecipue e Parthorum Provinciis afferebatur, (de qua optime exposuit beatus noster Christius in libello de Murrinis veterum,) *Amianthus, Electrum*, de quo egit Gesnerus Tomo III. Actorum Goettingensium. Auri argentique commercium Ptolemaeis cum Indis intercessisse, recte negatur. Versabatur autem omnis illa mercatura in mercibus commutandis, quas Aegyptii ad Indos transtulissent Inter quas praecipue commemoranda *Vitra, Chrysolithi, Vestes variae, Melilotus*, merces Aegypto indigenae, et *argentum, stannum, plumbum, Sandaracca Graecorum, Stibium, Arsenicum, Purpura, Corallium, vinum* denique; quas merces Aegyptii aliunde advehebant.

Haec de Indicis. Sequitur *de commerciis Aegyptiorum Troglodytico Aethiopicis*. Magna est de Troglodytarum finibus inter viros doctos controversia, de qua sigillatim explicare haud placuit celeb. Schmidio, quum ad quaestionem propositam sufficiat statuere, quod sub Ptolemaeis Aegypti finibus gens illa comprehensa fuerit. Praecipua istius gentis sedes fuit *in littore sinus Arabici*, unde maximum cum Indis commercium habuit sub Ptolemaeo Philadelpho, qui et ipse tres in illa regione exstruxit urbes, portusque, Berenices, matris, nomine insignes. Misit rex Satyrum in terram Troglodytarum, qui tandem cum successoribus in *Topazion*, Insula, serpentes, quibus scatebat, destruxit, hominesque ibi collocavit, qui *gemmis* quaerendis operam darent. Per urbes a Ptolemaeis aedificatas, patuit Troglodytis commercium cum *Aethiopibus*, i. e, cum incolis earum regio.

gionum, quae hodie reſpondent regno Nubiae, Abyſſiniae, Adelis, et Oris Zanguebar. Utebantur iſti ad transferendas merces partim *ſinu Arabico*, partim etiam *Nilo;* quod itidem ſub Romanis factum, ubi praecipuum fuit *eboris* commercium. Aucta fuit haec mercatura ſub Ptolemaeo Evergeta primo, Philadelphi f. quod patet e *Monumento Adulitano*, i. e. e Sella Marmorea, Marti in Adule Aethiopiae conſecrata, quae continet deſcriptionem geſtorum Evergetae I, eiusque Patris Philadelphi, in N. Patrum Collectione Tom. II. Hic dicendum foret de *Ophir*, et commercio ibi inſtituto; nec tamen conſtat, ubinam terrarum illud ſitum fuerit. Paullo clarius exponere licet, quales fuerint *merces Troglodytico Aethiopicae*, quamquam haec quoque res coniecturis nitatur. Praecipua vero genera ſunt: *ebur, Rhinocerotum cornua, Hippopotamorum coria, Teſtudinum pretioſorum integumenta, Sphingia*, i. e. Cebi et Cynocephali, ſpecies ſimiarum Troglodyticarum, *Mancipia*, *Aurum non ſignatum* (unde Berenice, urbs Troglodytica, Panchryſos dicta,) *aromata, herbarum radices, et gemmae multae.* Quas merces Aegyptii commutarunt cum veſtibus, vaſculis aureis, argenteis, aeneis, vitreisque, lanceis, ſecuribus, frumento denique et frugibus, oleo vinoque.

Pergimus ad *Arabica Ptolemaeorum commercia.* Quum ſub Ptolemaeis minus quam ſub Romanis, in Indiam navigarent Aegyptii, accidit, ut in *Felicis Arabiae* emporiis, non modo Arabicae, ſed etiam Indicae merces, cum *occidentalibus* permutarentur. Iſto Arabum commercio locupletata fuit *Cava Syria*, Ptolemaeo Philometori ſubiecta. Sunt autem merces Arabiae praecipuae *aurum*, *aromata*, eorumque inprimis Caſia, Thus, Myrrha, et Cinnamomum, fructus *Parimna*, *Smaragdi*, *Berylli*, *Opali*, *Sardonyches*, *Topazii*, *Callais*, *Amethyſti*, *Hyacinthi viles*, *Achates et Molochites*, *marmor Lygdinum*, *margaritae*, *Teſtudines et Cinnabari.* Pro eiusmodi mercibus Arabes vicisſim ſumebant Styracem a Syris et equos; ab Indis crocum et othonia; ab Aegyptiis praeter pecuniam, Abollas, Lodices, veſtes ex lino fabricatas, et aliunde per commercium Alexandrinum, Stannum, Aes, et maxime Ferrum, Purpuram, Vaſa egregia, caelata opera, ſtatuas.

Tertia Sectio agit *de commerciis et navigationibus Ptolemaeorum in mari mediterraneo.* Sunt qui omne Aegyptiorum cum Occidentis populis commercium prorsus negent, neque id nisi Carthaginensibus tribui posse credant. Sed probabilior est contraria sententia, quam ipse amplectitur Schmidius. Primum enim Diodorus Sic. docet, *Rhodios* animis ad Ptolemaeum I. inclinasse, lucri caussa, quod Aegyptiis mercatoribus deberent. Solebant enim ipsi Aegyptum adire, ibique suas cum peregrinis mercibus commutare. Inprimis vero inde deportarunt frumentum, quo maxime abundabat Aegyptus. Porro *Cyprus* in potestate regum Aegypti fuit, inde a Ptolemaeo I. usque ad Auletem, mox a Romanis expugnata, Aegyptiisque ad breve tempus reddita, donec iterum in Romanorum ditionem redigeretur. Quae Insula, quum silvis ubique referta sit, videtur Aegyptiis *navium materiam* praebuisse, neque hanc tantum, sed *unguenta* quoque, *lapides pretiosos, aes Cyprium, vinaque optima. Cretenses* vero, quamquam Aegypto parum distent, illo certe tempore, de quo quaeritur, non mercaturam, sed militiam et quaevis piratarum flagitia exercuisse videntur. Verum *Cyclades Insulas*, earumque inprimis *Delum*, optimi vini et praestantissimarum mercium copia refertas, divitiis suis Aegyptiorum felicitatem auxisse, eo certius est, quum illo ipso tempore in potestate Ptolemaeorum fuerint, quod praeter Theocritum, ex Adulitano monumento luculenter apparet. Quid quod *Graeci* quoque multi, iam inde a Psammetychi temporibus, in Aegyptum transierint, quod de Cariis et Ionibus affirmant Diodorus et Herodotus. Quare, quum isti inde ab antiquissimis temporibus in Aegypto larem habuerint, nonne probabile est, eos maxima et opulentissima commercia instituisse? Praeterea *Pamphyliam*, *Lyciam*, *Cariam*, et interdum quoque *Ciliciam*, classibus, quas in his oris tenerent, subditas sibi habuerunt Ptolemaei; nec tamen commercia ibi videntur exercuisse, nisi exigua admodum; immo securitatis potius caussa orae istius piratas, quantum fieri posset, coërcere studebant. Iam quod ad *Corinthios* et *Athenienses* attinet, quum fuerint omnis generis mercatura celeberrimi, et sub Philadelpho Aegyptiis, pariter ac *Lacedaemonii*, foedere iuncti, nonne recte dixeris cum Schmidio, ipsis quoque commerciorum

rum cum Aegyptiis ſocietatem intercesſiſſe? Alioquin unde Ptolemaeo Philadelpha vaſa Corinthio? unde apud eundem in pompa celeberrima repraeſentatio Corinthi? Nec *Puteolitanum* cum Romanis commercium omittendum putamus, quod inprimis Auletes auxit. In Libya vero et Mauritaniaquae, Aegyptiis quoque ſubiectae fuerunt, omnia commercia Carthaginenſibus relicta videntur. *Palaeſtinam* Aegyptiis aeque ſubditam fuiſſe ſub Ptolemaeis, nemo opinor dubitabit, qui diviſionem ab Alexandri M. Succeſſoribus inſtitutam norit. Inde igitur Aegyptiis *vina*, *ligna*, *balſamum etc.*

Ex his colligit auctor ſummas regum *divitias*, affertque locum Ciceronis e Strabone, quo Auletae reditus aeſtimantur *12000 amplius Talentorum.*

Quaerit deinde, quantus fuerit *urbium* Aegypti numerus? Secundum Theocritum plures quam 30000. Recte quidem, modo teneas, exiguam caſarum tentoriorumque ſocietatem, *urbis* nomine apud Orientis populos inſigniri.

Quarta Sectione diſſeritur *de mercibus Aegypti.* Hic primum quaerit Illuſtris auctor de *pecunia Ptolemaeorum*, docetque, tunc adhibitos fuiſſe numos a variis urbibus percuſſos, et vel capitibus regum inſignes, vel certe eorum nominibus ſignatos. Maximam lucri materiam praebuerunt *equi*, *muli*, *aſini*, *cameli*, *piſces*, cum recentes, tum ſale conditi, *acetum*, *olea*, *ſeſamina et ricina*, *Linum*, quo etiam Iudaei uſi ſunt ad veſtimenta ſacra *Goſſipium*, *Veſtes variae*, textura et tinctura inſignes, *frumenta*, *legumina*, *Lotus*, *Colocaſia*, variique generis *gemmae*, inter quas omnino memorantur *Smaragdi*, *marmora et lapides pretioſiſſimi*, quorum praecipuae ſpecies ſunt, *alabaſtrites*, *porphyrites*, *Niger Thebanus*, *Baſaltes*, *Obſidianus*, *Ophites*, *Memphites*, *Elephantinus*, *Syenites*, *Numidicus s. Lybicus*, *Arabicus albus.* Porro utilitatis et lucri haud parum Aegyptiis attulere *Salia*, *Vitra*, (unde fiebant amphorae, vaſa, calices etc. nec non gemmae factitiae, et factitia Murrhina vaſa), *Unguenta*, *Charta* denique *papyracea.* Iſtius chartae materiam, et recte conficiendae modum, egregie illuſtravit Schmidius e Plinio.

Abſolvitur haec tota collectio quinta Diſſertatione, de *Inſcriptionibus Narbonenſibus.* Nemini dubium eſſe poteſt, quin mul-

multae etiamnum ſuperſint inſcriptiones nondum editae. Illuſtris Schmidius, e magna illarum copia, quas ipſe vidit, hoc ſpecimine eas tantum exhibet, quas in nobiliſſima Galliarum urbe, *Narbone Martio*, Decumanorum Colonia, deſcripſit. Apud L. B. Abbatem de *Breteuil*, Montis Albani Epiſcopum, duos reperit libros MStos, alterum: *Les Antiquités de Narbonne par le Sieur Lafont, Bourgeois du dit Narbonne en 1700*, forma octava maiori, omnibus inſcriptionibus Narbonenſibus refertum; alterum ab illius fratre confectum: *Narbonne ancienne par Meſſire Iérôme Lafont, Prêtre etc.* quaternis tribus maioribus Voluminibus, ubi, quidquid veteres ſcriptores lapidesque antiqui de Narbone Martio tradunt, egregie declaratur. Uſus docuit Schmidium, prioris libri inſcriptiones depravatas et vitioſe deſcriptas fuiſſe ab homine, qui coniecturis indulgeret. Quum difficillimum ſit ſcire, quinam Tituli editi ſint necne, Ill. editor egregie adiutus fuit *manuſcripto opere Seguierii*, qui immenſo labore conſcripſit *indicem, ubi primo intuitu, ordine optimo, omnes Inſcriptiones apud quosvis auctores obvias reperire licet*: qui praeſtantiſſimus liber, utinam propediem typis vulgaretur! Caterum, ipſae inſcriptiones hic impreſſae non ſunt omnes alicuius momenti. Pleraeque ſunt ſepulchrales; decima tertia eſt matrimonialis. E tertia patet, veteres aeque ac recentiores, Diverſoriis *animalium Inſignia* appendiſſe; memoratur *Hoſpitalis a Gallo Gallinaceo*, idemque nobiscum ſenſit SPONIUS Miſcell. 199. In ultimo lapide habes exemplum Praepoſitionis *ex* per EXS ſcriptae, uti quoque *uxſor* et alia. Multae variantes lectiones ex hoc ſcripturae genere, aliisque ſimilibus, temere effictae fuerunt.

Ceterum vix dici poteſt, quantum in dilucidandis obſcuris iſtis quaeſtionibus effecerit admirabilis celeberrimi Schmidii induſtria; tantum profecto, ut omnis generis eruditi viri ex hoc doctiſſimo libro quam plurimum diſcendo proficere poſſint.

NOVA ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipſiæ

Calendis Martii et Aprilis Anno MDCCLXIV.

LE PITTURE ANTICHE D'ERCOLANO E CONTORNI CON QUALCHE SPIEGAZIONE, etc.

i. e.

PICTURAE ANTIQUAE EX HERCULANO ET vicinis locis erutae, atque in aes inciſae, cum animadverſionibus. TOMUS II.

Neapoli 1760. e typogr. regia, charta max. pagg. 339. tabb. 60.

Compotes votorum ſumus, quae noſtra eſt felicitas, tum a nobis factorum, quum, quae Tomo primo Picturarum Herculanenſium continentur, indicaremus. Iam enim ſecundus Tomus in lucem prodiit, eadem magnificentia regia, qua primus, ad illuſtrandas antiquitates, literas, atque bonas artes, non parum collaturus. Si primus Tomus habuit, quae voluptate lectores, et admiratione tam magnifici tamque regii operis, perfunderent, ut profecto habuit: etiam in hoc ſecundo quamplurima repertum iri confidimus, quae et voluptatem illam et admirationem alant et augeant. Plu-

rimum ſplendoris gratiaeque huic Tomo, non ſecus ac ſuperiori, addit imago Caroli, Hiſpaniarum et Indiarum regis, quae eſt a manu Philippi Morghenii, ſummi artificis. Unicuique multo erit iucundiſſimum, oculis iterum iterumque relegere os illius regis, qui aliis ſuper alia beneficiis, iisque maximis, rem literariam cumulat. Sequitur Praefatio, ex qua primo intelligimus, fuiſſe Venetum quendam Romae, Ioſephum Guerram, qui picturas a ſe elaboratas diceret eſſe e muſeo regio Herculanenſes, easque plurimo venderet. Id quod initio ſuſpicioni locum dedit, fuiſſe Neapoli, qui prodita fide picturas Herculanenſes ſurreptas Romam transmiſiſſent. Devocati nonnulli ſunt in ſuſpicionem: ſed fraus artificis Romani detecta, omnes et ſuſpicione et periculo liberavit. Nunc quatuor picturae Guerrae in muſeo regio omnium oculis expoſitae ſunt, quibus additum eſt nomen impoſtoris, et brevis narratio facti. Sed praecipua praefationis pars eſt ea, quae numum exhibet a. 1759. inventum, qui, quia aureus eſt, et primae magnitudinis, eſſe unicus ſui generis exiſtimatur doctiſſimis interpretibus, et a nemine viſus. Conſpicitur in eo caput Auguſti laureatum cum inſcriptione: Caeſar Auguſtus Divi F. Pater patriae. In parte averſa legitur: Imp. XV; unde auctores coniiciunt, numum A. V. C. 758. percuſſum fuiſſe, eique occaſionem dediſſe victoriam a Tiberio in Germania reportatam. In eadem averſa eſt mulier longam veſtem induta, habens arcum in ſiniſtra, dextra ad humeros usque extenſa. Infra mulierem legitur SICIL. Monent doctiſſimi auctores, eandem averſam compluribus in numis, iisque ſatis vulgaribus exhiberi, apud Parutam et Mezzabarbam, adduntque, Patinum, Vaillantium, et Haverkampium, in eo convenire, mulierem iſtam eſſe vel Dianam, vel Proſerpinam, vel Cererem, quum tria haec nomina ſint unius eiusdemque Deae, teſte Cicerone, et Servio. Hinc factum, ut Diana non Latonae, ſed Cereris filia putaretur, et ut in Sicilia nata, et ut Ortygia cubile Dianae diceretur. An Ciceronis aliquod teſtimonium eorum ſententiam confirmet, qui unius Deae nomina eſſe Dianam,

nam, Proſerpinam, Cererem dicunt, ſubdubitamus. Parumque abeſt, quin vetuſtiorem auctorem eſſe, qui hoc affirmet, quam Apuleium M. XI. ſub init., negemus. Ceterum numos huius typi alii aliter explicant. Vaillantius eos honoribus Auguſti conſecratos putat, ob compoſitas res Siciliae: Haverkampius ad victorias Auguſti Siculas, atque illam potiſſimum, qua Pompeii claſſis anno V.C. 710. ad Mylas attrita eſt, refert: Herculanenſes Academici ad poema Auguſti de Sicilia compoſitum, de quo Sueton. 85. Tres iſtas explicationes confutandas ſibi ſumſit nuper Ioſephus Khell e S. I. in libello de numismate Auguſti aureo formae maximae, ex ruderibus Herculani eruto, Viennae 1765. quem nuper in his Actis deſcripſimus. Qui quam acutus eſt in patefaciendis difficultatibus, quae opinionibus triumvirorum illorum obſtare videntur, tam ingenioſe comminiſcitur novam explicationem. Epigraphen SICIL. quam inferior pars numi habet, non inſulae nomen putat, ſed Aedilis, qui ſignum dedicarit. Legit: Sextus ICILius. Aut per SICIL. intelligendum putat Siciliam Coronam ex Dionis XLVI p. 368 edit. Steph. Poſtremo, ne in Harduanismi ſuſpicionem vocetur, vereri videtur. Sequuntur ipſae picturae, quarum, ut in primo Tomo, ſic in hoc duplex genus eſt, alterum maiorum, quarum argumenta et enarrantur, et in ſubiectis notis uberius explicantur: alterum minorum, quae vel narrationibus picturarum argumenta perſequentibus praepoſitae, vel iisdem ſubiectae, vel maioribus tabulis adiunctae ſunt. Videamus ordinem maiorum. Primum ſub adſpectum cadunt novem hiſtoricae, vel ſi mavis, mythologicae, quae Apollinem cunctasque Muſas exhibent praeter Euterpen. Sequuntur duae, quarum argumentum eſt obſcurum et incertum: poſt duae, in quibus Bacchus et infans et adultus: tres, in quarum duabus eſt Ariadne a Theſeo deſerta, in tertia eadem Ariadne, cui Bacchus ſupervenit dormienti: una, in qua Numen aliquod et mulier oculis ſubiicitur: ultra viginti, quae ad ſacra vel Bacchi, vel Iſidis, vel aliorum Numinum pertinent: una, quae ſupplicium Marſyae ab Apolline victi exhibet: tres, mulierum ala-

arum; nonnullae, geniorum occupationes et luſus exprimentes, praeter multas architectonicas, et miſcellanei argumenti nonnullas.

In prima tabula, uti diximus, eſt Apollo, throno inſidens ſingularis ſtructurae, tenensque dextra citharam, ſiniſtra ſupra caput reflexa. Caput cingit laurea. Prope thronum eſt laureus ramus. Longa veſtis colore viridi deſcendit per humeros in dextrum latus, tegitque corpus poſticum, relicta omni parte anteriore corporis nuda. Sandalia tegunt pedes. Veriſimile eſt, pictori animum fuiſſe, depingere Apollinem Muſageten. Quae in adiectis animadverſionibus leguntur, pertinent partim ad conſuetudinem Deos vario ſitu pingendi, ita, ut nunc ſtent, nunc ſedeant, nunc ambulent: partim ad ſtructuram throni vel ſolii, cui Dii inſidere ſolent, quod interdum baſin habet, dictum κλισίον: interdum etiam anaclinterium ſeu adminiculum dorſo reclinando. Itali vocant *Spalliera*. Reliquae obſervationes pertinent ad differentiam citharae et lyrae, ad numerum chordarum in cithara, quae nunc ſeptem, nunc undecim chordarum eſt. Vulgo quidem Apollini cithara ſeptem tantum chordarum tribuitur, ob cauſas, quas Callimachus h. in Delum 253. et Spanhemius ad hunc locum adfert; ſed in hac pictura Apollinis cithara eſt undecim chordarum. Inter inſignia Apollinis praecipuum eſt laurus, cuius rei cauſa redditur, item cur eadem laurus conveniat et poetis, et vaticinatoribus. Cur Apollo fingatur feminudus, traditur ex Cupero in Harpocrate p. 74. ſq.

Apollinem ſequuntur Muſae omnes, excepta Euterpe, cuius picturam caſus aliquis ita abolevit, ut nihil relictum fuerit, quod pictoris manus imitaretur. Muſarum unaquaeque habet notas quasdam et velut inſignia, quibus agnoſci facile poſſit, et a ceteris diſcerni. Plurima eorum pingendo etiam exprimi ita poſſunt, ut, ſi quis verſus illos, qui a nonnullis Auſonio tribuuntur, memoria teneat,

Clio geſta canens transactis tempora reddit,
Melpomene tragico proclamat moeſta boatu. etc.

is

is facile posſit eas internoſcere. Quis non Melpomenen agnoſcat perſona tragica et clava: Thaliam perſona comica et pedo: Euterpen tibia: Terpſichoren cithara: Eratopſalterio: Polyhymniam manu ad os admota: Uranien ſphaera coeleſti? Reliquas duas, Clio et Calliopen, paullo difficilius eſt internoſcere, quum neutra ullum aliud inſigne habeat, quam librum, quem utraque manu praefert. Sed quum auctores in adſignando cuique Muſae ſymbolo varient, incertumque relinquant id, quo quaeque Muſa agnoſci debet: viſum pictori ἀσφαλείᾳ intuentium conſulere volenti, nomina Muſarum omnium picturis addere, praeterquam Uraniae. Quod igitur antea ſemper difficillimum fuit, ut Muſae, ſuo quaeque inſigni, agnoſcerentur, id in poſterum facilius foret, ſi ſumere poſſemus, pictorem Herculanenſem ab omni errore immunem fuiſſe. Sed ſumi hoc vix poteſt, ut Montfaucon docet A. E. I, 3, 5. oſtenditque, quanta ſit diſcrepantia multorum doctorum, qui de Muſis expoſuere, Cuperi et Schotti in Apotheoſi Homeri, Haverkampii in explicatione numismatum Antonii Muſae, Gronovii in Theſ. T. I. tab. C. T. II. tab. 21. Sponii denique in Miſcell. E. A. Sect. II. art. 9.

Clio igitur vix a Melpomene diſcerneres, niſi volumini, quod ſiniſtra tenet, addita eſſent haec verba: ΚΛΕΙΩ ΙCΤΟΡΙΑΝ, nempe ἴλληχε vel τύρε. Ei volumini affixum eſt pittacium h. e. tabella vel ſchedula, quam doctiſſimi interpretes inſerviiſſe putant vel argumento libri, auctorisque nomini indicando, vel etiam voluminibus tanquam vinculo quodam conſtringendis. Deſcriptioni Clius additae ſunt obſervationes, non ingratae futurae iis, qui cognoſcere volent numerum Muſarum, diverſasque de hoc numero auctorum ſententias, nomina porro Muſarum et cognomina, natales earum et genus, ſacra denique iis facta, et inventa, et munera, et veſtitum et mundum. Etſi Deae feveriores, laudemque caſtitatis appetentes, fere ſimplices ſolent eſſe munditiis, ut Minerva, ut Diana, ut fortaſſe aliae: pictor tamen hoc loco, et Clio, et aliis nonnullis Muſis, cultum tribuit exquiſitio-

rem, fimbriatas veſtes, inaures, armillasque, Muſis, inquam, quarum caſtitas et perpetua virginitas a plerisque celebratur. Dixeris ergo, Muſas ſimiles plerarumque puellarum et fuiſſe et non fuiſſe: fuiſſe, quod φιλόκοσμοι eſſent, non fuiſſe, quod non tam aliis, quam ſibi, libenter ornarentur. Non ſilentio tamen praetereundum, quod et docti interpretes picturarum Herculanenſium monent, dubium eſſe controverſumque, quod de perpetua Muſarum virginitate multi tradiderint. Eam quidem diſerte novem illis ſororibus tribuit Diodor. Sic. IV, 7. Lucianus vero Dial. Deor. XIX. earum caſtitatem ipſius Cupidinis teſtimonio adiuvat. Accedit incerti auctoris epigramma in Anthol. I, 7, ubi minanti Veneri, ſe Cupidinem adverſus Muſas armaturam, noſtra virtus, illae reſpondent, ab armis inſidiisque Cupidinis ſuis tuta eſt. Fuit, qui, feſtivam perpetuae huius virginitatis rationem redditurus, diceret, doctas illas virgines ſemper fuiſſe tam pauperculas, ut nemo inveniretur, qui eas indotatas vellet ducere. Interim vix ulla in novenario earum numero reperitur, e qua non aliquis furtivis amoribus conceptus legatur. Weſſelingius ad Diodor. IV, 7. Sic Clius et Magnetis filii feruntur Ialemus et Hymenaeus: ſic Melpomenes et Acheloi Sirenes filiae: ſic Calliopes et Oeagri Orpheus filius: ſic aliarum alii, quos Euſtathius in Homer. p. 830. et Tzetzes ad Heſiodi Op. et D. p. 7. recenſent. Quas duas ſententias ſpecie pugnantes eſſe, ſibique contrarias, non re, facile oſtendemus. Qui Muſas ἀειπαρθένους dicunt, aut παρθένους ἀειθαλεῖς, non fortaſſe ignorant, Muſis eſſe ſuos filios, ſed interpretantur eos non proprie ſic dictos filios, ſed allegorice. Quicunque vel canendi peritia, vel carminis pangendi excelleret, Muſarum filius dicebatur. Hoc ſenſu igitur Orpheus Calliopes filius, hoc ſenſu Uraniae filius Linus, et ſic porro. Huius igitur explicationis allegoricae remedio, facile novem Muſis perpetuae virginitatis decus aſſeres, et furtivorum amorum dedecus ab iis amovebis.

Clio

Clio ſequitur Thalia, quam quia oſtendit, ac veluti ſigno indicat, pedum et perſona comica, ſicut Melpomenen clava et perſona tragica: opportune doctiſſimi explanatores perſonarum comicarum tragicarumque differentiam tradunt ex Polluce IV, 133. et 149. Quumque Thaliam praeter ceteras fimbriata etiam veſtis ornet: de hoc veſtium genere iidem docti viri diſputant, Ferrariumque ſequuti, veſtium extremitates diverſas a fimbriis faciunt, docentque, extremitates, ſeu oras, inſtitasque, et limbos, eſſe quorumlibet veſtimentorum, non vero fimbrias, hasque eſſe in extrema veſtimenti parte fila quaedam, floccosque dependentes, quae Italis *frangie* dicuntur: graecis fimbrias eſſe θυσάνους et κροσσούς, veſtium vero extremitates κρέσπεδα. Haec igitur ſaepe male exponuntur *fimbriae*. In aegide θυσσανόεσσα Minervae apud Homer. IA. E. 738. fimbrias putant fuiſſe floccos ipſos pellis caprae Amaltheae, et hos floccos, ſimplicitati et ruditati heroicorum temporum convenientes, dediſſe poſtea fimbriatis veſtibus occaſionem.

Ubi ad Terpſichoren ventum eſt, oſtenditur, huic Muſae convenire lyricam poeſin. Phurnutus c. XIV. poſt aliquot etymologias ſatis ineptas, nominis Terpſichore, addit, ita dictam fortaſſis hanc Muſam fuiſſe, quod veteres choros inſtituerint Diis, et in honorem horum eruditiſſimi quique carmina compoſuerint. Inde Herculanenſes Interpretes veriſimile putant, artificem in hac pictura Terpſichorae tribuiſſe lyram, non modo ut pulſaret eam, ſed etiam ut ad lyram ſimul cantaret, eamque eſſe potius citharoedam quam citharistriam, potius lyroedam, ſit venia verbis, quam lyriſtriam. Ad ultimum adferuntur quaedam, quae pertinent ad lyrae citharaeque differentiam, quae aut parva eſt, aut nulla, aut difficilis explicatu. Illud certum eſt, lyram pro cithara, citharam pro lyra, ſaepiſſime poni.

Pulcherrima pictura expreſſa eſt Muſa, quae ab amore nomen habet, Erato. Veſtita eſt tunica coloris roſei, habente fimbrias caeruleas. Exterior veſtis eſt coloris praſini. Infra imaginem ſcripta leguntur verba: ΕΡΑΤω. + ΑΛΤΡΙΑΝ.

TPIAN. Tangit ſimul digitis ſimul plectro inſtrumentum muſicum, quod inſcriptionem intuenti videri poſſit pſalterium novem chordarum, etſi inſtrumentum hic depictum differt a pſalterio priſcis auctoribus deſcripto. Praeſidet igitur Erato arti pſallendi, hoc eſt, vel chordas pſalterii digitis ſolis impellendi, vel ſimul cantandi et ſaltandi. Ex variis, quae ad hanc deſcriptionem doctiſſimi interpretes obſervant, praecipue dignae ſunt, in quas mens et cogitatio convertatur, literae minuſculae in inſcriptione ε et ω, item + pro Ψ. Montefalconius in Palaeogr. obſervat, + pro Ψ non niſi in MSCtis Seculi VIII. et IX. eſſe obvium. Sed huius picturae antiquitas haud dubie eſt maior. Dignum attentione et hoc, quod addunt, ſequentem verſum ex Eurip. Antiope v. 77. a Polybio citatum I, 35. Reſinae in pariete hoc modo ſcriptum fuiſſe inventum:

ὡς ἔνσο φὸν βὰλευμα τας πολλὰς χεῖρας νικᾷ.

cuius generis verſus et ſententias ſolitas ſcribi obſervant in publicis etiam operibus, ex Lampridii Alex. Sev. c. 51. Haec multum conferre poſſunt ad dirimendam de antiquitate literarum minuſcularum et accentuum controverſiam. Sicut autem huic Muſae pſallendi artem in hac tabula tribuit pictor, ita eandem illi et Petronius Afranius et Auſonius tribuere videntur. A quibus diſſentire videtur neſcio quis in Anthologia, qui Erato dicit inventricem hymnorum ſacrorum. Nec tamen revera diſſentit fortaſſe, quia hac mente noſtram Muſam dicit ſacrorum hymnorum inventricem, quatenus illi ad pſalterium canerentur. Nec Virgilius Æ. VII. 39. diſſentit, ubi cantaturus antiquum Latii ſtatum, Erato invocat. Erato enim ibi ponitur pro quacunque Muſa, ut Servius docet. Poſtea traditur, quae ſit poteſtas vocum ψάλλειν, ψαλμὸς et ψάλσις. Fuit inter doctiſſimos interpretes, qui coniiceret, ſonum citharae ideo dici ψαλμὸν, quia Apollo monochordum, hoc eſt, ſimpliciſſimum et antiquiſſimum genus citharae, invenerit ex arcu ſororis Dianae, et huic rei teſtimonio eſſe locum Cenſorini de die natali cap. XXII. Sed finge, monochordum, eo quo dictum

dictum est, modo ab Apolline inventum fuisse: fingo porro huius rei testem Censorinum esse; nos quidem ea mentis acie non sumus, ut videre possimus, qui ea res efficere potuerit, ut sonus citharae diceretur ψαλμός. Quid? si Censorinus id ne testatur quidem? Nos non fugit, in eadem causa ad testimonium Censorini confugere Franc. Blanchini de tribus generibus instrumentorum musicae veterum organicae c. II. ab init. p. 25. Sed id non tam Censorinus, quam incertus scriptor videtur testari, cuius fragmentum olim Censorini esse creditum est, et cum Censorino, de die natali, continente libro impressum, postea autem a Ludov. Carrione ab eo separatum, et correctius auctiusque editum. Huius igitur scriptoris cap. XII. p. 145. haec sunt verba: *Quas* (intensiones organi) *animadvertisse cum resonantia suavitatis in arcu sororis Apollinem tradunt, et intendisse protinus citharam, tum notasse, quod adstrictiora fila nervorum in acumen excitarentur, gravibus responderent remissa: inde fecisse tres primas, gravem, mediam, et acutam, seu hypaten, mesen, et neten.* Quae verba si accurate perpendas, ne ei quidem rei testimonio sunt, cui ex opinione auctoris testimonio esse videntur. Quis enim sermo hic de monochordo? Sermo est de intensionibus organi, quae initio tres, postea plures fuere. Tres illas primas intensiones, nempe hypaten, mesen, et neten, ait auctor, Apollinem animadvertisse in arcu sororis.

Iam quomodo nostra Erato differet a Terpsichore? Utraque manu tenet instrumentum lyrae citharaeve simile. Docti interpretes de expedienda hac quaestione multum laborant, nec tamen ita eam expediunt, quin inter se dissentiant, remque in dubio relinquant.

Polyhymnia sequitur, quae nec instrumento nec alia re ulla valde insignis est. Prae se fert tantum gestum, indicem dextrae ori admoventis. Qui gestus est signum silentii. Itaque pictor voluisse videtur Musam exprimere, quae sensa animi, sine voce, solo gestu aperiat. Infra Musam scripta sunt verba: ΠΟΛΥΜΝΙΑ ΜΥΘΟΥΣ, quae verba et nomen Musae docent, et artem, quam illa profitetur. Si ge-

ſtum ſpectes, quo Muſa depicta eſt, ſimulque mentem convertas ad verba, quae artem eius exprimunt, veriſimile reperies, Polyhymniam eſſe artis pantomimicae praeſidem. Quoniam haec Muſa cuncta geſtu exprimit, cuncta quaſi tacendo dicit, videtur doctis interpretibus cum Haverkampio eſſe eadem, quae a Numa Tacita dicitur, apud Plut. in Numa p. 65. Sed viderint, quomodo ſe defendant adverſus eos, qui Tacitam illam Numae Numen Romanorum proprium, neque aliud, quam Mutam, putant, quam et Laram, et Larundam, nonnulli etiam Maniam, dictam volunt. Ipſe Plutarchus l. c. Tacitam etiam Mutam dixiſſe videtur. Unam, inquit, Camenarum praecipue colendam praecepit Romanis, Ταχίταν προσαγορέυσας, ὅιον σιωπηλὴν ἤ νίαν. Vix enim dubitem, ultimam vocem eſſe corruptam, et pro ea ſubſtituendam ἰυτάν, i. e. Mutam. Quod ad notationem nominis *Polyhymnia*, ut latine fere exprimitur, ſeu Πολύμνια vel Πολύμνεια, ut plerumque graece: docti interpretes ſequuntur Plutarchum, Lucianum, Fulgentium, addo Scholiaſten Horatii Cruquianum, qui Πολύμνειαν eſſe μνήμην ſeu μνείαν πολλῶν volunt. Taciturnitatem autem Muſae memoriae praeſidi convenire putant, rati, non alio conſilio a Pythagoraeis obſervatam ἐχεμυθίαν fuiſſe, quam ut memoriae conſuleretur. Fueritne tale conſilium Pythagorae, aliquot annorum ſilentium diſcipulis praecipienti, incertum putamus, hoc interim largientes, remotis ſenſuum perceptionibus, ſilentio et tranquillitate non modo phantaſiam et attentionem ali poſſe, ſed et memoriam, et, ſi omnibus peraeque ſilendum fuit, qui quidem eſſent ex eorum claſſe, quibus ἐχεμυθία praecepta eſſet, hoc ipſo ſilentio multas ſenſuum perceptiones ſublatas fuiſſe, quae interturbare cogitantes potuiſſent. Reſtat, ut indicemus, cur ex mente doctiſſimorum interpretum Muſa chironomiae praeſes a memoria nomen acceperit, et cur eidem tribuantur μύθοι. Scilicet Chironomi et pantomimi eſt, omnem antiquam hiſtoriam noſſe, et Lucianus non vult a ſaltatore ſeu pantomimo quicquam eorum ignorari, quae vel ab Homero, vel Heſiodo ſcripta ſunt:

ſunt: et Plutarchus diſerte Polyhymniae tribuit hiſtoriam: neque hiſtoria vero, neque quae Homerus Heſiodusque cecinere, niſi memoria adiuvante, diſci poſſunt. Et quia pantomini antiquas fabulas exprimere geſticulando ſolebant, et teſte Cypriano ep. 103. verba manibus expedire, ut deſaltarentur fabuloſae antiquitatis libidines, recte pictor Polymniae μύθους tribuit.

Veniamus ad obſcuriorem picturam, cuiusque interpretatio paullo difficilior eſt. Talem exhibet Tabula X. tres figuras oculis obiiciens, duas Numinum quorundam, tertiam mulieris mortalis. Divinitatem duorum prodit nimbus radiatus. Mulieris caput non nimbus radiatus, ſed corona ſeu oleagina, ſeu laurea, exornat. Ex rupe propinqua ſenex ita proſpectat, ut videatur omnem corporum muliebrium, fere ex toto nudorum, venuſtatem oculis pererrare. Manus pedum tenet, caput corona querna cingitur, ut opinio intuentibus iniiciatur, Numen eſſe aliquod ſilveſtre. Non inutile erit interpretari picturam volentibus animadvertere, facies omnium trium figurarum ſimilitudinem quandam inter ſe habere, mediam tamen potius viri quam mulieris videri.

Nimbus radiatus, qui duorum Numinum caput ambit, doctiſſimis interpretibus occaſionem ſuppeditat, aliqua de nimbo, ſeu luce, quae Deorum capita ambit, adferendi, ſimulque Scaligeri, aliorumque, qui Scaligerum ſequuntur, ſententiam improbant, exiſtimantium, ſtatuarum capitibus apud veteres lunulas addi ſolitas fuiſſe, ne avium ſtercore inquinarentur: Chriſtianos hoc poſtea aliorſum traxiſſe, et honoris cauſa id factum exiſtimaſſe, moremque inde ortum eſſe, ſanctorum virorum imagines pingendi cum lunulis vel orbibus caput ambientibus, ad indicandam coeleſtem eorum excellentiam. Hoc poſterius iam Kuſterus ad Ariſtoph. Av. 1114. in dubium revocavit, quia iam apud veteres graecos ſimulacra Deorum Dearumque circulo radiato honoris cauſa ornari ſolerent. Lucian. de Dea Syria c. 32. p. 478. et in Timone c. 51. p. 165. Qui de nimbis exponunt, varie pec-

care videntur: primo illi, qui, a quarto demum seculo, imaginum capitibus radiatos orbiculos impositos scribunt, quos et pictura Herculanensis, et Plin. Paneg. LII. et Lucianus, aliique, ut taceam numos veteres, refellunt: secundo illi, qui nimbum olim meretricum tegumentum fuisse, post autem additum sanctis spiritibus, angelis, divisque beatis autumant, qui nimbum caput ambientem cum nimbo in fronte feminarum, h. e. cum fascia illa, qua frontis magnitudo imminuebatur, confundunt, quae tamen fascia et ipsa non modo meretricum erat, sed et omnium formae studiosarum: tertio, qui nimbos, coronasque radiatas, et orbiculos illos, qui interdum capita imaginum tegunt, non satis distinguunt. Orbiculi illi sine radiis videntur esse illi ipsi, quos Aristophanes Av. 1114. μῆνας et μηνίσκους vocat. Hi sunt illi orbiculi, quos Scaliger ad Catal. p. 211. scribit imaginibus statuisque additos, ne desuper ab avibus conspurcarentur, adductus auctoritate Scholiastae Aristophanis, immo Aristophanis ipsius. Scaligerum sequuntur plures, Grotius, Spanhemius, Figrelius, et ipse T. Hemsterhusius ad Luciani Timonem c. 51, qui non ideo tantum additos contendit, ne ab avibus conspurcarentur, verum etiam honoris divinitatisque significandae causa. Videndum, an hoc quicquid est controversiae componi possit, si dicatur, orbiculos illos, tabulasque seu circulares seu semicirculares, eo solo consilio adiectas statuis, ne maculas traherent, sed nimbos radiosque honoris causa. Iam si pictores fuere, ut fuere, qui imaginibus μηνίσκους, seu orbiculatas tabellas sine radiis, imponerent, quibus ab avibus pluviisque nil periculi esset, videtur Scaligeri sententia non improbanda, qua pictores imperitiae insimulantur. Si porro verisimile est, Romanos monetarios statuarum, vel recens dedicatarum, vel refectarum, memoriam in pecunia etiam apud posteros conservare voluisse, ut ostendit le Beau dans l'histoire de l'Academie royale des inscriptions et belles lettres T. XXI. p. 333: apparet ratio, cur etiam in numismatibus bene multis conspiciantur illi orbiculi sine radiis, capitibus imaginum circumpositi.

Digitized by Google

positi. Ceterum magnopere in explicanda hac pictura interpretes fluctuant. Aliis huius conspectus figurae in mentem revocavit iudicium Paridis, aliis Tiresiam, aliis Actaeonem, qui lavanti Dianae supervenit, aliis tres Gratias, aliis Solem, Dianam, Aurorum cum patre Hyperione, vel cum Pane Deo naturae. Nonnulli tres Gorgonas videre sibi visi sunt, sorores excellenti pulchritudine insignes, quarum duae immortales et senectutis expertes feruntur, tertia mortalis. Hi, Gorgones duae, inquiunt, cum capite radiato sunt Stheno et Euryale, utraque immortalis: tertia Medusa, cuius caput radii non ambiunt, quippe quae est mortalis. Senex propinqua e rupe prospectans est Atlas, visa Medusa in montem conversus, quippe quem pictor ita expressit, ut dimidia ex parte homo, dimidia mons esse videatur. Quae haud procul Gorgonibus apparent arbores, horti Hesperidum erunt. Sed potior explicatio visa est ipsis interpretibus, quae picturam refert ad Dianam, Callisto, et Iovem, quem alii in Dianam, alii in Apollinem conversum scribunt, quum frui Callistus pulchritudine vellet: vel ad Dianam, Callisto, et Apollinem, quia sunt qui ab Apolline compressam Callisto tradant. Ex horum sententia alterum Numen Diana, alterum vel Iupiter erit, Dianam mentiens, vel Apollo: nympha denique Callisto, cui oleagina vel etiam laurea corona conveniet, quia oliva non modo pacis et victoriae symbolum est, sed etiam castitatis: laurus autem Veneri contraria esse creditur.

Aeque incertum est, quid Tabula XI. oculis obiiciat. Pictoris manus expressit tres mulieres, quarum esse princeps videtur, quae sedet superiorem corporis partem nuda, inferius velata veste alba, cum pallio coloris violacei, cui dextrum brachium ad manum usque involutum est, qua capillos tenet, quasi eos compositura, sinistro brachio innitente vasi, quod color indicat ex metallo esse. Ex auribus dependent inaures, armillae aureae ornant carpum, sandalia pedes. Reliquarum duarum altera sedens habet vestem violaceam, cum palla caerulea, quae omne corpus, praeter-

terquam ſiniſtram manum, operit: caput velat albus pannus, pedem calceus. Altera ſtat veſtem caeruleam cum manica induta, quae ſiniſtrum totum brachium tegit. Dimidia fere dextri brachii pars eſt nuda. Veſtis exterior coloris eſt ſubrubentis. Tegumenta capitis ſunt vela flava, in medio capite nodo non indecore conſtricta. Ornant et ipſam inaures.

Si ſumferis, mulierem feminudam eſſe Venerem, non ſine veri ſpecie dicere poteris, reliquas duas eſſe Iunonem et Minervam, in porticu quadam inter ſe colloquentes. Cui explicationi aliquid veriſimilitudinis adfert locus Apollonii Rhodii III, 7-112. quem locum credas pictoris animo obverſatum fuiſſe, quum huic tabulae pingendae manum admoveret. Ibi quum Iaſon ad petendum aureum vellus in Colchidem navigaſſet, videreturque tantas difficultates aditurus, ut periculum eſſet, ne auſis ſuis excideret: is Iunonis Venerisque auxilio non parum ſublevatus fuit. Hae enim Deae de Iaſone ſolicitae Venerem adeunt, eamque rogant, Cupidini ediceret, ut Medeam telis peteret, eamque amore Iaſonis fauciam redderet. Sic enim certum habebant, incepta eius proſpera futura. Duo potiſſimum expreſſa ſunt, narrationi poetae conſentanea, primo amoeniſſima porticus, deinde Venus manibus circumligans comas. Nam in porticu colloquium trium Dearum fuiſſe habitum Apollonius v. 39. ait, Veneremque comis pectine digerendis intentam fuiſſe, ſed intrantibus Deabus deſtitiſſe incepto, et capillos manibus circumligaſſe v. 45. ſq. Si inſigne aliquod additum a pictore eſſet, quo Minerva, quo Iuno, quo Venus agnoſci poſſet, dicerem huic explicationi parum ad certitudinem deeſſe. Sed ut talia inſignia non adſint, Venerem tamen nuditate, ſtudio ſe ornandi, et vaſe unguentario, cui innititur: Iunonem gravitate vultus: Palladem habitu modeſto, vultuque virginaliter verecundo, fere agnoſcas. Venus conſidet in ſede humiliore: hoſpitum ſedes excelſior, inſtructaque ſcabello ſuppede, cui ſimilia apud Homerum Ω. IX, 199. Od. I, 136. invenias. Iuno quum ver-

verba faciat, recte a pictore ſtans expreſſa eſt. Forte etiam ideo ſedentis habitu eſt Pallas, Iuno ſtantis, quia pictor ſignificare voluit, quod apud Apollonium eſt v. 111, nempe Iunonem finito colloquio primam ſurrexiſſe, poſtea Palladem. Haec ſunt fere, quibus lucis aliquid per picturam obſcuram ambiguamque fundant doctiſſimi interpretes.

Tabula XII. haud dubie ante oculos ponitur educatio Bacchi. Apparent in ea tres Nymphae, Bacchi fortaſſe nutrices, duae adſtantes arbori, tertia fronde coronata, et laevum latus pelle tecta parvulo Baccho racemum porrigit, verſus quem ille utramque manum porrigit, et ut prehendere poſſit, ab educatore ſuo Sileno in altum tollitur. Prope Silenum aſinus iacet dormiens, isque coronatus, cui ſella doſſuaria impoſita eſt, non abſimilis clitellis illis, quas noſtro tempore uſus recepit. Pedes habent eum ſitum, ut plantae oculis pateant, quae videntur ſoleis ferreis munitae eſſe. Harum enim uſum fuiſſe antiquiſſimum facile quidem largimur doctis interpretibus; ſed eas tamen ab illis, quibus hodie utimur, diverſas fuiſſe, putamus prope demonſtratum contra *Iſ. Voſſium* a Gesnero in lexico ruſtico h. v. Illud certum, ſoleas illas fuiſſe velut calceamenta quaedam, quae, prout via vel ſcrupoſa et aſpera erat, vel mollis, ita vel induerentur iumentis, vel exuerentur: fuiſſe autem ſoleas illas clavis ſuppactas, et affixas ipſis ungulis, hoc incertum. Sed ad picturam redeo. Ex alia parte panthera lambit cymbalum, cuius oram ambiunt orbiculi quidam, ſeu tintinnabula. Mercurius porro ſeminudus et forma iuvenili ſedet, ſeu in dolio, ſeu in ſeria: ſiniſtra lyrae chordas tangit, dextra plectrum tenet: in capite habet petaſum alatum, in pedibus talaria ſeu alata calceamenta, quibus manum admovet Satyrus, quaſi laxaturus. Is renidens Bacchum digito monſtrat. Poſt Mercurium ſurgit columna.

Praecipuae obſervationes, quae ad hanc deſcriptionem adferuntur, pertinent ad clitellas et ephippia, item ad vaſa vinaria veterum. De antiquitate eorum, qui conſulantur, digni ſunt Iac. Godofredus ad C. Th. et Monteſalconius, et Lipſius

Lipsius de Militia. Quibus addimus Hermannum Hugonem de Milit. Eqv. I, 4. Ephippium, apud vetustissimos auctores, est operimentum equorum ex pannis, corio, pellibus, ut docet Fabretti de Col. Trai. c. 1, quae imponerentur dorso equorum, ut iis eques commodius insideret. Qui ephippia nostris similia ad Neronis tempora, immo Nerone multo antiquiora, referunt, his nec Dio LXIII, 13. nec Xenophon περὶ ἱππικ. favet: interim ea esse Theodosio Magno ipsoque Traiano antiquiora, praesens pictura arguere videtur. Cernere est in ea sellam hodiernis sellis ex toto similem, nisi quod in ea nec antilenam, nec postilenam, nec cingulam animadvertas. Fuere inter doctos interpretes, quibus videretur haec sella esse ex genere astrabarum, quibus uterentur et mulieres et senes, et quicunque commodius et mollius sedere vellent. Iidem observant, non temere prope asinum depictam esse petram. Nam qui saltu equos asinosque inscendere non poterant, adhibere solebant suppedanea saxa, quorum loco nunc sunt stapiae, v. Herm. Hugo de Milit. Eqv. I, 4. De industria additus est a pictore Mercurius, utpote cuius opera usus est Iupiter in educando Baccho, teste Apollodoro III, 4. 3. Is quum dolio insideat, nascitur occasio, quaedam de veterum vasis vinariis, deque materia eorum, et forma, ex Montefalconio, aliisque adferendi. Quaedam veterum vasa vinaria similia fuisse hodiernis, nempe lignea, circulisque cincta, patet ex Plin. XIV, 21. Strabo V. pag. 334. refert, Galliae Cisalpinae incolis fuisse πίθους ξυλίνους μείζους οἴκων. Quae verba vulgo exponuntur per *dolia ex ligno aedibus maiora.* Mallemus cum doctis interpretibus exponi: *dolia ex ligno maiora, quam ut in cellas vinarias transferri possint.* Apuleius Met. IX. p. 219. mentionem doliorum facit ita magnorum, ut in ea descenderetur, testaceorum tamen eorundem, et ita levium, ut unus homo tale dolium collo suo portare posset. Quae narratio a Gesnero *petulans* merito dicitur. Cur tandem columna addita sit in hac pictura, incertum est. Forte, ut alias, sic etiam hic est columna symbolum divinitatis. Illud certum vide-

videtur, non poſſe illas columnas, quas Bacchus victis Indis conſtituiſſe fertur, reſpici in pictura, quae Bacchum puerum et educandum exhibet, niſi, ut prolepſes poetarum et hiſtoricorum admittimus, ſic etiam pictorum admittamus.

Tabula XIV. et XV. exhibent Ariadnen a Theſeo in inſula Naxo deſertam. Ariadne hic iacet capillo incomto, turbidoque e ſomno. Collum ornat monile: orbiculi aurei ambiunt brachia, et ima crura prope talos, quales orbiculi vocantur periſcelides, et per ironiam muliebres compedes, qui ſaepe confundi ſolent cum vinculis pedum, ut obſervat Rubenius de re veſtiaria I, 16. Vulgo periſcelides definiuntur *ornamenta crurum*. Sed haec pictura oſtendit accuratius, locum illis fuiſſe prope talum, niſi dicas, eas hic per ſomnum loco ſuo fuiſſe motas, et v. c. ex medio crure ad talos usque demiſſas. Ariadne porro in hac pictura imitatur geſtum ſurgentis e lecto, qui eſt in litore maris ſub alta rupe, id quod exprimit etiam Ovidius Her. X. 25. Retegit et nudat dimidium corpus, amovenda ab eo culcita candida. Ipſo vultu prae ſe fert ſtuporem et dolorem, ſicut eam Catullus deſcribit de Nuptiis Pel. et Thet. Theſeum exprimit aliquis intentus regendae navi, in qua praeter vela multosque rudentes occurrunt apluſtre, et cataſtroma in puppi, et attentione inprimis digna duo gubernacula.

In notis varia leguntur de lectis veterum, de differentia culcitae et tori, de χαμευνίαις, de anaclinteriis lectorum, pulvillisque et cervicalibus, luxuque veterum in his. Repudiant doctiſſimi explanatores emendationem Caſauboni ad Athenaeum VI, p. 255. pro κάλυμμα legentis κεῦμα. Sed vellem, difficultatem ſuſtuliſſent, quae eſt in lectione vulgari, docuiſſentque, quis tapetum uſus eſſe poſſit ad vitandum illud incommodum, quod veſtes ſtragulae intempeſtive in faciem cadentes pariunt. Praeterea ſtudioſi antiquitatis reperient quaedam de opertoriis in lecto cubantium et veſtibus ſtragulis, de ſindone, de modio navis, qui in hac pictura conſpicuus eſt, de apluſtri, de cataſtromate, et denique de duobus unius navis gubernaculis, de quibus Schef-

ferus. Cui addimus Graevium ad Heſ. Ἔργ. 45. et Perizonium ad Aelian. V.H. IX, 40. Fit eorum mentio Act. XXVII, 14.

Etiam in tabula XV. Ariadne ſurgit e lecto ſeminuda, armillis aureis ornata magnae latitudinis, item inauribus et monili ex margaritis grandibus. Adſtat ei Cupido alatus, manantes lacrimas dextra extergens, ſiniſtra habens iacula, et arcum, ſed arcum nervo carentem. Poſt Ariadnen conſpicitur mulier alata, cuius caput velamento quodam tegitur, quae ſiniſtram Ariadnes humero imponit, dextra autem navem monſtrat, quae remis velisque nititur in altum. In litore gubernaculum iacet, quod fortaſſe a Theſeo fugam praecipitante per oblivionem relictum eſt. Difficile dictu eſt, quaenam mulier illa alata ſit, quae poſt Ariadnen ſtans tendit verſus navem digitum. Sententiae Doctorum Herculanenſium ſuper ea variant. Aliis ea Diana, aliis Minerva, aliis Victoria, aliis Venus, aliis Cura, aliis Nemeſis videtur. Qui eſſe Minervam volunt, ſuae opinioni Proclum in Chreſtomathia favere putant, qui, Minervam et Liberum Theſeo in inſula Dia apparuiſſe, tradit. Sed haec explicatio maius pondus habitura eſſet, ſi vel Proclus, vel alius tradidiſſet, Minervam etiam Ariadnae apparuiſſe. Quibus, eam eſſe Dianam, placet, Homerum producunt, qui Od. XI. 320. Ariadnen in inſula Dia, ſeu Naxo, detentam a Diana tradit, Bacchi indicio. Sed narratio Homeri nimis brevis, et idcirco obſcurior eſt, ad quam intelligendam interprete opus eſt. Quod ſi conſulas Pſeudodidymum et Euſtathium, reperies, ex eorum opinione hoc ſibi Homerum voluiſſe, Ariadnen a Dionyſo fuiſſe accuſatam impietatis, quod in ipſo Dianae templo ſui copiam feciſſet Theſeo, et idcirco a Dea fuiſſe interemtam. Homeri igitur teſtimonium hanc ſententiam nihil adiuvabit. Qui mulierem nihil aliud denotare putant, quam curam et ſolicitudinem infelicis Ariadnes, ad Virgilium Hyginumque et Horatium provocant, quorum hic Curam alatam faciat, illi autem de eadem tanquam Dea loquantur. Reſtat eorum opinio, quibus

Digitized by Google

bus mulier illa alata esse Nemesis videtur, Dea illa ultrix facinorum impiorum, praesertim vero infeliciter amantium, cuius simulacrum apud Smyrnaeos fuisse alatum observat Pausanias I, 33. Pluribus de hac exponunt Ammian. Marcell. XIV, 11. Broukhus. ad Tibull. I, 6. s. fin. Haec Dea consolandae Ariadnes causa monstrat digito navem Thesei fuga se subducentis, navisque ferruginea vela. Nec fortasse valde erres, si eam ita verba facientem ad Ariadnen facias: *Huc usque omnia ex animi sententia gessit Theseus: Minotaurum occidit: incolumis ex labyrintho evasit. Iam ultra sortem suam effertur, iam lasciuit rebus tam secundis. Tempus est, ut huic felicitati modum ponam. Ecce tibi atra navis vela! Offundam eius animo mandatorum paternorum oblivionem. Negliget atra vela tollere, et in locum eorum candida substituere. Sic patris iacturam faciet: sic gaudia eius luctu contaminabuntur.* Dederat scilicet abeunti filio mandata pater, ut, si salvus rediret, navis vela candida haberet, sin minus, atra. Quae mandata quum per oblivionem Theseus neglexisset, Aegeus, conspectis atris velis, ratus filium periisse, se praecipitavit in mare, id quod et Catullus et Plutarchus in Theseo testantur.

Quam explicationem ut prae ceteris probes, complura te adducere poterunt, vela navis, nigro et ferrugineo colore depicta, alae, quae mulieri affixae sunt, vultus illius gestusque minax, quod stat Ariadnae post tergum, quod denique galeata esse videtur. Nam Nemesis dicitur et Ὄπις, ut est apud Phurnutum c. 13. ἀπὸ τοῦ λανθάνειν ὄπισθεν, quod fallat nos a tergo stans. Et hanc ipsam ob causam videtur in eam etiam galea convenire, cuius fortasse eadem vis, quae galeae Plutonis, ut illam gestans Dea, quoscunque velit, videat, ipsa conspicua nemini. Haec Nemesis est Dea superbis, vanis ostentatoribus, et improba spe maxima quaeque appetentibus, protervisque hominibus, et in alios iniuriosis, infestissima. Hinc ei cubitum et frenum tribuitur, quibus unumquemque quasi admonet, ne quid immoderate effrenateque vel dicat, vel faciat. Quam in rem duo elegan-

tissima epigrammata leguntur in Anthologiae l. I. c. εἰς ἐλπίδας p. 50. et l. IV. c. εἰς θεῶν ἀγάλματα pag. 474. quae Graevius Lect. Hesiod. c. XIV. ad Ἔργ. v. 694. et illustrat, et emendat. Cupido in hac pictura habet arcum sine nervo, quo indicatur, Amoris nullam amplius esse vim. Apud Ovidium Amor. III, 9, 7. eversa Cupidinis pharetra, eiusdem fracti arcus, et extinctae faces, hoc idem significant. Quum tres Cupidines a veteribus commemorentur, Ἔρως, Ἀντέρως, Ἀνσέρως, seu ut apud Servium est Ἀνσέρως, sitque Ἔρωτος amorem accendere, Ἀντέρωτος amorem mutuum conciliare, Ἀνσέρωτος autem infelicem et periculi plenum amorem immittere, vel ut Heinsius lect. Theocr. c. IV. explicat, ad amorem libidinemque nimiam concitare: quaeri potest, qualis hic sit Cupido? Quae quaestio ut facilius expediri possit, facit Pausanias I, 30, qui Ἀντέρωτα δαίμονα vocat Timagorae, contemti amatoris, ἀλάστορα, h. e. crudelem ultorem.

Tabula XVI. eadem Ariadne subiicitur oculis cum duplicibus armillis, cum torque aureo, sub tentorio ad radices arboris placide dormiens. Ea caput vitta alba velatum inclinat cervicali candido; dextrum vero eius brachium protensum in capite recumbit, sinistro leniter in lectum labente. Nondum experrecta est somno, cuius opportunitate usus Theseus eam deseruit. Offendit dormientem et praeter opinionem invenit Bacchus formosus, coronatus pampinis et uvis. Dorsum operit ruber longusque pannus. Crura cothurni ambiunt. Baccho se comitem dat educator Silenus, manu tenens longum thyrsum. Apparet etiam multitudo bacchantium, partim duplices tibias, partim cistas mysticas habentium, satisque longo intervallo ab Ariadne disiunctarum. Ariadnae Satyrus adstat operimenta dextra amovens, quibus nuditas eius velata fuerat. Silenus velut admirabundus legit oculis venustates pulchri corporis. Ipse Bacchus velut alienata mente vultum figit in formoso corpore, quod ei sinistra monstrat puerulus alatus, dextra eidem admota, quasi, ut propius accedat, admonens. In quibus

Digitized by Google

quibus omnibus, ſicut, quantum ars poſſit, pictoris manus oſtendit, ita pari artificio expreſſus eſt Faunus, qui poſt rupem ſtans tam iucundo ſpectaculo paſcit oculos, riſuque animi laetitiam fatetur. Faunum diximus: ſed quum nulla nota ſub adſpectum veniat, quae in Faunum potius, quam alium quemcunque, conveniat; quum porro vix dignoſcatur, utrius ſit ſexus: fuere ex interpretibus alii, qui hic Glaucum Neptuni et Naidis filium ſibi videre viderentur, Ariadnes amatorem in Naxo, Bacchique rivalem, de quo Athen. VII. pag. 297. alii vero, mulierculam eſſe rati, qui hic nympham Pſalacantham agnoſcerent, Bacchi amicam, qua conciliatrice Bacchus Ariadnes nuptiis potitus eſt, ut eſt apud Ptolem. Hephaeſtionem l. V. p. 323. Ceterum, ſimilem huic picturam deſcribit Pauſan. I, 20. Philoſtratus Icon. I, 15. Conſentanea eidem referunt Hygin. f. 43. Nonnus Dionyſ. XLVII, 271. Ovidius M. VIII, 176. Catullus de Nupt. Pel. et Thet. Plutarchus in Theſ. p. 9.

In tabula XVII. Numen aliquod oculis obiicitur, et iuvencula mulier. Numen ſeu pilae ſeu arae incumbit, velaturque veſte rubra, eaque longa. Pedes eius ad medium crus flavis velamentis muniti ſunt. Caput lucidus nimbus cingit, promiſſi ſunt et flavi capilli: taenia ſeu vitta coercet capillos. Arcus non tenſus in dextra eſt, et pharetra humi prope pilam iacet. Iuvencula, cuius flavi capilli utrique humero infunduntur, viridi fronde coronata eſt, tenetque ſiniſtra lauri ramum. Habet peplum ſubtiliſſimum, quod in dextro brachio quatuor fibulae conſtringunt. Dimidium brachii dextri, et pars pectoris, ſunt nuda. E cervicibus catella aurea pendula ad pectus usque producitur. Pallium geſtat coloris aurei, quod in amplum ſedile demittitur, cui inſidet, et cui dextra innititur. Sedet deiectis in terram oculis, vultuque prae ſe fert modeſtiam et verecundiam. Vincula coriacea, quae velamenta pedum vinciunt, ſunt coloris rubri.

Haud facile dixeris, ecquid mens pictoris ſubiicere oculo ſpectatoris voluerit. Quaecunque in pictura occur-

runt, ea cuncta aeque in Apollinem ac Dianam conveniunt, palla aurata, veſtis talaris, cothurni, arcus cum pharetra, capilli longi et flavi, taenia, et reliqua. Nec hoc mirum. Similitudo tanta in antiquis monumentis inter Dianam Apollinemque deprehenditur, ſeu perpetuae iuventutis florem, ſeu pulchritudinem, ſeu munia, ſeu cognomina, ſeu exercitia, ſeu formam denique vultumque et habitum corporis ſpectes, ut, ſi alter careat lyra aut alio inſigni, altera lunae creſcentis imagine, vix diſtingui poſſint. Quidam antiquarii explicantes numismata, in quibus mulier nuda cum cithara, incumbens pilae, conſpicitur, non alium quam Apollinem forma puellari effictum agnoſcunt, Triſtanus nempe, Vaillantius, et Schottus. Multo difficilius eſt certo dicere, quaenam ſit muliercula ſedens. Itaque fluctuant docti interpretes, et nunc de Helena, nunc de Iphigenia, nunc de Polyxena, nunc de Caſſandra cogitant. Subſcriptores fortaſſe nonnullos illi habebunt, qui ſedentem mulierculam cum capillis fluentibus, coronatam lauro, lauri etiam ramum manu tenentem, volunt eſſe Caſſandram, diſcentem, Apolline magiſtro, divinationem. Ut Servius ad Æ. II, 247. aliique docent, Apollo Caſſandrae amore exarſerat, et haec Deo concubitus ſui copiam promiſerat ea lege, ſi ſibi ab eo futurorum ſcientia praeſtaretur. Hinc ille modeſtus et verecundus puellae riſus, hinc ille amictus, hinc denique illa illecebroſa et minime probanda nuditas humeri, brachii, pectoris. Scilicet vafra et inſidioſa puella de induſtria iis veſtibus induta erat, quae corporis dotes nec inviderent oculis amatoris, nec obiicerent, ut eo magis incenderet Apollinem, artemque vaticinandi facilius per blandam quandam nec ingratam vim Deo extorqueret, iungendo fallaci concubitus promiſſo eam oris corporisque ſpeciem, quae et ſuis votis ſubſervire poſſet, et Apollinem capere. Qui Numen in hac pictura non Apollinem eſſe, ſed Dianam, putant, hi pharetram non ad Numen, ſed ad puellam ſedentem referunt, quae, nuptiarum cupida, relinquendum Dianae conſortium ſciens, depoſita ad imam aram pharetra, ſupplex a Dea veniam

niam impunitatemque precetur, exemplo puellae a Daphnide in transverſum actae apud Theocr. XXVII, 63.

In tabula XVIII. mulier ſacrificat Baccho, cuius ſubfuſcum ſimulacrum alto ſtylobatae, qui videtur ex marmore rubro eſſe, inſiſtit. Bacchum prodit caput mitratum, iuvenilis ac prope puellaris facies, cantharus potorius, et thyrſus. Poſt Bacchi ſimulacrum ſurgit marmor ſtriatum, ſed truncum et mutilum ita, ut, cui uſui ex mente pictoris ſerviat, iudicare non poſſis. Sequitur aedificium, cuius tria ornamenta ex parte tecti ſurgentia ſunt notabilia, quae ſunt inſtar acroteriorum. Suggrundium praeter ſolitum, et prope ultra modum, prominet. Sacra facientis mulieris crinis eſt ſimplex, et in unum nodum collectus. Corpus operit pallium candidum, veſtisque ſub pectore zona conſtricta.

De uſu Zonae docti interpretes monent, conſulendum eſſe Catullum 68. Callimachum epigr. 40. Voſſium ad Catullum, aliosque. Quibus addimus V. cl. Iul. Caroſum Schlaegerum in diſſ. de Diana λυσιζώνῳ, et Io. Schraderum ad Muſaei v. 272. c. 20. p. 340. quo nemo luculentius hoc argumentum perſequutus eſt.

Tabula XIX. certamen Marſyae et Apollinis eximie depictum exhibet, vel potiùs huius certaminis eventum. In eleganti ſella Apollo, victor coronatus, inſidet pulvillo, in cuius capitibus ſunt fiſſae et quaſi in fila diviſae appendices. Dextra plectrum, ſiniſtra citharam tenet. Lateri eius haeret Muſa, coronata et ipſa, et veſtem acu pictam induta. Manibus tenet ſertum e frondibus contextum, quaſi citharam victricem coronatura. Genibus Apollinis accidit ſupplex Olympus, ut precibus poenam ab infelici ſuo praeceptore amoliatur. Adſtat tortor, manu cultrum tenens, Marſyae cutem, ſi crudelem hanc ſententiam pronunciaſſet victor, detracturus. Duae tibiae, quarum in ima parte ſunt paxilli illi, quibus immiſſis foramina obturari ſolebant, faſcia quadam inſtructae, ſaxo cuidam incumbentes humi iacent, quaſi contemtui eſſent, aut eſſe deberent. Denique ſenex cum capillo circa caput negligenter reiecto, vultuque triſtitiam

tiam prodens eſt Marſyas victus, veſtem exutus, religatusque ad arborem, manibus poſt tergum revinctis, ut mox deglubatur, et pelle nudatus miſere pereat.

Antiquitatis cognoſcendae cupidis cupiditatem explebunt additae obſervationes, quibus docetur, quibus parentibus natus fuerit Marſyas, quinam certaminis iudices ſederint, Satyrusne dicendus Marſyas ſit, an Silenus, qua in re et auctores variant, et gemmae; porro, quomodo Apollo victor diſceſſerit, et an iudices eius ab omni iniquitatis ſuſpicione immunes fuerint. Nec praetermittuntur, quae ſcire iuvet de veſtibus acu pictis, ſeu opere barbarico, de Phrygionibus, ſeu barbaricariis: de loco certaminis, Celaenisne in Phrygia, an Niſa, de more inſtrumenta muſica victorum coronandi frondibus, qui duobus Statii locis Theb. VI, 366. Sylv. VIII, 34. lucem adfert. Ceterum pictor Muſam ſuam phrygio habitu induit, ut indicaret, ſe iis accedere, qui locum certaminis Celaenas putant. Quod ad tortorem carnificemque attinet, hunc plurimi ab Apolline diſtingunt, et nunc barbarum vocant, nunc Scytham, e. g. Martial. X, 62. ſed alii Apollinem ipſum carnificis munia obeuntem faciunt. Miniſtri publici graece dicuntur τοξόται, σπυσίνιοι, σκύθαι, βάρβαροι. Qua occaſione defenditur Hyginus contra Salmaſium, qui omnes alios praeter Hyginum docere ait, ab ipſo Apolline Marſyam excoriatum, Hyginum autem Scythae munus excoriandi Marſyae impoſuiſſe, ex male intellecto vocabulo ἀποσκυθίσαι. Quem et interpretes Hygini, et noſtra pictura refellunt.

Tabulae XX-XXIX. pertinent fere ad choros bacchantium, ad ſacrificia, ad pompas, et myſteria bacchica. Bacchicas cerimonias repraeſentari, multa indicio ſunt, thyrſus, tibiae, cithara, tympana, cymbala, hedera, patera, arca, vas potorium, catillus ficubus plenus, corona et pampinea, et myrtea, et ex frondibus contexta, daduchiae, tigris, ſerpens, ſaltationes etc.

Tabulam XXV. veriſimile putant docti interpretes ad ſacra Cabirorum pertinere: ſimulque monent, ad explican-

das

das huius generis tabulas multum conferre eos posse, qui de ritu Bacchanalium, de mysteriis Cereris et Bacchi, de Dionysiis exposuerint, tanquam Demsterum ad Rosinum, Castellanum de Festis Graec., Nicolai de ritu Bacchanalium, Eggelingium de Mysteriis Cereris et Bacchi. Quibus addimus Marmora Taurinensia P. I. pag. 29-118. et Christian. Gottlieb. Schwarzium in *Miscell. politioris humanitatis* c. III. et IV, quorum illud est de gemma antiqua sacrificium Bacchi, hoc vero de antiquo marmore pompam Bacchantium referente. Thyrsus quidem non semper in his occurrit: sed multa supersunt monumenta, in quibus nec ipse Bacchus, nec Bacchi comites thyrsum gerunt. Euripides memorat Βάκχας ἀθύρσους.

Tabula XX. repraesentari mansionem, seu pausam, coniiciunt interpretes Herculanenses, de qua Salmasius ad Caracallam c. IX. Pescennium c. VI.

Non praetereunda hoc loco est hypothesis, quam docti interpretes examinandam proponunt, quae tam late patet, ut, si admitti posset, plurimis veterum monumentis, in quibus ad solemnes Deorum pompas pertinentia proponuntur, pluribusque auctorum locis explicandis, inserviret. Coniectura, seu hypothesis, haec est: *In pompis Deorum, speciatim Bacchi, discurrere promiscue solebant et virgines honestae, et matronae graves, et mulieres inhonestae: sed non omnes promiscue admittebantur ad ministerium, ad sacerdotium, et ad arcana. Iam quum in monumentis ad Bacchum spectantibus obviae sint mulieres nunc calceatae, nunc discalceatae, nunc solutis crinibus, nunc in nodum collectis, capite nunc nudo, nunc velato: credibile est, quarum et caput et pedes velamentum aliquod omni ex parte operiret, fuisse sacerdotes eas, quae haberent caput fasciola cinctum, pedesque non ex toto nudos, sed sandalio duntaxat soleaque munitos, fuisse ministras sacrorum iuniores: si quae denique pompam comitarentur nudis pedibus, quomodocunque velato*

capite, aut non velato, has fuisse de profana turba: nisi forte secundum Diodorum IV, 3. statuere malis, mulieres, quae veras Maenadas Bacchasque imitarentur, fuisse crinibus solutis et passis, virgines vero matronasque severiores in nodum collectis. Qui comparabunt hanc hypothesin cum locis auctorum veterum, et cum antiquis monumentis, quantum ei sit dandum, facile animadvertent.

Tabula XXIV. videtur summus mysteriorum bacchicorum gradus exprimi, nempe ἐποπτεία, de qua Meursius, van Dale, et Casaubonus. Si quis ἐποπτείαν a pictore expressam ideo neget, quia fuerit ritus arcanus, quem nec mysta ullus, nec epopta, vulgare auderet: huic facile occurras et obstes. Primo apud Cretenses talia secreta divulgare licitum: Diodor. V, 77. Deinde hic non exprimitur ipsa ἐποπτεία, sed ἐποπτείας duntaxat symbola. Tertio illi, qui pro religione scripsere, et apologias edidere, multa mysteriorum illorum arcana et symbola patefacere potuere, et reapse patefecere: Tertullianus adv. Valentin. c. 1. Theodoretus Th. VII. Arnobius V. Clemens denique Alexandrin. Protrept. p. 14. et Firmicus c. XIV. XX. Addunt Herculanenses interpretes, contigisse fortasse hoc loco pictori idem, quod olim Æschylo, ut casu insçius et imprudens nonnulla ad mysteria pertinentia evulgaret. Clem. Alex. Strom. II. Meurs. Eleusin. c. XX. Sed Æschylum huius generis quaedam evulgasse, iudicaverunt initiati. Quaerent vero fortasse nonnulli, quinam nunc sint illi initiati, qui hic pictorem talia penicillo expressisse iudicent.

Tabula XXX. praeter alias etiam picturam Aglaidis exhibere videtur, quam Ælianus V. H. I, 26. et Athenaeus X, 3. p. 415. non aliter, ac hic artifex pinxit, describunt. Dicunt eam tuba cantasse, comam habuisse apposititiam, et cristam in capite. Haec omnia sunt ab artifice in hac pictura expressa. Addunt, fuisse mulierem voracem, quae duodecim

Digitized by Google

eim libras carnis, et quatuor choenices panis vorare consueſſet, potare autem congium vini. In pictura eo eſt corporis habitu, ea magnitudine et robore, ut facile credas, et voracitatis tantae et bibacitatis eam fuiſſe.

In tabula XXXI. quatuor diverſae ſunt picturae. In earum prima templum videtur expreſſum, idque vittis ornatum, et ſeptum quoddam in templi atrio. Ibi mulier videtur in eo eſſe, ut herbas floresque offerat alicui Numini, fortaſſe Iunoni Lucinae. Iam vero huic Iunoni flores herbaeque a mulieribus gravidis offerri ſolebant; Ovid. Faſt. III, 254. Sunt, qui flores hic pictos eſſe lilia putent, quibus favet Clemens Alex. Paed. II, 8, ubi Iunonem ait liliis delectari. Videtur porro mulier iſta reſoluto crine eſſe. Iam vero gravidarum erat, Iunonem Lucinam reſoluto crine precari: Ovid. Faſt. l. c. Serv. ad Æ. IV, 518. Ad alterum tabulae latus ſimilis huic mulier exhibetur. Duabus his mulieribus interiecta pictura eſt, quae oſtendit Deam aliquam ſolutis crinibus, coronatam fronde, vittatam, tenentem cornu copiae ſiniſtra, dextra autem pateram. Hanc Deam eſſe Concordiam coniiciunt interpretes. Etſi enim Felicitas, Pax, Securitas, Hilaritas, Cybele, Terra, et quicquid abundantiam adfert, fere exprimitur cum notiſſimo illo cornu Amaltheae ſymbolo: in Concordiam tamen non modo hoc cornu, ſed et reliqua omnia, quae hic cernuntur, convenire videntur, patera, cuius uſus in ſacris libationibus pacis firmandae cauſa factis, habitus ſedentis, vitta, et corona e frondibus.

Tabula XXXII. figuras duorum iuvenum habet inter ſe ſimillimorum, ſeu colorem et veſtimenta ſpectes, ſeu coronas laureas, ſeu ramum lauri lemniſcatum, quem uterque ſiniſtra tenet. Vix eos diſcerneres, niſi alter dextra pateram teneret, vel vas paterae ſimile, alter autem volumen vel quiddam volumini ſimile.

Interpretum nonnullorum haec est sententia, ut picturam interpretandam putent de victore certaminum publicorum, seu pugillatus, seu luctae. Freti sunt auctoritatibus potissimum Pausaniae, Servii, Pindari, qui partim coronarum agonalium seu lemniscatarum mentionem faciunt, partim victoribus taenias et phialas tribuunt. Quibus placet, volumen esse id, quod alter manu tenet, dicunt, poetam victorem ab artifice esse expressum, adduntque, coronam lauream, et ramum lemniscatum ei rei esse argumento. Auson. ep. 20. et Scalig. Lect. Auson. I, 10. Contra hunc Scaligerum ostenditur, non modo in agonibus Capitolinis, sed etiam in ludis Olympicis, locum fuisse taeniae, et palmae, et certamina poetica fuisse in numero ludorum Graeciae. Faber Agon. I, 3. et 26. Ceterum, volumen non modo indicare professionem poetae potest, sed etiam praemium a poeta reportatum: Gell. XVIII, 2. Solebant etiam poetae in victoriae reportatae memoriam volumen aliquod dedicare in aliquo templo: Plutarch. Sympos. V, 2.

Tabula XXXIII. quatuor picturas proponit, duas mulierum, totidemque virorum, haud dubie sacrificantium. Ut sacrificantes putes, adducere te poterunt velata capita, crines soluti, nudi pedes, vestes fimbriatae, coronae ex frondibus, vasa denique sacrificalia, quae manibus tenent omnes.

Tabula XXXIV. duo exhibet, primo hermaphroditum, cuius dextra decenter attollit pallium album, quod ex capite defluens operit hermaphroditum dimidia prope ex parte, ita, ut et muliebre pectus, et pars illa, qua sexus agnoscitur, pateant oculis. Sinistram ornat aliquid, quod frondis hederae, quam Plinius XXIV, 10. cisson erythranon vocat, speciem prae se fert. Secundo eadem tabula exhibet iuvenem amabili et amoena facie, ex toto nudum. Dextra tenet ramum oleae: oleae frondes ambiunt promissos capillos

Digitized by Google

los et fluentes. Sinistra discum tenet, quem aliquid replet, quod difficulter discernas. Ex disco pendet mantile seu mappula. Id, cui pedes insistunt, etsi mancum est, esse tamen ornamentum architectonicum dixeris. Capiti insistit columella, quae miro modo terminatur. Tales frondes, vel talia folia, quale hic hermaphroditi sinistra tenet, passim inveniuntur apud Augustinum in gemmis antiquis, et apud alios. Sunt, qui flabellum putent esse, cuius usus aliquis fuerit in balneis: sunt etiam, qui adsperforium esse velint. Alii id comparant cum hederae, alii cum nymphaeae aquaticae folio, quae herba vim habere creditur Venerem extinguendi: Plin. XXV, 7. Cum huius generis frondibus hermaphroditi saepe obseruantur in labris balneorum, seu in foliis, nempe in lacubus illis depressis, in quos lauandi causa descenditur. Docti interpretes tales frondes partim putant vicem praestitisse flabellorum, partim indicare effeminatam quandam mollitiem. Ut sic putent, dicunt se adduci iis, quae habet Schol. Aristoph. ad Acharn. 144. et Pausan. Corinth. 13. Nescio tamen, an inde satis tuto colligi possit, portare manu frondes apud veteres fuisse signum libidinosorum, et amoribus lascivis nimio plus seruientium. Nam Bentleii coniectura fortasse non est improbanda, in Callimachi versu, quem Scholiastes allegat, pro φύλλοις legentis φλοιοῖς. Aeque incertum est, an ex consuetudine portandi hederae frondes nata sit significatio parum honesta verbi κισσοφορεῖν. Qui Baccho eiusque cultui dediti erant, thyrsum et hederam gestare solebant. Unde κιττοφορεῖν est bacchari, bacchanalia vivere: v. Heusingerus ad Plut. de liberor. educ. c. VII. Hoc sensu Libanius in ψόγῳ Αἰσχίνου. p. 108. dicit, Aeschini gratum fuisse, si κιττοφόρος audiret. Quo sensu vetulae apud Demosthenem περὶ στεφάνου Aeschinem appellarint ἑξαρχον, καὶ προηγεμόνα, καὶ κιττοφόρον, facile nunc patet. Rubenii emendatio κισσοφόρος legentis pro κιττοφόρος, Aeschini non congruit, si cistae sunt κανᾶ. Nam canephori in Bacchanalibus erant feminae: Vales. ad Maussac. p. 202.

Ceterum in balneis utrique ſexui communibus fuiſſe ſtatuas Hermaphroditorum, Anthol. IV. 12, 42. docet. Et huius ipſius fortaſſe hermaphroditi fuit ſtatua in quodam balneo. Alteram huius tabulae figuram ſunt nonnulli, qui Pelopem putent, ludorum Olympicorum auctorem, in quibus victores ſolebant olea coronari: plurimis tamen hic exprimi Camillus videbitur, ſacrificiorum miniſter. Quid columella ſibi velit, quam caput ſuſtinet, Vitruvio doctore discas, qui VI, 10. de variis rebus verba faciens, quae aedificio venuſtatem decusque concilient, *quemadmodum*, inquit, *mulieres ſtolatae ex marmore, quum pro columnis in opere ſtatuuntur, dici ſolent caryatides, ita, ſi qua virili figura ſigna mutulos aut coronas ſuſtinent, telamones vel Atlantes appellantur.*

Simillimas inter ſe, et praecedentibus duabus omni fere ex parte congruentes picturas tres ante oculos ponit tabula XXXV. Tres iſtae figurae omnes peraeque nudae et coronatae, et caput faſciolis cinctae, tenent ramum oleaginum, prima quidem manu dextra, reliquae duae ſiniſtra. Dextram primae onerat diſcus: ſiniſtram reliquarum caniſtrum, in quo aliquid eſt, quod, colore fere deleto, diſcernere non licet. Capita eodem modo terminantur, niſi quod in figurae primae capite duo harpaginetuli cum annulo conſpiciuntur. Inſiſtunt omnes baſibus inter ſe ſimilibus, quae tamen quid exprimant, vix dixeris.

Duplicem viam in explicandis hiſce figuris doctiſſimi enarratores ingrediuntur: alii Camillos pictos volunt, alii victores ludorum gymnicorum. Qui Camillos volunt, contendunt in diſco caniſtroque vas eſſe aliquod ſacrum, vel aliud quid ad ſacrificia pertinens. Cui explicationi auctoritas accedit a nuditate miniſtrorum, de qua Saubertus, et Stuckius, et Begerus Th. Brand. p. 143. Poſſunt etiam in caniſtro eſſe partes victimae farina conſperſae, Diisque offerendae. Conſtat enim, apud Graecos Romanosque alias victimae

ſtimae partes Diis oblatas, alias ſacerdotibus, miniſtrisque ſacris, tanquam paraſitis, cerycibus, victimariis, fuiſſe diſtributas, Athen. VI, 8. Ariſtoph. Plut. 1186. aliquas reliquias porro domum miſſas, alias amicis, Theocr. V. 139. Dionyſ. Hal. A. R. VII. Ad ſacra porro peragenda legi ſolebant iuvenes formoſi, Apollon. Rhod. I, 406. Qui dicunt, hic pictos eſſe ludorum gymnicorum victores, his convenire dicunt oleam et taeniam, denique id, quod manu tenent, eſſe praemium victoriae. Praemia enim non tantum coronae, ſed et paterae, aliaque aurea vaſa, veſtes, pecunia, Paſchal. de Coron. V, 7, et 14. VI, 5. De harpaginetulis, h. e. inſtrumentis in ſummitate aduncis, quibus capi aliquid rapique poteſt, dicta quaedam ſunt ad Tab. XXXIX. n. 12. voluminis primi. Quod ad telamones attinet, alii putant, hoc non niſi arbitrio pictoris deberi, quod telamones iſti terminentur aliqua ancora: alii vero quatuor iſtas ſtatuas fuiſſe in triclinio, vel porticu quadam diſpoſitas, annulos autem iſtos inſerviiſſe transmittendis funibus et ſuſtinendis velis, aulaeisque, quibus et porticus et triclinia exornarentur et operirentur, Plin. XIII, 9.

Tabula XXXVI. exhibet columnam, vel potius partem columnae, ex marmore viridi, cui tabula quaedam impoſita eſt, in qua ſtat caper colore aureo. Surgunt eodem loco duae aliae columnae, ſed ſubtiliores. Parvo intervallo apparet columna ſtriata, et inferius portae alicuius arcus. Ex latere oppoſito eſt alia columna, variis frondibus ornata, dein alia pars columnae ſtriatae. Ex alto pendet ſcutum cum encarpo, hoc eſt, ornamento, quod florum frondiumque implexus contextusque efficit. taeniis, ſeu faſciis dependentibus. In medio cernitur muliercula, coronata hedera, capillis in humeros fluentibus. Siniſtra tenere pulvinulum videtur, in quo ciſtula, cui mulier dextram imponit. Sub pedibus eiusdem mulieris eſt ſpatium quadrilaterum oblongum, in quo duo ſunt galli, ramus palmae, et vaſculum.

Simu-

Simulacrum capri nonnullis opinionem attulit, in hac pictura repraesentari aliquod templum Bacchi, cui caper gratissima victima. Scuta in fastigiis vel frontibus sacrarum aedium fuisse posita, docet Pausanias V, 10. et 12. Docent et alii. Mos etiam antiquus, suspendere scuta subactorum hostium in templis, Pausan. X, 11. item scuta, in quibus imago devicti hostis, Liv. XXV, 24. Denique scuta, in quibus maiorum imagines, et personarum illustrium, Plin. XXXV, 2. Mulier hedera coronata fortasse in eo est, ut sacra Baccho faciat. Pulvinulum vero illum non male dixeris pulvinar sacrum, quale in lectisterniis circa altaria Deorum, velut epulandi causa, sterni solebat, in quo imago vel statua Numinis collocaretur. Casaub. ad Suetonii Iul. 76. Duo galli infra mulierem conspicui, seque invicem petentes, quibus palma interiacet, exprimunt fortasse certamen gallorum gallinaceorum, seu illud spectaculum, de quo Plin. X, 21. Aelian. V. H. II, 28.

Tabula XXXIX. habet figuram alatam, cuius collum ornat monile gemmatum, manus vero armillae itidem gemmis distinctae. Est ex parte pallio albo velata. Pedes soleae muniunt, quas rubra vincula iisdem innectunt. Sinistra tenet pateram, dextra vasculum, cuius operculum refert sphingem.

Hanc alatam mulierem alii Heben putant, de qua Homerus, Pausanias, et Strabo, alii Victoriam. Qui hanc pictam existimant, vas illud, quod in dextra est, pertinere dicunt ad sacras lustrationes et sacrificia, quibus post reportatam victoriam gratus animus declararetur. Addunt ex Feithio A. H. I, 6, veteres manus abluisse cum alias in re sacra, tum post victoriam: Sphingem porro in hac figura videri aliquod mysterium indicare, Sueton. Aug. L. Quin ex hac ipsa Sphinge nonnullis doctissimorum interpretum nata est suspicio, agi hic de victoria viribus ingenii, non viribus corporis, reportata, mulieremque alatam fortasse dicendam esse Vacunam, a Sabinis cultam, eorumque propriam, qui sapientia

tia vincunt. Porphyrio ad Hor. Epiſt. I, 10, 49. Varro de L. L. IV. Gyrald. Synt. de Diis X. p. 323. Sed haec tamen non ſatis certa.

Vix vero dubites, mulierem alatam in tabula XL. conſpicuam, geſtumque ad ſimilitudinem volantis componentem, eſſe Victoriam. Habet ſolutos humerisque infuſos crines, ſed non ſine lege, in fronte certe compoſitos. Veſtis eius longa, diſcinctaque, et candida. Strophium vel faſcia pectoralis tumorem mammillarum cohibet. Nudi ſunt pedes. Siniſtra manus ſcutum tenet; dextra coronam querceam ſplendentem auro nativo.

Ut Victoria eſſe videatur, faciunt alae, volatus, Strophium, veſtis alba, ſcutum, corona quercea, cuncta a pictore ei adiuncta. Primo alatam Victoriam exhibent quamplurima antiqua monumenta. Volantem ſecundo facit Auſonius. Quando et quomodo alas acceperit, tradit Athenaeus. Quis primus alatam pinxerit, docet Schol. Ariſtoph. Av. 575. Tertio Prudentius adv. Symmachum II. Victoriam dicit viraginem nudo ſuſpenſam pede, ſtrophioque revinctam. Quarto veſtem albam albasque alas illi tribuit Silius Ital. XV, 99. Quinto ſaepiſſime victoriam obſerves altera manu coronam, palmam altera, praeferre, ſcutumque vel ad latus habere, vel in manu: Beger. Th. Brand. p. 742-751. 807.

In tabula XLI. ſtylobates, cui incumbit haſta praelonga, ſuſtinet ſcutum, exhibens effigiem Palladis, gladio victum et proſtratum Pallantem obtruncantis. Scutum portat Genius chlamyde amictus. Ante ſtylobaten eſt ara flammam fundens, cui liquorem ex patera inſpergit Victoria alata et coronata, et ex parte candido panno cincta, nudum habens brachium dextrum totum, nudam mammillam dextram, nudos denique pedes. Siniſtra tenet galeam aurei coloris cum criſta rubra. Ex altera parte conſpectui ſe praebet Genius velatus violaceo panno, a cinctu usque ad medium fe-

mur. Sinistra portare videtur pateram herbis plenam, dextra autem arae admovet ovem. Post stylobaten apparet aedificium cum oleis arboribus.

Quae huic descriptioni adiectae sunt observationes, earum praecipuae hae sunt. Frequenter quidem occurrere Palladem hastatam, sed raro Palladem cum gladio; Albricum tamen de D. I. c. VIII eam facere *gladio accinctam:* deinde a Pallante gigante, quem hoc loco Pallas obtruncat, distinguendum esse Pallantem, quem ferunt Palladis patrem: porro propriam Palladi esse aegida, seu scutum, seu clypeum, poetasque aegida videri pro clypeo ponere, etsi aegis sit proprie thorax potius, quam clypeus, et quidem thorax, in cuius medio sit Gorgus caput, veteresque hoc caput nunc in scuto ponere, nunc in thorace: denique Victoriam a Pallade vix differre, quum utriusque pater feratur Iupiter, quum utraque existimetur ex capite Iovis nata: ad ultimum, galeam in capite, scutum, hastamque, esse fere ea, quibus Minerva agnoscatur. Quaerentibus, cur pictor iuvenem fecerit arae admoventem victimam? respondetur, artificem fortasse respexisse id, quod tradat Pausanias, in templo Minervae Cranaeae sacris praefuisse aliquem ex impuberum numero delectum, annis quinque perpetuis sacerdotio fungentem, seque eo abdicantem ubi pubescere coeperit. Alias non diffitentur, a pictoribus Genios effingi, ad exprimenda diversa officia et ministeria cuiuscunque artis et exercitii. Sacra autem Minerva facta etiam ove, probant ex Homero. Tandem rationem reddituri, cur hic aedificium cum oleis pictum sit, hoc aedificium dicunt designare posse arcem Minervae Victoriae apud Pausan. I, 22 et 42 hanc enim arcem cinctam oleastris fuisse, Meurs. Cecrop. IV. Posse etiam designare templum Minervae, vel habitationem ministrorum.

Tabula XLIV. tres diversas picturas obiicit oculis. In prima vides Venerem marinam. Deae collum ornat monile,

Digitized by Google

le, brachia duplices armillae. Velum partim defluit in aquam, partim eum videtur praeſtare uſum, quem velum navis. Equo marino ita vehitur, ut pedum plantae aquae ſuperficiem feriant. Frenorum alterum dextra Veneris tenet, alterum ſiniſtra unius ex Amoribus, cuius in dextra ciſtella eſt. Poſt Deam volat alius Amor, umbellam manu praeferens, quaſi Deam a ſolis ardoribus ea defenſurus. Praecedunt prior delphinus, poſterior Triton iuvenis, cuius in dextra eſt buccina, in ſiniſtra aliud inſtrumentum. In ſecunda pictura duo Amores hircis inequitant, altera manu habenas moderantes, altera flagellum tenentes. Ab utraque extremitate ſurgunt metae ex frondibus. In tertia pictura duo pumiliones conſpiciuntur, pugillatu ſe exercentes, quorum alter humi proſtratus, ſublata manu ſe victum fatetur, alter pugnos arcte vehementerque comprimit, quaſi ictus plures in adverſarium ingeſturus. In utraque extremitate ſunt vaſa collocata cum duabus palmis. Prope vaſorum alterum humi iacet patera. Quae ad has picturas explicandas afferuntur, pertinent ad Venerem πoντίαν ſeu marinam, et anadyomenen, quam poetae et artifices ſaepe fingunt per mare vehi nunc conchae inſidentem, nunc tritonibus, nunc etiam delphino inſiſtentem: Beger. Theſ. Br. p. 178. 197. Pictura Veneris hic eiusmodi eſt, ut lucem adferre poſſit Claudiano de Nupt. Honor. v. 152. Ciſtella, quam alter Amorum manu praefert, eſt fortaſſe vas unguentarium, quod certe Claudianus Amoribus tribuit, Epithalam. Pallad. et Celer. Quemadmodum hic alter Amorum umbella ſolis ardores a Venere arcet, ſic Apuleius Met. IV. p. 157. comitatum Veneris deſcribens, Tritonum aliquem ſerico tegmine flagrantiae ſolis obſiſtere ait. Inſtrumentum, quod Tritonis in ſiniſtra eſt, aliqui pro remo, aliqui pro conto, aut ſimili inſtrumento, aperiendis ſyrtibus navibusque movendis idoneo, agnoſcunt, moti verbis Virgilii Æ. I, 149. V, 208.

Cupido hirco inequitans hic fere exprimitur, ut in Anthol. I, 33, 28. et apud Beger. Th. Br. p. 176. Non

indignum memoria eſt, quod Heſychius ſcribit, regum filios primum doctos fuiſſe inequitare hircis. Cognoſcendi cupidi, quae de more manum tollendi, ab illis obſervari ſolito, qui ſe victos faterentur, leguntur, amandantur ad Theocritum Idyll. XXII. v. 128. et Fabrum Agoniſt. I, 8. oſtenditurque, hunc morem Ciceronem reſpicere apud Lactant. III, 28.

Tabula XLVI. opus architectonicum obiicit oculis miro modo conſtructum, in quo praecipue animum in ſe convertit elephas, qui pullo elephantino ſeu animali alius generis proboſcidem admovet, veluti eum complectens, et per luſum attollens. Integumentum reticulatum non modo animalis totum corpus usque ad pedes velat, ſed etiam proboſcidem ipſam.

Aedificium in hac pictura doctis interpretibus portio videtur eſſe theatri. Conſtat ſaepe uſum aliquem in theatris fuiſſe elephantorum, nunc cum hominibus, nunc cum aliis ferocibus beſtiis pugnantium, nunc per catadromum, ſeu per extentos funes ſpectaculi cauſa ambulantium, nunc cum animalculis minutis ludentium, nunc a ſpectatoribus proboſcide ſtipem accipientium, id quod locum fecit ioco Auguſti Suet. LIII. De more elephantos lorica tam ferrea, quam aurea, muniendi, tam adverſus arma hoſtilia, quam luxus cauſa, Spanhem. de U. et P. N. diſſ. III. Interim quod in elephantis loricae ſpeciem prae ſe fert, non tam lorica eſſe videtur, quam cutis ipſa eorum cancellata, ut eam Plinius VIII, 10. nominat.

In tabula XLVII. vel atrium videtur expreſſum eſſe, vel veſtibulum cum grandi et magnifica corona, quam fabri etiam cornicem appellant, de qua Vitruv. II, 8. Eius in medio ſuſpenſum eſt ſcutum, in quo capitis effigies adumbratim ſubobſcureque picta videtur. Conſueſſe autem veteres,

teres ſcuta ſeu clypeos ſuſpendere cum imaginibus maiorum, nunc in loco ſacro et publico, nunc in atriis privatarum aedium, patet ex Plin. XXXV, 3. Senec. de Benef. III, 28. aliisque.

In tabula XLVIII. vides duo ruſtica aedificia. Prope primum eſt mulier habens in manu longam perticam, et duo pueri, item aliquis cum tegumento capitis, habens humero impoſitum lignum incurvum, ex cuius duabus extremitatibus bina receptacula inſtar ſaccorum pendent.

Longa pertica mulieris eſt fortaſſe *ῥαντῆρα*, id eſt pertica fructibus ex arbore decutiendis, Pollux VII, 46. X, 129. Lignum incurvum cum duobus ſacculis pendulis eſt *ἀνάφορον* Ariſtophanis Ran. 8. Cuius generis ligna in antiquis monumentis nunc habent pendulas crumenas, nunc uncos, aut corrigias. Iſidorus *porticula* et *portitoria* dici ait.

In tabulis LI. LII. LIII. LIV. octo ſunt picturae orbiculatae, quarum prima oculis obiicit mare, aedificia, homines, naves, vaſa etc. Doctis interpretibus inde occaſio naſcitur verba faciendi de luxu et inſania illorum Romanorum, qui iactis ultra litus in mare molibus aedificabant, item de nimio ſtudio villas habendi piſcinasque, de quo Macrobius, Plinius, Varro, Vitruvius. Addimus Horatium II. od. 15. od. 18. III. od. 1. Secunda pictura varia exhibet aedificia, in quorum alio urna, in alio praeter urnam etiam ſertum, et aliquot homines, qui manu praeferunt pateras. Credibile eſt, aedificia huius generis eſſe monumenta ſepulchralia, ſeu urnas cinerarias, et ſerta et pateras reputes, ſeu conſuetudinem ſepulcra ad litus vel ad ripam conſtruendi. In tertia pictura ſunt aedificia cum turribus itidem in mari poſita, columnisque innitentia. In litore eſt templum, ex cuius faſtigio ſurgit ornamentum floris inſtar, et quod Vitruvius IV, 7. *florem* nominat. In quinta pictura, quae eſt tabulae LIII,

praeter multa alia etiam ambulatio contecta, seu cryptoporticus exprimi videtur, cui oppositas dicas ambulationes apertas et sub dio, quas Vitruvius ambulationes hypaethras vocat. A cryptoporticu Sidonius II. ep. 2. videtur hypodromum distinguere. Hypodromus est fortasse deambulacrum, non undique, sed ex parte contectum, habens et tectum et columnas, sed nec muros nec parietes. Cryptoporticus clausa est ab utroque latere, habens parietes cum fenestris, ut Plinius diserte dicit II, 17. v. Iuven. IV, 5. VII, 178. Porticus vero, seu ambulationi, seu gestationi destinatae, solebant esse circulares, v. Graev. de vill. antiqu. structura c. 8. In eadem pictura clarissimi auctores sibi observare videntur *tonsillas*, id est, palos dolatos in acumen, et cuspide praeferratos, qui configebantur in litore, navis religandae causa, v. Festus.

Denique ibidem cernitur aedificium, quod ad septizonium similitudine accedit, de quo Suetonii interpretes ad Tit. c. I. Septima pictura, quae est tabulae LIV. complectitur et alia aedificia, et porticum magnam, eamque lateribus apertis in mari aedificatam, quam interpretes coniiciunt esse vel ambulationem, vel gestationem apertam, vel xystum exercitiis gymnasticis inservientem. In ultima denique pictura orbiculata sub adspectum cadunt duo templa, quorum in fastigio videtur esse cornu copiae, fortasse ad denotandam rerum abundantiam, quae oram istam maritimam beat. Sed potest etiam aliquid esse, quod candelabri vicem praestet, super quo accensi noctu ignes navigantium cursum regerent. Inter duo templa surgit alta trabes, cuius in vertice est rotula. Huius trabis in litore erectae idem videtur usus esse, qui mali in navibus. Malum autem cum aliis usibus inservire, tum pro specula esse constat, Liv. XXX, 20. Ovid. M. III, 615. Festus in *Corbita: corbitae dicuntur naves onerariae: quod in malo earum summo pro signo corbes solerent suspendi.* Unde Dacierius ad Festum

in

in *Simpludiaria*, a *corbitis* dictos putat *corbitores*, qui per corbitarum h. e. navigiorum malos reperent ad vela legenda, vel ad aliud quid: quos Scaliger potius *corvitores*, id est, *cernuatores* dicendos existimat. Erunt igitur, qui rotulam illam hic esse corbem, vel vice corbis, arbitrentur. Sed quum duo illa templa sint fortasse sepulchra, trabs media inter illa poterit indicare defunctorum obitum in loco peregrino, v. Potter. IV. 7. qui ad Theocriti Idyll. XXIV. quod inscribitur Ἡρακλῆς v. 30. provocat, rectius provocaturus ad Idyll. XXII, quod inscribitur Διόσκουροι v. 207. sq. Aliquo intervallo in campo ingens aedificium est, cum porticibus trium contignationum, ut dicere possis δῶμα τρίστεγον cum Luca Act. XX, 9. Fuisse veteribus talia aedificia, tales etiam porticus, patet ex Liv. XXI, 62. Philostr. Icon. I. praef.

Tabula LV. exhibet portum magnificum, multis aedificiis cinctum, cum porticibus et turribus: prorsus ita constructum, ut Vitruv. V, 12. praecipit. In primo maris sinu sunt tres cymbae: cymba etiam est in ipsis secundi sinus faucibus, qui portum efficit, cuius in medio sunt quatuor navigia velis ciliciis, ut videtur, operta, ad arcendum vel solem, vel pluviam. Varro de R. R. II, 11. Ex uno eorum navigiorum senex quidam innitens baculo in litus descendit per ponticulum ἀποβάθραν, vel ἀναβάθραν, vel etiam διαβάθραν, Pollux I, 93. Ab utroque portus latere sunt duae moles, inaedificatae arcubus grandibus in mari, quarum latera parietibus cancellatis munita sunt. Ornatus causa, versus extremitatem utriusque est porta. Primae portae insistunt duo Tritones, tenentes altera manu buccinam, altera contum vel faculam. In porta altera videri possit esse figura Scyllae, canibus succinctae. Tum vero hic portus esse Siciliae dicendus esset, aut Scyllaei promontorii, oppidique vicini. In litore statuae quaedam columnis sunt impositae, partim muliebris, partim virilis formae, exprimen-

mentes forte Deos, Deasque marinas. Prima statua est procul dubio Priapi λιμενίτου. Anthol. I, 56. epigr. IV - XII. In extremitate molis in mare iactae, fluctibusque oppositae, est Hermes, vel potius Hermula cum petaso. Mercurio locum in portu tribui, tanquam Deo ἐμπολαίῳ, nemini mirum videbitur. Sunt inter doctissimos explanatores, qui portum Ostiensem a Claudio Caesare extructum Sueton. Claud. 20. pictum putent: sunt etiam, qui sinum in litore Campano, qui *Crater* dicitur: sunt denique, qui utrumque parum verisimile existiment. In portu Ostiensi fuisse templa et statuas Portumni, Fortunae, Bacchi, Spei, Felicitatis, et aliae, colligas ex monumentis antiquis Ostiae repertis. Sed de reliquis dicemus proxime.



Digitized by Google

NOVA ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipsiæ

Calendis Maii et Iunii Anno MDCCLXIV.

LE PITTURE ANTICHE D'ERCOLANO E CONTORNI CON QUALCHE SPIEGAZIONE, etc.

i. e.

PICTURAE ANTIQUAE EX HERCULANO ET vicinis locis erutae, atque in aes incisae, cum animadversionibus. TOMUS II.

Neapoli 1760. e typogr. regia, charta max. pagg. 339. tabb. 60.

Recensio altera.

Tabula LVI. LVII. LVIII. continet effigies diversarum rerum mensis apponendarum, avis cristatae, leporis, malorum, lucanicae, anseris, granati aperti, cuius generis picturae xenia dicuntur Vitruv. VI, 10. In una earum avis ita est pendula, ut rostrum eius annulus transeat, annulum autem clavo haereat. Unde apparet, non fuisse veteribus illos orbiculos aereos vel ferreos incognitos, ita factos, ut duae extremitates et divelli possent, et coniungi. Circites dicuntur tales annuli Festo et Varroni. Tales fuere Gallorum apud Diodor. Sic. V, 27. In medio picturae, quae

eſt Tabulae LIX, apparet intuentibus ara quadrata, cum accenſo foco, et iam in altum ſpargente flammas. Super baſi, utrique arae lateri adſtant duae ibides, et circum aram ſunt undecim homines diverſae aetatis, diverſi ſexus, et habitus, diverſorum etiam geſtuum. Inter quos praecipuo oculos in ſe convertit mulier nixa genibus, candida tunica, veſteque exteriore rubra, eaque fimbriata, amicta, dextra praeferens ſiſtrum, ſiniſtra pateram haud dubie frugibus, ſpicis, herbis plenam. Capite eſt coronato: crines habet ſolutos, pedesque non ſecus ac reliquorum adſtantium ſunt nudi. Poſt eam ſtat puella, dextra tenens vas ſacrificale, habens in capite caniſtrum, quod ſiniſtra ſuſtinet. Prope hanc duae ſunt mulieres, altera ſolutis crinibus, raſo capite altera, tenens ſiniſtra ramulum, dextra ſiſtrum. Ea eſt nuda ad cincturam usque, unde albus pannus pendet, operiens eam pedibus tenus. Ex altera parte oculis occurrit ſenex ſubmiſſis genibus, et manibus ſupinis verſus coelum ſublatis preces faciens. Senex iſte eſt calvus: dimidium eius corpus nudum, reliqua pars, eaque inferior, panno albo velata. Senis huius tergo adſtant tres homines veſtiti, inter quos eſt primo mulier, dextra tenens lignum aliquod fiſſum, cuius tres haſtae ſunt transverſae, quod videtur inſtrumentum muſicum eſſe, idque argutum et ſonorum, forte *κάλαμος χιζόμενος* Schol. Ariſtoph. ad N. 259. aut *δίζυξ χαλκὸς*, cuius meminit Nonnus, v. Scalig. in Copam Virg. in Append. p. 520. Salmaſ. ad Vopiſcum p. 492. vel ſpecies ſiſtri. Eadem mulier ſiniſtra tenet herbam vel ramulum. Praeter eam adſtant puella et ſenex, porro alia puella, nulli negotio intenta, porro mulier, ſeu tuba ſeu tibia canens, denique mulier ſiniſtra tenens trium annulorum catenam, dextra autem inſtrumentum ſimile circello, quem tanquam dimetiens tranſit haſta, et quem ambiunt tintinnabula. Sequitur templum: in quod qua aditus eſt, ſunt quinque gradus, duae columnae, et epiſtylium. Templo contigui a duobus lateribus duo muri, et arboretum. Inter arbores eſt palma. Columnas ambit hedera. Superiori parti

cuius,

Digitized by Google

cuiusvis columnae additus est palmae ramus. Corona frondea pendet ex templo medio. In templo ipso ex hominibus sex duo sistra concutiunt, tertius cymbalum pulsat, quartus tollit indicem dextrae, quasi admonens arcani celandi. Quinta persona est puella, quae aut digitis gesticulatur, aut instrumento aliquo sonos musicos edit. Ad ultimum et sexto conspiciendum se praebet homo barbatus, colore fusco, caput frondibus cinctus, veste violacea, eaque arcta, et tam alte succincta velatus, ut brachia, ut pedes, crura, ipsaque femora nudentur. Praebet speciem saltantis. Vix dubites, hanc picturam ad sacra Isiaca pertinere. Ex ea lucem accipit locus Apuleii M. XI, ubi pompam Isiacam describit. Catena illa quatuor annulorum, quam mulieris sinistra tenet, lucem aliquam adfert Lucretio II, 630. ubi legimus, tales catenas usitatas Curetibus fuisse in festo magnae matris. Ibi interpretes *ludere catenas* explicant, *per manus reste data inter se ludere et in numerum saltare, et formare quasi catenam, vel catenas in choreis ducendis imitari.* Sed videntur Curetes manibus veras catenas ferreas tenuisse, quas saltantes tangerent quaterentque, ut strepitum quendam harmonicum ederent. Haec consuetudo proprie usurpata in sacris Magnae Matris potuit locum etiam habere in Isidis sacris, quam nonnulli esse ipsam Magnam Matrem putant. Si circellus ille, quem tintinnabula ambiunt, per cuius medium bacillus, tanquam dimetiens, transit, crotalum est, id quod locus Io. Salisberiensis verisimile facit, ut docti interpretes observant: diversae formae crotala fuerint necesse est. Nam in marmore antiquo pompam Bacchantium referente, quod Swartzius explicat in Miscell. politioris humanitatis p. 95, occurrit Baccha crotalistria, quae utraque manu crotala percutit, quae non sphaerulae figuram habent, sed composita esse videntur ex duobus calamis seu bacillis, vel aereis, vel ligneis, ex altera parte coeuntibus, ex altera divaricantibus. Quae loco de crotalis uberius et distinctius, quantum scimus, quam quisquam alius, exposuit Schwartzius, docuitque crotala fuisse instrumenta, quae digitis percussa raucum sonum

ederent, vocemque ciconiae imitarentur; deinde ex arundine calamisque scissis fuisse facta, interdum etiam ex testa, ligno, aere; denique conveniisse quodammodo cum parvis illis instrumentis musicis, quae *castagnettes* a Gallis vocantur; ad ultimum diversa instrumenta fuisse crotala, cymbala, et scabilla. Sed erunt, qui sibi videre videantur in pictura nostra non tam crotalum, quam discum illum crotalophoron, quem describit Franc. Blanchini de tribus generibus instrumentorum musicae veterum organicae p. 58. Secundum hunc discus crotalophoros est vas concavum, lancis discive formam habens, cuius ora foraminibus pervia est, ex quibus tintinnabula pendent, ut sonus acutus tintinnabulorum iungatur sono gravi aeris ipsius seu disci. Idem Blanchini exhibet imaginem talis disci crotalophori, in quo, non secus ac nostra in pictura, novem tintinnabula numerare licet. Fuit inter doctos interpretes, qui coniiceret, hac pictura exhiberi chorum Isiacum, cuius mentionem faciat Apuleius M. XI.

Tabula ultima, quae est LX, non secus ac superior, ad sacra Isiaca pertinet. In medio est ara, quam ambit encarpus. Arae imposita sunt ligna. Ei adstat minister Isiacus, tenens manu flabellum, cuiusmodi et hodie occurrunt, accensurus focum iam flammas fundentem. Lateri huius haeret alius minister velatus longa et adstricta et candida veste breves manicas habente. Praefert dextra longum baculum, sinistra autem instrumentum simile ensi cum longo capulo. Adstant complures alii, diversae aetatis, sexus, et habitus, qui partim tibias inflant, partim ramulum, sistrum, cymbium, manu tenent. Ad utrumque templi latus duae sphinges, florem loti in capite habentes, comparent. Circa aram sunt ibides etc.

Vestem illam adstrictam cum brevibus manicis comparant docti interpretes cum veste nivea et catacliста Apuleii M. XI, qua Isiaci amicti esse dicuntur. Monent, Beroaldum *vestem catacliстam* interpretari *vestem undique clausam*, et sic dici a *κατακλείειν*, vel *vestem mutilam, quae careat manicis*, et

sic

sic dici a κατακλᾶν. Sed longe aliter accepit *vestem cataclistam* Salmasius ad Tertullian. de pallio p. 176. sq. et vir doctus ad Callim. fragm. XVI. p. 238. Nempe κατάκλειστα dicuntur, quaecunque pretiosa sunt, ut servari diligentius et clausa teneri mereantur. Hinc puellae virgines κατάκλειστοι, hinc meretrices κατάκλειστοι. hinc denique βιβλία κατάκλειστα. Quam explicationem viros doctos putem multum praeposituros Beroaldinae.

Inter minores picturas, quae ornamenti causa vel praepositae narrationibus in capite, vel subiectae, digna est quae consideretur ea, quae praemittitur narrationi tabulae secundae.

In ea exprimitur cistula cylindracea, quae scripta continet, posito ad latus operculo. Alia parte sacculus est clausus, alia sunt monetae vel calculi. Sub adspectum etiam cadit liber bipatens, seu tabellae duplices seu diptychae, cum nonnullis characteribus, qui discerni nequeunt. praeterea alius liber, vel plures libri clausi. Nobis eorum coniectura quam proxime ad verum videtur accedere, qui sibi in hac pictura videre videntur tabellam librariam cum capitulo, hoc est, tabellam, in qua pueri scribunt, literasque discunt, cuius forma quadrata esse solebat, quaeque in summa parte appendiculam habebat, seu capitulum, saepe perforatum, ut posset suspendi. Varro de *R. R. III*, 5, 10. Haec omnia conveniunt huic picturae, si foramen excipias, quippe quod haud apparet. Neque magnopere repugnarem, si quis diceret, cistulam istam libris plenam esse capsam, sacculum esse loculum calculis refertum, et tabulam esse tabulam loculatam, lineis distinctam, ad usum ducendorum calculorum. De capsa Horat. I. Sat. 4, 22. et alibi. De loculis tabulaque idem Horatius I. Sat. 6, 74. quo loco loculi et tabula duo esse diversa possunt, loculi calculorum, et tabula, in qua calculi ordinantur; possunt vero etiam per ἓν διὰ δυοῖν esse tabula loculata. Hoc sensu accepit Gesnerus: illo Scholiastes. Hac explicatione admissa dicerem, pictorem omnem supellectilem literariam pueri ad scholam euntis oculis voluisse

luisse subiicere, capsam, calculos, loculos, tabulam literariam.

Tabulae IX. elegantissima pictura praeponitur, in cuius medio duo vasa rotunda visuntur, alterum alteri adiunctum, et opercula eorum, et calamus scriptorius, qui ex altera parte solo, ex altera vasi, incumbit. Prope ista vasa utrinque sunt duo libri, alter semiapertus, in quo sunt aliquot lineae seu versus characterum, qui videntur esse latini, si omnes ex paucis aestimes, qui satis distingui possunt: alter est liber oblongus apertus, in quo itidem sunt characteres, quos non internoscas. Visitur etiam instrumentum triangulare.

Credibile est, vas istud esse asservando liquori, vel pigmento, cuius ope literae papyro vel chartae inscribi solent, et, quod vulgo atramentarium, graece μελανοδοχεῖον vel μέλανος δοχεῖον dicitur. Ut ex multis veterum monumentis constat, eius figura apud veteres fere cylindracea, vel polygona. Ad literas atramento exprimendas utebantur veteres calamo vel canna, qualis hic depicta est: quales calami Celso calami *scriptorii*, Apuleio *chartarii*, dicuntur. Plinius XIV, 16. Calami Aegyptii, inquit, maxime et Cnidii, chartis serviunt. Clemens Alexandrinus Strom. V. calamum appellat κοῖνον, quia calamus Aegyptius est species iunci. A calamo theca calamaria dicitur, in qua calami conduntur, Sueton. Claud. 35. Martial. XIV, 19. Talis theca vasculum illud clausum esse videtur, cui innititur calamus hic pictus. Fuere tamen, qui sibi videre hic viderentur vas liquore aliquo a superiore diverso, et forte rubro plenum, quo constat veteres usos fuisse in titulis librorum, et speciatim legum. Unde libri rubricati apud Petron. c. 46. In primo versu libri semiaperti legitur *quisquis*, in penultimo *maxima*, in ultimo *cura*. Literae q, u, r, s expressae sunt minusculo charactere. Id quod conferre aliquid potest ad definiendam aetatem, primumque usum literarum minuscularum apud Latinos. Qua de re se in posterum pluribus exposituros interpretes promittunt. Verum est, nec in numismatis, nec mar-

marmoribus, nec in MSCtis primi post natum Christum seculi, vel characteres minores occurrere, vel signa accentuum. Sed exinde haud quaquam cogi docent docti interpretes, quod multi sumunt, veteribus minorum literarum accentuumque signa plane fuisse ignota. Si consideres, Aristophanem Byzantinum spirituum accentuumque primum ferri auctorem, si perpendas, quid de usu accentuum disserte Athenaeus et Plutarchus dicant: recte fortasse statues, non vulgo ab omnibus signa ista admissa fuisse, sed a grammaticis duntaxat in ludis literariis usurpata, v. Hermannus Hugo de prima scrib. or. et ad eum Trotzius. An in marmoribus latinis aetate Augusti accentus occurrant, quaerit Norisius Cenot. Pisan. p. 488. Historiam autem aetatemque minuscularum literarum tradit Diplomatica P. P. S. Mauri T. I. p. I. c. 15. et ult., ut mittam Montefalconium in Palaeographia graeca. Negari nequit, minorum literarum vestigia non modo in numismatis tertii seculi inveniri, sed et ante Augusti aetatem, ut fuisse veteribus duo scribendi genera videantur, antiquissimum, ad quod pertinent characteres maiusculi, quorum usus fuit in monumentis publicis, et apud eos, qui vellent eleganter scribere: recentius, ad quod minores literarum figurae pertinent, quarum usus apud eos, qui elegantiam non magnopere curarent.

Quod ad duo libros, oblongum et cylindraceum, attinet, alterum esse interpretes putant tabulam vel ligneam, vel alius materiae, alterum autem papyrum vel chartam. Attentione dignum est, duas tabulas esse inter se coniunctas, unde fortasse non male colligas, quemadmodum diptycha constant duabus paginis vel tabellis, ita polyptycha composita ex pluribus tabellis fuisse, ita, ut vincula quaedam annulive extremitatem unius iungerent extremitati alterius in eum modum, ut tabellae explicatae efficerent longam seriem, implicatae autem altera alteram operiret. Unde lux Martial. VIII, 44. XIV, 4 et 6. Instrumentum triangulare sunt, qui putent librum esse in trianguli vel Δ figuram complicatum, cuiusmodi liber dicatur δίλτος vel δελ-

τίον.

τίου. Sed sunt etiam, qui velint esse thecam vel receptaculum, in quo conderetur stilus plumbeus, scalpellum, aliaque huius generis instrumenta, de quibus Montefalconius in Palaeographia, Trotzius ad Hugonem, et Pollux X, 59.

Tabulae XI. subiiciuntur duae Sphinges, trahentes parvum vehiculum, in quo sistrum et hydria, hoc est, sacra supellex, cuius usus in sacris Isiacis.

Tab. XII. inter alias picturas abaco insistit figura, quae oculis obiicit superiorem partem corporis muliebris, tenentis manibus cycnum, et desinentis in encarpum. Coniiciunt interpretes esse Ledam. Subiicitur eidem tabulae aquila, quae oculos coniicit in vas aliquod sphaericum, cinctum frondibus; quas frondes aliqui volunt esse querceas, hoc est, arboris Iovi sacrae, cui aquila consecrata est. Vas autem illud sphaericum pertinere dicunt ad Iovem Brontontem. Apud Boissardum Iupiter Tonans seu Brontontes manibus tenet vas rotundum cum duobus manubriis, cui inscripta sunt verba: Iovi Sancto Brontonti. Montefalconius I, 2, 3. hoc vas referendum existimat ad strepitum tonitruum, qui similis esse sono videtur, quem tale vas edit percussum. Cuius Antiquarii explicationem videtur nostra pictura adiuvare. De vasis aeneis, quorum usus in theatro ad sonitum faciendum Vitruv. V, 5. Pollux IV, 127, 130. Schol. Aristoph. ad N. Ex duabus picturis, quae tabulae XVI. praemittitur, altera Isidem exhibet cum capite vaccae. Dea sistrum dextra praefert, idque figurae insolitae: sinistra autem pateram cum frugibus. Ante pedes habet instrumentum bifurcum, quod docti interpretes referendum coniiciunt ad artem agrimensorum, quam artem in Aegypto natum esse inundationibus Nili constet. In mensa Isiaca, aliisque monumentis Aegyptiis, multa instrumenta similia reperiuntur. Clem. Alexandrinus Strom. V. inter alia hieroglyphica nominat etiam διαστάσεως πῆχυν.

Tabulae XVIII. et XXVI. praeponuntur, tabulae vero XXV. subiiciuntur picturae, quae videntur praemia victoribus in ludis publicis data oculis subiicere, v. c. discum, vasa, tor-

Digitized by Google

torquem, veſtes, mala, palmas, coronas etc. Quae tabulae XXVI. praeponitur, praeter tripódas exhibet vaſa, coronam, ramum palmae, et fontem ſalientem ex marmore. Quaerentibus, quid ſibi fons ſaliens velit inter praemia victoribus data, Herculanenſes interpretes doctiſſimi reſpondent, athletas poſt exercitia ſua et certamina ſe abluere conſuevisſe, ut quum in gymnaſiis loca fuerint lavationi deſtinata, credibile eſſe, pictorem eo reſpexiſſe.

In enarrandis illis, quae hoc ſecundo volumine continentur, fuimus paullo longiores. Sed quum praeclarum iſtud opus pauciſſimorum ſit in manibus, quumque multos eſſe norimus, qui picturarum argumenta ſibi plenius declarari cupiant; viſum eſt horum deſiderio obſecundare. Non igitur veremur, ne noſtra haec opera aut nimia, aut putida lectoribus videatur. Si qui ſunt, qui cupiditate quadam etiam ad ea cognoſcenda ferantur, quae reliquis picturarum illarum voluminibus continentur; his ſpem haud dubie ſuaviſſimam facimus, hoc nobis curae fore, ut exponendis illis, quae tertium volumen et ſequentia complectuntur, brevi tempore eorum cupiditatem expleamus.

DE NOVA EDITIONE HESIODI ADORNANDA conſilium IO. BERNHARDI KOEHLERI, AA. M. Phil. et Hiſtor. in Acad. Kilon. Prof. Publ. Extraord. Acad. Hiſtoricae Goettingenſis, et Regiae, quae ibidem eſt, Societatis Teutonicae ſodalis.

Ne cui in adeunda ea, quae AUGUSTISSIMI PRINCIPIS beneficio, ſuperiori iam anno mihi demandata eſt Profeſſione Philoſophiae et Hiſtoriarum Extraordinaria, malum omen facere videar, praefando aliquid de *Heſiodo*, poeta. Neque enim hoc in hiſtorico reprehendendum exiſtumo, quod ſit poeta, quod poetas amet ac diligenter legat; modo ne ipſe in hiſtoria ſcribenda ingenio ſuo nimium indulgeat. Verum et hanc vim habeat, ve-

hementer opto, disputatio mea apud studiosos literarum, et historiae in primis, ut studia humanitatis, linguam Graecam maxime, et criticam artem, magis amare et colere incipiant. In his enim literis historiae infinitum quantum praesidii atque ornamenti positum est, tametsi nostra fere aetate ab ea solent esse seiunctae.

Mallem equidem, me hoc tempore aliquid scripsisse, quod felicem illam, de qua alio loco et tempore dicere constitui, literarum Arabicarum cum studio historiae coniunctionem insigni quodam exemplo doceret, vel *de Iakutis, Viris in Oriente Muhammedano ab eruditione illustribus*, fidem meam in praefatione ad *Abulfedae tabulam Syriae* datam liberasse. Sed utrumque prohibuit typorum Arabicorum in hac urbe defectus. Potuissem quoque, quod magis cum disciplinae meae rationibus convenire videbatur, consilium meum, quod dudum animo volvi, de edendis *Chronicis Slavicis Helmoldi* et Continuatorum *a*) breviter exponere; sed mihi ipsi, fateor, dubium est, an unquam hosce Scriptores sim editurus. Tametsi enim in eo laborem utilem ac necessarium susceperturus videor, et collationem *Helmoldi* ac maioris partis *Arnoldi* cum duobus Codd. MSS. iam confeci, neque aliis subsidiis destituor: me tamen vix unquam hisce curis abstrahi patiar a studiis meis Graecis atque Arabi-

a) Hoc loco non possum quin gratus commemorem summe Reverendi ac Perillustris *I. C. H. Dreyeri*, Lubecae meae ac literarum decoris, singularem erga me benevolentiam. Ille enim, dum mihi, ne consilium meum de edendis hisce Scriptoribus abiiciam, vehementer auctor est, benevole mecum communicavit librum rarissimum, *Chronicon Slavicum Germanicum, Helmoldini Chronici* continuationem, cuius interpretationem latinam edidit *Lindenbrogius* in *Script. Rer. Septentr.* p. 189. sqq. Eleganter de hoc libro et textu authentico Germanico exposuit Illustriss. *de Westphalen* in praef. Tomi III. *Monum. ined.* p. 2. sq.

Digitized by Google

Arabicis, mihi quidem multo iucundioribus. Exponam igitur, poſt breve de *Heſiodo* eiusque editionibus iudicium, de conſilio meo novae editionis adornandae, quo intelligatur, cui maxime ſtudiorum generi otii, quantum a publicis negotiis vacuo contingeret, impendere ſtatuerim.

De aetate *Heſiodi* multum iam a veteribus diſputatum fuit, neque nos quidquam certi habere exiſtumo. Ego quidem neſcio, malimne cum *Scaligero* patre *b*) iis accedere, qui *Heſiodum* ipſo *Homero* antiquiorem faciunt, quam qui iuniorem. Nam ratio, quam nuper ingreſſus eſt *Lud. Kuſterus c*), de aetate *Homeri* atque *Heſiodi* ex ingenio Scriptorum utriusque iudicandi, mihi quidem parum certa videtur. *Homerum* autem ait, *ob maiorem ſimplicitatem, remotiorem vetuſtatem redolere. Comtiorem eſſe Heſiodum et rotundiorem Homero, cui proinde Dionyſius Halicarnaſſeus, emunctae naris criticus, ὀνομάτων λειότητα καὶ ἁρμονίαν σύνταξιν tribuat.* Atque ego fere contra exiſtumo, ornatum maiorem ineſſe *Homero*, ſimplicitatem *Heſiodo*; tametſi haec ipſa ſummam ſuavitatem habet atque elegantiam. Quanquam in ea argumenti diverſitate, quae in carminibus utriusque obtinet, genus dicendi non poterat niſi diverſiſſimum eſſe. Ita enim raro admodum aſſurgit *Heſiodus*, aequalis ubique ac temperata oratio; contra *Homerus* ſemper altius petit. Alia iam ratio eſt in *ſcuto Herculis*, ubi *Heſiodus* quoque pro argumenti dignitate ſublimior eſt, atque ornatior. Caetera in utroque eadem. Uterque ad conſuetudinem orientalem proxime accedunt, ſed propius forte *Homero Heſiodus*. Sed hoc mihi in primis apud *Heſiodum* in amoribus eſt, quod tota eius oratio virtutem quaſi ſpirare videtur; adeo plenus eſt morum praeceptis veris ac ſplendidis ille *ἀνὴρ ἀγαθὸς καὶ Μούσαις φίλος*, uti eleganter vocatur *Dioni Chriſoſtomo d*).

b) *Poetices* p. 24. *c*) in *Hiſt. Crit. Hom.* p. 11.
d) *Orat. XII.* p. 199. d.

Sed vix quisquam est Scriptorum Graecorum, in quo cum emendando, tum explicando, minus praestitum sit a Viris eruditis. Solus enim, qui optime de Ascraeo vate meritus, *Graevius* est, Vir elegantissimus sane, sed qui tamen cum reliqua elegantia etiam hanc habebat, ut negligentissimus esset. Itaque in varietatibus ex Codicibus suis notandis summam diligentiam adhibuisse non videtur. Quaedam etiam loca obscura et male adfecta plane non attigit, neque ex versione latina omnes errores sustulit *e*). Mihi quidem *lectiones* eius *Hesiodeae* non tam *Hesiodi* causa, quam quod plenae sunt pulcherrimarum observationum, legendae videntur. Elegantes quoque sunt, quas *Graevius* lectionibus suis adiecit, *Fr. Guieti* emendationes in *Hesiodum*, et haud raro a Codicibus meis firmatas vidi.

Qui vero post *Graevium* ad *Hesiodum* accessit, *Clericus*, mediocris admodum doctrinae Vir, ac summae temeritatis, nihil praeclari in eo vel explicando, vel emendando praestitit,

e) Apponam unicum exemplum, ubi consuetudinis orientalis ignoratio decepit *Graevium*. Statim in initio *Operum et Dierum* v. 13. de duplici contentionum genere legimus:

διὰ δ' ἀνδίχα θυμὸν ἔχουσιν,

quod ante *Graevium* vertebatur: *in diversa autem animum distrahunt*. *Graevius* vero prius etiam, ni fallor, vertit: *diversa autem sentientem animum habent*. Pro quo me iudice debuerat: *sunt vero maxime inter se diversae*. Nam θυμός hic plane ita, ut frequenter Hebraeorum et Arabum נפש, adhibetur, ut commode per *ipse* verti possit. Atque ita διὰ δ' ἀνδίχα θυμὸν ἔχουσιν idem plane est, ac si scriptum esset διὰ δ' ἀνδίχα ἑαυτὰς ἔχουσι. Hoc sensu apud *Pindarum* quoque ψυχὴ legitur, *Olymp.* od. II. v. 143. ἀπὸ πάμπαν ἀδίκων ἔχειν ψυχάν, est *se ab omni iniustitia abstinere*.

Digitized by Google

ſitit, ſed inſigne inſcitiae ſuae monumentum poſuit *f*). Ac vix melius de *Heſiodo* meritus eſt *Robinſonus*, Anglus, qui noviſſime *Heſiodum* cum notis variorum edidit *Oxon.* a. 1739. quatenus. Nam haec eius recenſio, praeter chartae ac literarum elegantiam et ſplendorem, vix habet quo commendetur. Vitia enim *Clerico* aliisque commiſſa, pleraque religioſe ſervavit, neque ipſe, praeter variantes codicum quorundum lectiones, de ſuo, quod momentum haberet, adiecit.

Nuperrime autem praeclare de *Heſiodo* meritus eſt *Dav. Ruhnkenius*, excellentis ingenii et doctrinae Vir, qui in priori ſua *Epiſtola Critica ad L. C. Valckenarium V. C.* ſcripta, varias quoque ad *Heſiodum* emendationes protulit. Atque huius Viri opera in primis in detegendis verſibus ſpuriis eſt verſata. Quam provinciam ſemper, licet eleganter, nonnunquam tamen et in *Heſiodo*, et in *Callimacho*, nimis ſubtiliter adminiſtraſſe videtur. Rationem enim, qua plerumque ad verſum aliquem tanquam ὑποβολιμαῖον, eiiciendum utitur Vir doctiſſimus, quod in praecedenti verſu eadem ſententia, tametſi minus explicate, legitur, vereor, ut aliis probet, iis maxime, qui cum Hebraeorum poetis maiorem familiaritatem contraxere. Etenim ſolent et Graeci antiquiſſimi poetae ita ἐπεξηγεῖσθαι, et prorſus illo membrorum paralleliſmo uti, quem in Hebraeis eleganter nos docuit *Lowthus g*).

f) Quam turpiter ſe in *Heſiodo* dederit *Clericus*, ut e participiis et adiectivis nomina propria, ex integris populis ſingulos homines, e genitivis nominativos fecerit, variis exemplis oſtendit praeceptor meus, de ſtudiis meis longe meritiſſimus, S. R. *Erneſtius* in *oratione de inſtitutis Criticorum in ſtudiis Theologiae imitandis*, *Opuſc. Orat.* p. 46.

g) *de Poeſi Hebr. Prael. XIX.*

Verum me, ut de nova editione *Heſiodi* cogitarem, in quam etiam veteres poetae interpretes legérentur, maxime impulit *Heinſiana* editio maior, de qua tanquam valde vitioſa queri videram Viros eruditos, atque ipſe ita non uno in loco cognoveram. Sed ut rectius de hac editione iudicari poſſit, altius repetendum ac paucis explicandum videtur, quaenam *Heſiodi* editiones *Heinſianam* praeceſſerint.

Prima igitur editio, quae veteres interpretes adiunctos habet, Veneta eſt, quae a. 1537. ex officina *Io. Franc. Trincavelli* quaternis prodiit, elegans et emendata, quam ſaepe praeter rem deſeruiſſe recentiores editores, paſſim notatum eſt Viris eruditis *h*).

Hanc dein excepit Baſileenſis editio anni 1542. octonis, *in qua* teſte *Fabricio i*), *ſcholia Graeca pleniora quam in priori, ſed longe minus emendata, et augmentis quibusdam non uno in loco interpolata potius quam ſuppleta, et hinc inde vitiata atque corrupta, adiunctis* Io. Tzetzae *ſcholiis, latine verſis a* G. Heniſchio. Sed utriusque huius editionis potiundae, et eum *Heinſiana* conferendae facultas mihi nondum ulla contigit. *Trincavellianam* editionem ſeſe olim, ex codice manuſcripto ſuppletam, vidiſſe in Bibliotheca Gottorpienſi inter libros Woverianos, narrat *Fabricius*. Eius libri, quem nunc in Bibliotheca Regia Hafnienſi eſſe ſuſpicor, ut mihi aliquando copia fiat, vehementer equidem opto.

Secuta eſt poſt alteram item Baſileenſem editionem anni 1574. cum ſolo *Tzetzae* commentario ad calcem libri,

Dan,

h) v. *Seldenum ad marmora Oxon.* pag. 36. fin. Memini etiam τὸν πάνυ *Hemſterhuſium*, in notis ad *Lucianum*, qui nunc ad manus non eſt, paſſim veterem hanc *Trincavellianam* recenſionem contra *Heinſianam* in partes vocare.

i) *Bibl. Graecae* lib. II. c. VIII. p. 382.

Digitized by Google

Dan. Heinſii recenſio Lugd. Bat. a. 1603. 4. in quo Viro neſcio quid magis mirer. Quem enim neque ab ingenio, neque ab eruditione deſtitutùm fuiſſe, omnia, quae ſcripta reliquit, loquuntur; eum tamen de plerisque, quos edidit, ſcriptoribus peſſime meritum, et qui ipſe erat neque inelegans poeta, eum ſaepe ſimpliciſſima ac pulcherrima poetarum loca non aſſecutum video. Quod poſtremo loco dixi, id, ne quis dubitet, uno exemplo probabo; ex *ſcuto Herculis Heſiodeo* petito. In elegantiſſimo illo poemate, poſtquam, quas in illo clypeo terra monſtrabat imagines terribiles adſpectu, cruore ac caedibus omnia plena depinxit poeta, vſ. 200. ad coelum tranſit:

Ἐν δ' ἦν ἀθανάτων ἱερὸς χορός· ἐν δ' ἄρα μέσσῳ
Ἱμερόεν κιθάριζεν Λητοῦς καὶ Διὸς υἱός
Χρυσείῃ Φόρμιγγι· θεῶν δ' ἴδος, ἀγνὸς Ὄλυμπος.

Quid quaeſo pulchrius unquam fingi poſſit? Supra illa terroris, tumultus, mortium ac malorum omnium ſpectacula picti erant ſacer immortalium Deorum chorus, in cuius medio fidibus ſonabat Apollo, Deorumque ſedes, tranquillum et purum a nubibus coelum. Atque hanc tam iucundam tam excellentem imaginem nobis obliteravit *Heinſius! Scribendum*, ait, *omnino exiſtimo*: Θεῶν δ' ἴδος ἄγνυτ' Ὄλυμπος. *Coelum frangebatur*, ὄλυμπος ἄγνυτο, *id eſt*, ἠχὼ μεγάλην ἀποτίλει, *reſonabat*. Nihil certe, ſi literas ſpectes, elegantius; ſi ſenſum, nihil abſurdius. Qui enim pingi poterat ille reſonans Olympus? Sed tamen, quod magis mirabere, haec emendatio *Heinſiana*, omni codicum auctoritate deſtituta, quam nec meorum codicum quisquam probat, aſſenſum tulit elegantiſſimi *Graevii*, a quo in ipſum, quem vocant, textum eſt recepta, et religioſe eam ſervarunt poſteriores editores, *Clericus* et *Robinſonus*. Atque hoc modo ſuaviſſima imago ex *Heſiodo* eſt eiecta.

Verum,

Verum, ut in viam redeamus, Graeca etiam ſcholia vereor ut emendatiora dederit *Heinſiana* recenſio, quam Veneta aut Baſileenſis, ne nova negligentia veterem auxerit. Ipſe quidem, quam parum eleganter provinciam Critici adminiſtraverit, teſtis eſt. *Cum ſaepe*, ait, *integris pericommatibus et periodis, quae idem notarent, hae editiones differrent; ea quae meliora nobis videbantur, ex Baſilienſi retinuimus: caetera ſecundum Venetam emendavimus. Quorum ſingulorum in notis rationem reddere nec potuimus, nec voluimus.* Mox etiam *ſeſe libere profitetur ex Grammaticorum ſchola non eſſe;* quo nihil, credo, verius unquam dixit. Igitur pro lubidine textum conſtituit et emendavit *Heinſius*, adiecit, lectore, quid in libris ſuis legeretur, non monito, quae ſibi deeſſe viderentur, et quae non probaret, induxit. In quo peſſime egit: omnem enim, quae ex lectione antiqua, quaeque ex ſua emendatione ſint, cognoſcendi facultatem lectoribus eripuit.

Igitur in conſilium *Heſiodi* cum ſcholiis iterum edendi coniecto, nuper in itinere literario princeps cura fuit, *Heinſianae* editionis ex codicibus ſcriptis, dum veteribus editionibus deſtituor, emendandae. Sed in Belgio et Anglia agentem aliae curae, Arabicae maxime et Abulfedeae, ita alligatum tenebant, ut quod *Heſiodo* impenderem otii nihil contingeret. Itaque codices MSS. *Heſiodi* inſpicere mihi non licebat. Quanquam neque ex libris ſcriptis, quos ſervat Bibliotheca Leidenſis, et quorum maximam partem faciunt *Franc. Nonſii* dictata et notae ad *Heſiodum*, multum praeſidii exſpectabam. Codicum autem Britannicorum varias lectiones dedit in editione ſua *Robinſonus*.

Neque tamen nihil praeſidii ad *Heſiodum* ſpero ex Britannia. Londini enim quum agerem, *Antonii Aſkew*, M. D. Viri longe doctiſſimi, ſingularem erga literarum ſtudioſos benevolentiam ego quoque expertus ſum, quam non potui, quin hoc loco publice gratus praedicarem. Varios inter et iucun-

Digitized by Google

iucundos ſermones, in quibus multi in primis erant de b. *Gesnero*, *Viro* ipſi amiciſſimo, et praeceptore meo de me longe meritiſſimo, expono ei conſilium meum de *Heſiodo* edendo, et magnopere rogo, ut quocunque modo poſſet, meam de Aſcraeo vate bene merendi voluntatem iuvaret. Tum Vir humaniſſimus, quem iure merito a b. *Gesnero* φιλανθρωπώτατον vocari memini, monſtrare mihi veterem *Heſiodi* codicem chartaceum, et opem ſuam in enotandis variis lectionibus et ſcholiis, ſi qua inedita forent, deſcribendis, prolixe polliceri. Quam codicis collationem quin mihi praeſtiturus ſit Vir doctiſſimus, atque ita ut iam de variis atque optimis Graecis ſcriptoribus, et nuper de patre poeſeos *Orpheo*, et de hiſtoriae parente *Herodoto*, praeclare meritus eſt, ita etiam de *Heſiodo*, elegantiſſimo poeta, et omnis virtutis ac ſapientiae optimo magiſtro, ſit meriturus, nullus equidem dubito.

Sed Lutetiae Pariſiorum (dulce mihi nomen ob dies ibi iucunde, nec inutiliter, uti ſpero, peractos,) ultra duos menſes ſoli *Heſiodo* tribui. Ibi vero in Bibliotheca Regia, qua neſcio an praeſtantior et optimis quibusque libris abundans magis in orbe ulla ſit, plures *Heſiodi* Codices MSS. prae oculis habui, et varietates diligenter enotavi. In quo cum grati animi teſtificatione praedicanda mihi eſt Virorum doctiſſimorum, qui Regi a Bibliotheca ſunt, *Capperonnerii* et *Beioti* liberalitas in libris ſuppeditandis. Sed hos, quos dixi, codices, paucis nunc recenſebo.

Igitur ille, cuius indicem literam A feci, inter Graecos codices in 4. eſt liber chartaceus, ſaeculo, ut videtur, XIIII. ſcriptus, continens (1) *Heſiodi Theogoniam* cum ſcholiis quibusdam in marg. (2) *Opera* et *Dies* cum paucis annotationibus, (μετὰ τινῶν ἀποσημειώσεων ὀλίγων ἐν τῷ μαργίνι καὶ μετὰ ψυχαγωγίων). Utraque haec ſcholia in Catalogo inedita dici, valde miror, quum ſint excerpta ex *Moſchopuli*

ſcholiis. (3) Scholia in *Theogoniam*, ea, quae *Heinſio* vetera dicuntur, (4) Scholia in *Opera et Dies Moſchopuli*, (5) Scholia in *Theogoniam Diaconi*, (6) *Procli* ſcholia in ἔργα καὶ ἡμέρας. (7) *Euſtathii* commentarius in loca ſelecta *Dionyſii Periegetae*. (8) Ipſe *Dionyſius* cum paraphraſi, quae hic, quod in παιδιᾷ obſervare liceat, integra eſt.

Codex 2772, quem litera B. deſigno, ſaeculo circiter XIIII. in charta dentata ſcriptus, habet (1) *Heſiodi opera et dies* cum *Moſchopuli* ſcholiis, (2) *Scutum Herculis* cum ſcholiis, vel paraphraſi potius inedita, neſcio an *Moſchopuli*, haud contemnenda, ſed in verſu 415. deficiente, (4) Scholia in *Theogoniam* inedita quidem, ſed tota allegorica et nullius pretii, (5) *Dionyſium Perieg.* cum commentario inedito. Sed paraphraſis illius, quam nondum evulgatam dixi, et totam eo conſilio, ut editioni meae adiicerem, exſcripſi, ſpecimen apponam ipſum initium: Ἡ Ἀλκμήνη ἡ ὅιη καὶ ἡ θαυμασία καὶ ἀειδὴς ἡ θυγάτηρ τοῦ Ἠλεκτρύωνος τοῦ σοβοῦντος καὶ ἀποδιώκοντος τὸν λαὸν τῶν πολεμίων, καταλείψασα τοὺς δόμους τοὺς πατρικοὺς καὶ τὴν πατρίδα αὐτῆς, τὴν Τίρυνθα, ἦλθεν εἰς τὰς Θήβας εἰς τὸν πολεμικὸν Ἀμφιτρύωνα· ἥτις δὴ ἕνεκα (l. ἑνίκα) τὸ γένος πασῶν τῶν γυναικῶν, ἐν θεωρίᾳ καὶ μεγέθει. κατὰ φρόνησιν δὴ οὐκ ἐφιλοτείκει αὐτῇ τὶς ἀπὸ τῶν γυναικῶν τούτων, ἃς σθνηταὶ ἀπὸ θνητῶν ἐγέννησαν. καὶ ἀπὸ τῆς κεῆθεν καὶ τῆς κεφαλῆς αὐτῆς ἀπὸ βλεφάρων τε τῶν μελάνων τοῖον κάλλος ἔπνεεν, ὁπῖον ἀπὸ τῆς πολυχρύσου Ἀφροδίτης. Ἡ δὲ Ἀλκμήνη, καίπερ οὖσα ἔυμορφος τοιαύτη, ἐτίμα τὸν ἄνδρα αὐτῆς, ὥσπερ οὐκ ἐτίμα τὸν ἴδιον ἄνδρα τὶς τῶν γυναικῶν. Οὕτως (l. ὄντως) μὲν αὐτῆς τὸν ἀγαθὸν πατέρα Ἠλεκτρύωνα ἀπέκτεινεν ἰσχυρῶς δαμάσας ὁ Ἀμφιτρύων, ὀργισθεὶς χάριν τῶν Ἠλεκτρυωνείων βοῶν, καταλείψας δὲ ὁ Ἀμφιτρύων τὴν πατρί-

πατρίδα αὐτοῦ εἰς Θήβας ἀπελθὼν ἱκέτευσε τοὺς Θηβαίους, δέξασθαι αὐτὸν ἐν ταῖς Θήβαις, ὅπου ὁ Ἀμφιτρύων ἔκτισεν οἰκίας, καὶ κάτω σὺν (l. κατῴκει σὺν) τῇ σεβασμίᾳ Ἀλκμήνῃ, χωρὶς φιλότητος καὶ συνουσίας ἐπιθυμητῆς. οὐ γὰρ κατελίμπανεν αὐτὸν ἡ Ἀλκμήνη πεσεῖν μετ' αὐτῆς πρὸ τοῦ φονεῦσαι τοὺς ἀδελφοὺς τοὺς αὐτῆς ἐκτείναντας (l. κασιγνήτους). οὐ γὰρ ὑπῆρχεν αὐτῷ δεδομένον πρότερον συνευνασθῆναι τῇ ἐυμόρφῳ Ἀλκμήνῃ, πρὶν ἢ τιμωρήσοι καὶ ἐκδικήσοι τὸν φόνον τῶν ἀδελφῶν τῆς Ἀλκμήνης τῆς ἰδίας γυναικός.

Codex 2773. cuius ſiglam feci literam C, membranaceus, omniumque, quos inſpexi, antiquiſſimus, ſaeculi ut opinor XII., et bonae notae, *Heſiodi Opera et Dies* cum *Io. Tzetzae* ſcholiis complectitur. In fine libri pauca folia ſunt, in quibus *ſcutum Herculis* alia manu ſcriptum legitur, cum parte ſcholiorum, quae in editione *Heinſiana Tzetzae*, neſcio quam vere, tribuuntur. Sed haec mihi parum profuere: neque enim poema ipſum integrum, et literarum ductus ita fugientes, ut haud raro oculos meos effugerent.

Codex 2072., cui literam D indicem dedi, continet primum *Epicteti Enchiridion* cum *Simplicii commentario*, poſt *Tzetzae* ſcholia in *Heſiodi opera et dies*, quibus inſeruntur nonnunquam ſcholia *Procli*. Codex eſt chartaceus, et valde recens, CCCC circiter annorum, cuius collatio tamen mihi non inutilis fuit.

Codex 2833., quem litera E notat, praeter alios minores poetas habet quoque *Heſiodi* carmina, quae aetatem tulere, omnia cum ſcholiis non multis, ex editis excerptis. In *ſcuto Herculis* quaedam ſunt inedita Membranaceus liber eſt, ſed recens, ſaeculo, credo, XIV. et elegan-

gantissime scriptus, ac quod huic plerumque coniunctum est, admodum vitiose. Atque hos codices omnes integros cum *Heinsiana* recensione contuli.

Exstant, non ignoro, plures scripti *Hesiodi* codices in illa Bibliothecarum Regina, quorum alios sciens, alios invitus atque coactus praetermisi. Ex illo genere est Codex 2776. prorsus recens, in quo est integer *Hesiodus* cum perpaucis *Moschopuli* scholiis, non ineditis, uti perperam in Catalogo vocantur. Ad *Tzetzae* scholia emendanda aliquando haud parum praesidii exspectabam a codice 2780., cui in Catalogo inesse dicuntur scholia illa ab editis multum diversa. Verum unius alteriusque folii collatio me docebat, non esse haec sola *Tzetzae* scholia, sed cum *Moschopuli* scholiis permixta, neque *Tzetzae* omnia integra, sed varie mutata; multa aliis verbis concisius elata, haud pauca omissa, in his omnia in *Hesiodum* et *Proclum* dicteria, et pessimos versus, quos magno numero effudit stultus ille grammaticus, quo nemo unquam doctori umbratici titulo dignior vixit; quasdam etiam notulas grammaticas, nec *Tzetzae*, nec *Moschopuli*, aliunde adiectas. Caeterum codex est chartaceus, ac plane recens.

At hoc perindigne fero, quod mihi non licuerit Codice 2771. uti. In causa erat praeter temporis angustias negligentia, qua confectus est Regiae Bibliothecae Catalogus. Nam post *Opera et Dies Hesiodi*, eiusque poematis interpretes, cum Codd. MSS. iam collata, non unus codex mihi occurrebat, qui in Catalogo *Theogoniae* dicebatur, et erat τῶν ἔργων καὶ ἡμέρων. Tum vero ad hoc poema iterum cum his Codicibus conferendum tempus non erat. Atque sic ille, quem modo dixi Codex 2771., in Catalogo pro *Theogonia* cum scholiis *Procli* laudatur, qui nihil, quantum constat, in *Theogoniam* scripsit; sed libro ipso inspecto videbam, esse *Opera et Dies*, cum *Procli* scholiis, nisi quod in primo folio

folio recentioris scripturae sunt *Moschopuli* scholia. Codex autem antiquissimus est, saeculo, ut videtur, decimo in membrana et accurate scriptus, cuius lectiones si mihi aliquando procuraret Vir doctus, officium mihi praestaret longe gratissimum. Atque haec habui de codicibus *Hesiodi* scriptis dicere.

Sed nec silentio involvendum mihi est beneficium, quo me novissime adfecit *H. S. Reimarus*, Vir summus, quem ob elegantem ac eximiam eruditionem omnemque humanitatem dici vix potest quanti faciam. Ille vero, postquam a me, quid molirer, accepit, his ipsis diebus, quo est in literas amore, humanissime ad me misit *Hesiodi* editionem *Heinsianam* maiorem, cum variis notis atque emendationibus magni illius soceri sui, *Fabricii*. De quibus quid faciam, nondum certo constitui. Ea quidem, quae in initiis carminum scripsit ὁ πάνυ, maximam partem in *Bibliotheca* eius *Graeca* leguntur: sed caeterae *Fabricianae* animadversiones sintne ex parte tantum typis subiiciendae, dubitari potest. Sunt enim, quae tanto Viro, quem auctorem omnium bonarum rerum memini a *Gesnero* in scholis vocari, indignae videantur. Et nonnulla a *Fabricio* iuvene scripta, colligo ex diversitate scripturae. Hanc tamen legem mihi faciam, ut omnes maioris momenti annotationes, et emendationes in primis, ipse licet in eas iam inciderim, cum *Fabriciani* nominis mentione exhibeam; atque omni modo bene et in literarum commodum *Fabricianis* animadversionibus utendo, me gratum pro beneficio Cel. *Reimari* monstrare enitar.

Ceterum, qui contra morem civium meorum in *Hesiodo* edendo lente admodum festinare constitui, hoc iam magno studio feci, ac porro faciam, ut ex antiquis scriptoribus, quaecunque reperire possim, verba *Hesiodea* colligam, quo cum reliquiarum *Hesiodi* numerum maiorem ac pleniorem efficiam, tum ipsis carminibus, vel medicinae aliquid, vel lucis

afferam. Qua quidem in re haud parum iuvabor Indicibus *Bibliothecae Graecae Fabricianae* insertis. Utar vero, quantum fieri poterit, prioribus scriptorum editionibus, nondum ad vulgatas *Hesiodi* ἐκδόσεις, quod in posterioribus haud raro factum est, correctis. Nec minus diligenter adhibebo ipsius *Hesiodi* editiones antiquiores, in primis vero principem *Aldinam* k), quam primum modo ea uti continget, quam prorsus neglexisse videntur recentiores editores.

Nihil iam superesse videtur, quam ut operae nostrae in Hesiodum collatae, atque emendationum specimina proferamus; verum et tempore et spatio excludimur. Sed hoc nobis videmur vere posse affirmare, vetera ad *Hesiodum* scholia, et *Tzetzae* in primis, infinitis locis ope codicum a nobis esse instaurata. Exspectare vero lectores nostros iubemus, donec veteres *Hesiodi* editiones nacti, et in maiori, quam nunc sumus, subsidiorum copia collocati, exquisitius aliquid ac magis elaboratum proferre possimus.

GUI-

k) Initium nempe *Hesiodi* edendi factum est ab *Aldo Manutio*, qui Venetiis a. 1495. (non 1491. ut in *Fabricii Bibl. Gr.* Vol. I. pag. 382. operarum, credo, vitio legitur,) uno maioris formae volumine, cum aliis poetis Graecis, postremo loco *Hesiodum* edidit. Ipsi quidem Londini in Bibliotheca *Ant. Askew*, V. C. hanc editionem prae oculis habuimus, atque haec in fine libri legimus: *Impressum Venetiis characteribus ac studio Aldi Manutii, Romani — 1495. mense Februario.* Neque post tam paucos annos repetitam existimamus.

Digitized by Google

GUIDONIS FERRARII S. I. INSCRIPTIONES, Epistolae, Dissertationes.

Mediolani, 1765. typis Marellianis. Vol. I. pl. 13. Vol. II. pl. 18. Vol. III. pl. 18. in 8.

Nomen Ferrarii iam aliis operibus illustratum est, quae ad historiam Italiae pertinent, nobilitatumque Inprimis libro, qui res ab Eugenio bello Pannonico et Italico gestas complectitur. Neque hi, quos indicamus, libri, omnino indigni sunt Viri fama, nisi quod in primo non semper verae eloquentiae regulas observavit, et in reliquis ad minutias delapsus est. Praefixa est libro priori, qui Inscriptiones continet, Io. Baptistae Nogherae S. I. de Inscriptionibus commentarius, capitibus XVI. absolutus. In his docet auctor: inscriptio quid sit, qualis esse debeat, quot sint inscriptionum genera, quae sint inscriptiones numariae, quae lapidariae breviores, quae eius generis longiores, quae paullum a stili simplicitate recedant, quae et qualia sint Elogia, quo aevo sive Inscriptiones, sive Elogia facta sint, qua item auctoritate, publicane an privata, quo modo sint explicandae siglae seu notae in inscriptionibus et elogiis, qui sit modus scribendi utraque, quae inscriptionibus suis affinia, ut Senatusconsulta, mandata, leges, fasti: qui auctores, inscriptionum omne genus collegerint et illustraverint: quid de inscriptionibus Gallica et Italica lingua exaratis sentiendum sit. Breviter haec omnia exponuntur, nec omnino male.

Sequuntur inscriptiones ipsae, hoc ordine collocatae, ut se invicem excipiant opera publica, gratulationes publicae, adventus publici, pompae funebres, pompae solemnes, oppida, fasti, picturae, vota, legata, Epitaphia, privata, scholastica. Quaedam harum inscriptionum eo consilio scriptae fuerunt, ut monumentis certis adderentur. De reliquis

non

non poenitet adscribere verba ex praefatione. „Usuine omnes fuerint, nescio; relinquebatur enim postulantium arbitrio, ut corrigerent, uterentur, aut secus, denique, quicquid iis videretur, facerent. Hoc tamen certo scio, Inscriptiones aliquot unice confectas fuisse, ut propositae essent exemplo discipulis, argumento sumto e re nata. Auctor enim multos annos, quod per laterum gracilitatem licuit, rhetoricam docens, discipulos hoc etiam genere exercendos statuebat." Ex his enim verbis facile intelligitur, quid de multis harum inscriptionum sentiendum sit. Quod ad reliquas attinet, multo illae meliores sunt, quam exspectavimus, cognitis tot Italorum inepto studio argutiarum captandarum, et ingenioti ostentandi in inscriptionibus componendis. Adest plerumque laudabilis brevitas, placet sermo Romanus, non infelici imitatione expressus. Sed fortasse hoc melius patebit, additis a nobis aliquot inscriptionum exemplis, licet, commoditatis causa, parvis litteris a nobis exaratis. Prima inscriptio pertinet ad Nosocomium Mediolani exstructum:

Barnabas Vicecomes Med. Dom.
Instituit
Franciscus Sfortia Vicec. Dux IV.
Urbanis omnibus Nosocomis
Orphanotrophiis Xenodochiis
Eorumque reditibus adiectis
Ditavit ampliavitque.

Altera spectat ad cursum in urbis muris patefactum Mediolani:

Comite Ioanne Luca Pallavicino
Gubernante Insubrium
In urbis muris
Directi anfractus exaequatum solum

Pate-

Digitized by Google

Patefactus Cursus Satae arbores
Areae et Subsellia ex cespite
Adornata civibus.

Tertio titulo Virgini Mariae sacellum consecratum est:

Tibi Salutiferae
Superum Reginae
Sacellum posuimus
In oppidi introitum
Uti tu morbos visos invisosque
A nobis et frugibus et pecubus arceas.

Marellius in praefatione aliud quoque Inscriptionum volumen pollicetur, a Ferrario compositarum. „Remuner bor te, inquit, si quidem licuerit extorquere ab Auctore volumen alterum Inscriptionum, quo per fastos perpetuos exhibetur Regnum militare M. Theresiae Augustae, cui etiam Nepotiano stilo et more audio adiecisse Vitas excellentium Imperatorum, qui postremo hoc bello Reginae Augustae operam praeclaram praestiterunt." Felicem praedicabimus auctorem, si Nepotianae orationis suavitatem et elegantiam assequi potuerit, remittemusque illi lubenter totum, quod minatur, Inscriptionum volumen.

Altera pars complectitur Epistolas XXII. quae ad antiquitates Insubriae pertinent, et *Lettere Lombarde* inscriptae sunt. Sed sunt in iis multa subtilius, quam utiliter, disputata, quaeque adeo parum interest cognosse eum, qui non illarum regionum civis sit. Praeterea etiam non pauca occurrunt, quae mox in *tertia* parte repetuntur copiosius. In illa, de antiquis nominibus fluminis Padi, de patria Petri Lombardi, atque inprimis de antiquitatibus Novariae agitur. Inde multa proferuntur, quae antiquissimae Novariensi historiae aliquam lucem affundunt.

Tertia pars habet dissertationes XVI. latino sermone conscriptas, quarum argumentum breviter enarrabimus. In *prima* auctor de nomine et conditore urbis Novariae exponit, ita, ut recenseat, qui potissimum urbem a fluvio cognomine appellatam putent, quae fides habenda sit tabulae Peutingerianae ostendat, Agoniae fluvio Novariensi nomen a populis Agonibus fuisse doceat, notitiam huius gentis det, addatque, Novariensium urbem primum dictam esse Ariam, atque paullo post, quia refecta fuerit, Novam Ariam, sive Novariam: Ariae vero nomen fuisse impositum ab Hercule conditore. Argumentum Dissert. II. de Herculis in Insubriam adventu huc redit. Hercules non est persona ficta: ex Herculum multitudine orta obscuritas, et ex Graecorum levitate, qui Graecum Herculem variis fabulis deformaverunt: a Graecis Latini acceperunt fabulas, atque hinc magna Alcidis fama per totam Italiam dispersa est: Hercules fere totus confictus et conflatus est ex Samsone et Iosua: Monumenta Alcidis Italica fabulosa sunt: Alcides nec venit, nec potuit in Italiam pervenire. Dissert. III. est eiusdem argumenti. Nempe, confutato Huetii systemate, qui, quotquot nomine Herculis insigniti fuerint, Iosuae personam constituere contendit, haec statuuntur. Herculis in Hispania cultus est Phoenicius: cur idem vocetur Aegyptius: non duo sunt Hercules Phoenicii, ut Vossius existimat: Phoenicius Hercules est aequalis Mosi: Circa, vel paulo ante Iosuae expeditionem in Palaestinam, Hercules migravit in Africam cum Phoenicibus seu Cananaeis: cur Cananaei Phoeniciorum nomen assumserint, undeque id partum: quamdiu in Africa manserit Cananaeorum nomen: Herculis in Africa monumenta: quo loco Hercules in Hispaniam traiecerit: cur columnas ad fretum statuisse dicatur: a quibus Gaditanum Herculi templum exstructum: Hercules ex Hispania per Gallias in Italiam descendit; non per Graias, sed maritimas Alpes, et per Ligurum fines; adventus eius in Insubriam; quae de Herculis Phoenicii expeditione in Italiam tradun-

traduntur, non minus fidem merentur, quam multa alia: monimenta et coloniae ab Hercule relictae in Italia. In Diſſ. IV. agitur de praelii loco inter Marium et Cimbros in agro Novarienſi. Omnium ſententias de uno eodemque loco convenire oſtenditur, Raudiusque campus, ignotus Geographis, deſignatur. Sequitur Diſſ. V. de Vicecomitum origine, principatu, propagine. Ab Heriprando, qui florebat a. 1036. in poſteros transmiſſum Vicecomitum cognomen: Heriprandi et Othonis filii virtus: ab Othone coeptum ſtemma gentilitium Anguis infantem evomentis: Guido et Otho II. Othonis I. filius, et Nepos Curte Maſſini donantur: Ubertus fil. Otho Archiepiſcopus Mediolanenſis, et Andreottus Uberti filii; Theobaldus, Andreotti filius, Matthaeus Magnus, et Ubertus, auctor propaginis Dominorum Somae filii Theobaldi etc. In Diſſert. VI. tractatur idem argumentum de origine Vicecomitum, ſive de Ubertina ſtirpe. In Diſſ. VII. enarratur origo Angleriae: in VIII. de aliquot oppidis Verbani lacus, eique fere adiacentibus in ora Novarienſi. Oppida ſunt: Arona, Fontanetum, Suna, Palantia, Intratium; ſequuntur inſulae Borromaeae et lacus S. Iulii. De origine Orobiorum in Diſſ. IX. et in X. et XI. de Inſubrum origine agitur. Opinio auctoris huc redit: *Sumbrium*, oppidum Inſubriae antiquiſſimum, Inſubrum innuere originem, quam nemo veterum tradidit. Priſce *Iſombri* hi populi vocati, quod nomen Umbros inferiores ſignificet: Inſubres igitur ſunt ex Umbris orti. Umbri vero fuerunt ex primis Italiae incolis, qui in Italiam advenientes in Inſubria primum conſederunt, et locis fluviisque nomina dederunt, quae poſtea in Etruriam Umbriamque transierunt. Umbri erant Celtae; hinc in Italiam allata lingua Celtica, atque etiam in latinam linguam transmiſſa. At vero ex Inſubria transcenderunt Umbri in transpadanas regiones, atque in Liguriam, cui nomen Celticum dederunt, e loci natura. Coniectura eſt, e Liguria Umbros in propinquas Galliae regiones, et in Etruriam

se explicuisse, usque ad Tiberim, atque ex illis ortos Aborigines. Quae sequuntur quinque dissertationes, continent disputationes de Insubriae late sumtae flumimbus et lacubus, de incolis Vallium ad latam Insubriam pertinentium, de veteri urbe Laude Pompeia, de Marii Gerundo, quo nomine appellabatur antiquus lacus in tractu praesertim Laudensi: de Severini Boetii supplicii loco.

GODOFREDI HEINSII, MATHEM. IN ACAD. Lipſ. Prof. Publ. Ordin. de Eclipſi Solis d. 1. April. 1764. Lipſiae obſervata Commentatio.

Rerum uranicarum cultores, qui, data occasione, potiora coeli phaenomena pro viribus observare satagunt, saepissime obstacula offendunt, quae studium laudabile coercere valent. Pauciſſimi eam consequuntur felicitatem, qua observatorio prospectus liberi et supellectile astronomica copiosa instructi observationes commode prosequi possint. Plerisque denegatur eiusmodi felicitas; qui tamen animum idcirco non abiiciunt, sed impedimenta ex defectu illorum subsidiorum oblata, quantum vires permittunt, removere allaborant. Interim delectum sic instituendo saepissime fieri solet, ut instrumenta et methodus observandi eligi debeant, quae forsan observator non adhibuisset, si clementiores ipsi concessae fuissent conditiones. Simlibus angustiis premebar, cum insignis illa Eclipsis Solaris d. 1. April. temp. civil. an. 1764. incideret. Imbecillitas valetudinis, qua adhuc affligebar, observationem Eclipsis ex habitaculo meo instituere exigebat, quod autem situ suo respectu Solis tempore Eclipsis ita comparatum erat, ut plerisque operationibus solummodo per fenestras sub tecto constructas locus concederetur; quam conditionem, ob nimiam Solis super horizonte altitudinem, varia comitabantur incommo-

commoda. Sic uſus inſtrumentorum mole laborantium ceſſabat; atque ad obſervationem initii et finis Eclipſis ſolummodo Tubus aſtronomicus 6. ped. adhiberi potuit, cuius tamen praeſtantia et diſtinctiſſima repraeſentatio eventum pollicebatur exoptatiſſimum. In hoc Tubo eſt, ſecundum menſuram Pariſ. duodecimalem, diſtantia lentis obiectivae a lente oculari = 5. ped. 11. dig. 8. lin. tunc ſcilicet, quando Solem ope vitri atro colore tincti diſtinctiſſime conſpicere mihi licet; diſtantia autem foci principalis lentis ocularis = 2. dig. 10. lin. ſic ut tubus obiecta ſecundum diametrum proxime 24. vicibus amplificet.

Hoc inſtrumento d. 1. April. temp. civil.

Momenta	tempore vero
Initii Eclipſis	10^h. 6′. 32″ ante merid.
Finis - -	1. 5. 54. poſt merid.

quoad ipſum Solis et Lunae contactum tanta exactitudine conſecutus ſum, quantam in obſervationibus eiusmodi, alio tempore habitis, vix unquam aſſequi mihi licuit. Maxima coeli ſerenitas negotium optime iuvabat, quae etiam, per plures dies continua, explorationem ſtatus duorum horologiorum oſcillatoriorum reſpectu temporis veri, ope altitudinum Solis reſpondentium, bene conceſſit.

Sic quidem momenta Eclipſis potiora feliciter innotuerunt. Ne autem phaſium obſervatio negligeretur, ei quidem inſervire potuiſſet alius Tubus 6. ped. micrometro Kirchiano inſtructus. Cum autem tum ex conſtitutione inſtrumenti, tum ex incommoda eius ob nimiam Solis altitudinem diſpoſitione, facile praeviderem, errorem fere dimidii minuti primi circuli maximi evitari vix poſſe, uſu eius abſtinui. Surrogavi ergo in locum iſtius *Machinam heliaſcopicam portatilem*, quae ſcopum propius attingere pollicitabatur; periculum facturus, quantam exactitudinem in dimenſione phaſium, ope iſtius, ſperare liceret. Solis imago,

quam per Tubum aſtronomicum vitrum ſemipellucidum excipiebat, ſitu erecto, vitro inter Tubum et oculum poſito, diſtincta et bene terminata apparebat, lata ſecundum diametrum 4. dig. $2\frac{2}{3}$. lin. menſurae Pariſ. duodecimalis. Ut autem Machina, cuius diſpoſitionem, ob nimiam Solis altitudinem, loci conditio nonnihil moleſtam reddebat, uſum commodum et expeditum concederet, relinquendo methodum conſuetam, qua circulus obſervatorius in digitos eclipticos diviſus adhiberi ſolet, conſtitutum fuit, imaginem Solis in vitro ſemipellucido, machina interim immota, leniter motam proſequi, et ope circini ſcalaeque geometricae, partim *diſtantiam cornuum*, vel *chordam defectus*, partim latitudinem maximam portionis diſci ſolaris non obſcuratae, (quam *partem lucidam* vocare licet,) in electa eclipſis phaſi metiri, pro eo, ut haec vel illa operatio certior videretur. Eiusmodi dimenſionibus inprimis occupatus erat Vir generoſiſſimus et illuſtris Dn. de *Kregel*, Sereniſſimo Electori Saxoniae a Conſiliis Camerae per Provincias, qui rogatu meo benevolens mihi ſuccurrere voluit, cum manum, ex adverſa valetudine tremulam, ob periculum erroris nimii, admovere ipſe non auderem. Ad ſingulas dimenſiones dato ſigno, Socius tempus horologii (ad tempus ſolare probati) annotabat reſpondens, quod numero partium ſcalae geometricae ex dimenſione cognito in Tabula ſtatim adſcriptum fuit. Quemadmodum autem dimenſiones ſic inſtitutae uſu carerent, niſi *diameter imaginis ſolaris* in vitro ſemipellucido machinae innotuerit; de ea per partes ſcalae eiusdem geometricae ſolicite menſuranda diebus 30. et 31. Mart. nec non d. 1 April. omnem operam adhibuimus. Repetitis ſaepiſſime operationibus, diameter iſta, conſenſu exoptato, = 365. partibus dictae ſcalae deprehenſa eſt; ad quam ergo phaſium dimenſiones ſemper comparare licebit.

En Tabulam obſervationum et dimenſionum in memoratis ſcalae partibus peractarum, una cum tempore vero unicuique dimenſioni reſpondente.

Ordo

Ordo obſervationum.	Tempus verum d. 1. April. temp. civil. an. 1764.	Diſtantia cornuum.	Pars lucida.
	ante meridiem	in partibus ſcalae	
Initium	10^h. 6′. 58″.	—	—
1	11. 3	115	—
2	12. 36	137	—
3	14. 13	151	—
4	15. 58	160	—
5	17. 37	—	319
6	19. 27	185	—
7	21. 29	—	296
8	24. 34	218	—
9	26. 24	—	283
10	30. 0	245	—
11	32. 24	—	259
12	38. 46	278	—
13	40. 41	—	225
14	47. 22	—	202
15	58. 24	—	163
16	11^h. 1′. 3″	—	151
17	3. 46	327	—
18	7. 43	—	128
19	11. 59	—	111
20	14. 30	—	105
21	17. 0	—	97
22	20. 52	—	83
23	26. 17	—	64
24	28. 44	—	58
25	32. 26	—	57
26	37. 12	—	57
27	40. 48	—	63
28	54. 23	—	99
29	58. 18	—	110
	post meridiem.		
30	0^h 1. 25	—	124

Digitized by Google

31	0.	9.	34	—	148
32		15.	11	—	174
33		21.	38	—	198
34		24.	33	295	—
35		26.	21	—	212
36		32.	39	—	235
37		33.	49	267	—
38		42.	41	—	276
39		43.	51	229	—
40		45.	24	—	283
41		49.	15	207	—
42		50.	25	198	—
43		51.	27	189	—
44		52.	44	186	—
45		54.	6	171	—
46		55.	17	165	—
47		57.	21	155	—
48		59.	3	135	—
49	1h.	0.	5	126	—
50		1.	54	109	—
Finis.	1.	5.	31	—	—

Si momenta initii et finis Eclipſis ope machinae helioſcop. annotata cum iis compares, quae immediata per Tubum 6. ped. obſervatio ſupra docuit, diſcrepantiam aliquam deprehendes. Initium nempe ſerius in machina contigit, quam in Tubo; finis autem citius ibi, quam hic. Aſt diſcrimen hoc mirum videri nequit, ſi expendatur, quam exacte Tubus momenta iſta patefecerit; cum e contrario conditio repraeſentationis in machina initium tunc demum ſenſui ſubiicere potuerit, poſtquam luna limbum imaginis ſolaris iam nonnihil penetraſſet; finem autem indicaverit, cum adhuc limbus lunae cum margine imaginis ſolaris confunderetur.

Ut

Ut valor partium ſcalae geometricae in partibus circuli maximi innoteſcat, diameter imaginis ſolaris = 365. part. ſcalae componi tantummodo debet cum diametro Solis apparente, quam *P. Hell.* in Ephemeridibus ad an. 1764. die Eclipſis = 32′. 5″. vel 1925″. aſſignavit. Hoc modo duabus ſcalae partibus proxime 10½ ſecund. reſpondent; quare, cum errorem, qui forſan in dimenſione phaſis committi potuiſſet, duas ſcalae partes excedere vix ſuſpicari liceat, prout examina repetita comprobarunt, praerogativa eiusmodi dimenſionis prae uſu micrometri Kirchiani ſupra nominati ſufficienter conſtat.

Expedit iam ex obſervationibus conſignatis methodo plana inquirere in *Tempus obſcurationis maximae.* Si durante Eclipſi diameter lunae apparens, quae variabilis alias eſt ſecundum diverſas altitudines, ad ſenſum conſtantis magnitudinis accipiatur, atque ſemita centri lunae apparens per diſcum Solis rectilinea ſtatuatur, habebitur tempus obſcurationis maximae, ſumendo numerum medium arithmetice proportionalem inter momenta initii et finis Eclipſis. Sic dantur ex obſervatione ope

	Tubi 6. ped.	machinae helioſ.
Initium	10ʰ. 6′ 32″	10ʰ. 6′. 58″
Finis	1. 5. 54	1. 5. 31 quare
Obſcur. max.	11. 36. 13	11. 36. 14½

Si e contrario curvatura ſemitae centri lunae per diſcum Solis attendatur, quae ex variabilitate parallaxis ſecundum altitudines provenire ſolet: tempus obſcurationis maximae nonnihil diverſum a iam definito prodire poteſt, etiamſi diameter lunae apparens ad ſenſum conſtans retineatur. Ut igitur approximando iſtud tempus propius cognoſcatur, partem ſemitae curvae lunaris in vicinia obſcurationis maximae inſtar rectae conſiderare licebit, ſi modo tempus motus per iſtam partem tres horae quadrantes non, vel

non multum, excedat. Si enim partes lucidae ante et post obscurationem maximam darentur aequales, ex temporibus adscriptis capiendo medium arithmetice proportionale innotesceret tempus b corationis maximae. Cum autem raro eiusmodi partes lucidae aequales obtineantur, ad electam partem lucidam ex uno latere obscurationis maximae ope interpolationis quaeri potest respondens aequalis ex altero latere una cum tempore, quod huic convenit; reliqua deinde peraguntur ut ante. Exemplum rem declarabit. Electa sit in observ. 29. pars lucida = 110. cum adscripto tempore $11^h. 58'. 18''$. Quia in obs. 19. tempori $11^h. 11'. 59''$. pars lucida = 111. et in obs. 20. tempori $11^h. 14'. 30''$. pars = 105. respondet; schema calculi hoc erit:

$$1 \left\{ \begin{matrix} 111 & - & - & - & - & 11^h. 11'. 59'' \\ 110 & - & - & - & - & - & - & - \end{matrix} \right\} x$$

$$\frac{105 \quad - \quad - \quad - \quad 11. \quad 14. \quad 30}{6 \qquad\qquad 0. \quad 2. \quad 31.} \; (= 151'')$$

Inferendo iam, $6 : 1 = 151' : x$, dabitur $x = 25''$. et inde tempus $11^h. 12'. 24''$, quod ad partem lucidam = 110. ante obscurationem maximam quadrat; quare cum ad partem lucidam assumtam = 110. post obscur. maximam pertineat tempus $11^h. 58'. 18''$. sumendo medium innotescet tempus obscur. maximae = $11^h. 35'. 21''$. Hoc modo obtinui

ex observ.				Tempus obscur. max.		
31.	16.	18	- -	$11^h.$	$35'.$	$44''\frac{1}{2}$
30.	18.	19	- -	11.	35.	9
29.	19.	20	- -	11.	35.	21
28.	20.	21	- -	11.	35.	23
			medium	11.	35.	24
			quod ab eo	11.	36.	13 ex initio et
			fine Eclipf. petito	0.	0.	49 deficit.

Caven-

Cavendum in eiusmodi deductionibus, ne partes lucidae aequales nimis vicinae ad obscur. maximam accipiantur, cum lenta tunc earum mutatio aberrationem notabiliorem producere valeat.

Quoniam tempus obscur. max. inter observationes 25. 26. cadit, quarum utraque partem lucidam = 57. notat; recte sumi potest numerus 57. pro parte lucida minima in obscuratione maxima, quae comparata cum diametro imaginis solaris (= 365.) patefaciet *Quantitatem Eclipsis* in digitis et minutis eclipticis = 10. dig. 8. min. fere, ex analogia, 365 : 365 -- 57. = 12. dig.: quantitatem quaesitam.

Tanta obscuratio concessit dimensionem *diametri disci lunaris* intra imaginem solarem in machina helioscopica conspicuae. Inventa est ista repetito examine = 340. part. scalae, cum statim post diameter imaginis solaris adhuc = 365. part. scalae deprehenderetur, tanta scilicet, quanta ex observationibus d. 30. et 31. Mart. iam innotuerat. Posita, ut supra, diametro Solis appar. = 1925″. circ. max. ex analogia 365 : 340 = 1925 : quaes. habebitur *diameter lunae apparens* = 1793″. = 29′. 53″. ad altit. 42. grad. circiter alliganda. P. *Hell* in Ephem. ad an. 1764. p. 7.

ponit diam. lunae horiz. = 29′. 40″
sumto augmento eius ad alt. 40° = 0. 19. invenietur
diam. ☽ ex calculo in alt. 42° = 29. 59.

6 secund. maior ea, quam observatio docuit. Diminutio haec diam. ☽. in Eclipsibus solaribus solennis, nonnihil minor ea, quam alias Tubi immediate monstrarn solent, ex hac forsan ratione minor prodiit, quod lumen imaginis solaris in machina helioscopica distinctum quidem, sed debile fuerit. Ceterum, ex conservata diametro imaginis solaris circa

obſcur. maximam patet, illam non ſubiectam fuiſſe dilatatio-ni, cuiusmodi augmentum in Eclipſi Solis d. 25. Iulii 1748. inſigni annotarunt obſervatores.

ANALECTA MEDII AEVI AD ILLUSTRANDA Iura et Res Germanicas. Edidit, praefatus eſt, Summaria praefixit, et Notulas adſperſit, D. FRANC. DOMINICUS HAEBERLIN, Seren. Duc. Brunſv. Luneb. Conſil. Aul. in Acad. Iulia Carolina Helmſtad. Anteceſſor Primar. Iuris Publ. et Hiſtoriar. Prof. P. O. Acad. Bibliothec. Reg. Soc. Scientiar. Goetting. et aliarum Collega exterus.

Norimberg. et Lipſiae, impenſis Car. Felseckeri A. MDCCLXIIII. 2 Alph. 7. pl. in 8.

Nullum a renatis inde literis Seculum protrahendorum in lucem monumentorum, quae medii aevi hiſtoriam illuſtrarent, adeo ſtudioſum ac ferax fuit, quam hoc ipſum quod vivimus; et quod maxime exoptatum accidit, Germaniae inprimis noſtrae, vetuſtioris illius multisque tenebris obſcuratae, res, iura, viri clariores, renovata quodammodo et in vitam reducta horum ſcriptorum beneficio videntur. Sed in amplissimam hanc meſſim licet multi iam falcem immiſerint, reſtant tamen non minus copioſa analecta, quae decerpere diligentia virorum doctorum atque intelligentium poſſit. In horum laudabili conſortio nomen hoc tempore profitetur Illuſtris *Haeberlinus*, hiſtoriae patriae conſultiſſimus, editisque libris, non minus eruditis quam utilibus, dudum nobilitatus. Nam cum ipſi benignior fortuna non contemnendum monumentorum eius-

 modi,

modi, de quibus diximus, apparatum conceſſerit, hoc ille nunc agere incipit, ut eius uſum ad alios quoque, qui Germanicae hiſtoriae amore tenentur, transferat. Ac huic quidem Volumini deſignationem *primi Tomi* non adiecit; ſed ſpem tamen quam certiſſimam facit, plures Tomos ſubſecuturos eſſe, et alteri cuivis Tomo indicem locupletiſſimum ſubiectum iri. Argumentum autem eorum hoc modo inſtituit moderari, ut praecipue diplomata et chartas alias Seculorum quae decimum ſextum anteceſſerunt, proferat; ex hoc tamen ipſo Seculo nonnumquam, nexus gratia, nonnullas interſpergat. Editurus eſt etiam Chronica et Scriptores medii aevi, vel ad hunc diem latentes, vel longe emendatiores, quam ab aliis excuſi ſunt, et ſi nimis prolixi ſint, varias tantum lectiones in illos ſuppeditabit. Neque primarias accurati Editoris dotes in hoc viro quisquam deſideraverit. Diligenter enim ad ſingula monumenta annotat, num ex archetypo edantur, an vero ex apographo. Maximam eorum partem ex autographis ipſe deſcripſit, et quae ex aliis exemplis deſumta ſunt, ea ſaepius cum libris antiquis contulit. Ingenio aut coniecturae nihil omnino in edendo tribuit; ut adeo, ſi lacunae quaedam in chartis vetuſtis ſeſe obtulerint, easdem expreſſerit, niſi cum ex alia charta ſimilis argumenti expleri poſſent. Diplomati cuique indicem breviusculum, *Summaria* vocant, praefixit; ſubinde et animadverſiones adiecit, quibus vel orationis genus latinum, quod medio aevo viguit, vel hiſtoriam ipſam, vel denique lectionem aliquam impeditam luce perfundit.

Iam quae hoc Tomo continentur, breviter edisſeramus. I. *Codex variorum diplomatum, chartarum, confoederationum, transactionum, etc. res Hanſeaticas concernentium. Liber I. Privilegia Regum Angliae, mercatoribus Hanſae Teutonicae conceſſa*, a Num I XXIV cum appendice quadruplici. Ex Cod. chartaceo medii Seculi XV,

Pleraque inedita sunt, et *Rymeri* ipsius diligentiam effugerunt. Faciunt inprimis ad confirmanda ea, quae viri docti, *Werdenhagenius* et *Willebrandtius*, de florentissima Hansae Teutonicae Societate mercatoria commentati sunt.

II. *Codex variorum Diplomatum, Chartarum, Confoederationum, et aliorum Documentorum, ad illustrandas res Colonienses et Westphalicas, potissimum vero urbis Susati, a Num. I-LXVI. Accedit Appendix duplex, continens Statuta Susatensia latina, tum vetustissima, tum paulo recentiora*, pag. 217-532. Haec quoque, si a paucis discesseris, primum nunc in lucem prodeunt. Plurimum exiis utilitatis capient Historiae Westphalicae inprimis studiosi; ne de urbe Susatensi dicamus, quae mirum quantum iisdem illustratur. De huius urbis antiquitate et celebritate, deque Statutis eius, quaedam lectu digna disputat doctiss. Editor in praefatione.

III. *Farrago miscellaneorum diplomatum, chartarum et documentorum, ad illustrandas res Brunsuico-Luneburgicas*, a Num. I-X. pag. 533-568. Tria horum diplomatum saepius quidem iam edita sunt, sed admodum vitiose: merito igitur accuratius hoc loco recusa sunt. Est in his secundum, quod, observante Ill. *Haeberlino*, admonere possit monumentorum talium editores, ut providam curam omnem in iis describendis adhibeant. Diuturnam litem sustinuit ante paucos annos Ducale Convictorium Academiae Iuliae Carolinae cum Reverendiss. et Seren. Abbate Principe Gandesiensi super decimis in villa *Bornhusen*; quaerente hac Abbatia Principali praesidium causae suae in falsa huius diplomatis pag. 542. lectione, ubi primi editores, *Hahnius* et *Harenbergius*, Viri Clariss. contra fidem authentici exempli, pro *Bunishusen* substituerant *Burnhusen*. Sed tandem iusta causa, et veritas lectionis, vicit. Verum inter haec diplomata gratissimum inprimis historiae patriae amantibus esse

esse debet, quod tertio loco legitur, *Fragmentum Conventionis inter* ENGELBERTUM, *Episcopum Mindensem, et* MAGNUM, DUCEM SAXONIAE: tanto certe gratius, quo rariores occurrunt chartae, a *Ducibus Saxoniae Billunganis* profectae. Membranam, cui haec Conventio inscripta est, tegumentum alii Codici praebentem, in Bibliotheca Academiae Helmstadiensis reperit *Io. Ludov. Levini Gebhardi*, Historici inter nos clari, filius, Codicem illos cum Celeb. *Haeberlino* evolvens. Hic tamen, primigenium esse hoc diploma, inter annos 1070. et 1080. referendum, non existimat, licet apographum, ad hanc aetatem proxime accedens, esse videatur. Dolendum autem est, hanc chartam *Magni* Ducis mancam tantum supereſſe, ex qua alioquin accuratior notitia patrimonii *Billungani* eis Visurgim hauriri posset. — Dignum etiam est quod commemoretur ultimum huius Sectionis III. Documentum, p. 565. *Paulini Chappe*, Consiliarii, Ambasiatoris, et Procuratoris Gener. Sereniss. Regis Cypri, *Litterae indulgentiarum impressae, datae Gofrido Becker, Presbytero Verdensis Dioecesis in Luneborch*, A. C. 1455. propterea, quod inter prima typographicae artis specimina referendum est, videturque *Gebhardo*, quem supra laudavimus, et qui nuper diem suum obiit, Moguntiae a. 1452. excusum esse, licet annum 1455. prae se ferat. De quo alii iudicent.

IV. *Excerpta quaedam ex Visionibus Godeschalci, e Cod. MS. membranaceo Biblioth. Acad. Helmst. accurate descripta, cum annotatione omissarum, interpolatarum, corruptarum, et vitiosarum lectionum editionis Leibnitianae Scriptor. Rer. Brunsuic.* T. I. Num. LXI. pag. 870 875. Ex iis, quae primum ex his *Visionibus* hominis fanatici eduntur, nonnihil lucis accipere historia Holsatica potest.

V. *Lectiones variantes, emendationes, et supplementa ad Alberti Stadensis Chronicon, edit. Reineccianae, Helmstad.* 1637.

ex

the Lord Mayor, and the Lord Mayor, with the Aldermen, to the Guildhall, where they were received with a banquet, and the Lord Mayor presented with a gold cup and cover, worth 500*l.* The Lord Mayor, Aldermen, and Sheriffs, were knighted by the King at Whitehall, on the 24th of October.

The Lord Mayor's Procession.

The Lord Mayor's Procession, as represented in the above engraving, is taken from a print published in 1757, and is a correct representation of the procession as it appeared in the reign of George II. The Lord Mayor's Show, as it is called, is the most ancient of the City pageants, and has been annually exhibited since the year 1215, when Henry Fitz-Alwin was elected the first Lord Mayor of London. The procession is by water to Westminster, and back by land to the Mansion House, where the Lord Mayor dines with the Aldermen and Sheriffs, and the Companies of the City, in their respective halls, dine with their Masters and Wardens.

Digitized by Google

TAB. I. ad Nov. Act. Erud. A. 1764. Mens. Jul. pag. 121. sequ.



Digitized by Google

NOVA ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipſiæ

Calendis Iulii et Aug. Anno MDCCLXIV.

DE MENSTRUA SOLIS PARALLAXI SENIS OBſervata, Exercitatio Aſtronomica, habita in Collegio Romano Soc. Ieſu a PP. eiusdem Societatis, Anno MDCCLXIV.

Romae, typis Generoſi Salomoni, Superiorum permiſſu.

Menſtrua Solis Parallaxis, aberratio ſcilicet motus Solis ex Lunae actione ſynodico lunari menſe, maiori ſaltem ex parte, circumſcripta, quam Senis, bonarum artium ſtudiis florentiſſima Urbe, paucis abhinc annis obſervavimus, huius exercitationis argumentum eſto. Tab. I.

I.

Parallaxim menſtruam Solis unum eſſe ex Newtonianae Theoriae conſectariis, neminem latet *a*). Sic enim Sol in S, atque ACPM ellipſis, quam in Copernicana hypotheſi ex Kepleriana lege deſcriberet punctum C, ſi maſſae Telluris ac Lunae in eo coaleſcerent. Intelligatur iam Luna ita ſeparari a tellure T, atque ad debitam ab ea diſtantiam removeri in L, ut C ſit commune centrum gravitatis Telluris ac Lunae: perget punctum C quam proxime deſcribere eandem ellipſin. Cum autem Luna circa commune centrum gravi-

a) Princ. Matth. lib. 3. Prop. 13.

gravitatis revolvatur in curva LNO, tellus illi ſimilem curvam TFB circa idem centrum deſcribere cogitur.

II.

Ponatur facilitatis gratia, ex hac ſeparatione nihil turbari motum centri gravitatis, illudque pergere, ut antea, in ellipſi ACPM: Tellus, quae circa illud revolvitur, fiet Satelles Planetae inviſibilis, nempe centri gravitatis C, illudque nunc praecedet, nunc ſubſequetur, pro diverſa Lunae poſitione: praecedet a novilunio ad plenilunium, ſubſequetur a plenilunio ad novilunium: ex quo fit, ut motus Solis videatur in ellipſi ex centro gravitatis C, non vero ex centro telluris. Ut igitur obtineatur locus Solis geocentricus, aliquid addendum, vel ſubducendum eſt a loco Solis viſo ex communi centro gravitatis, (quem barocentricum liceat appellare), angulus nempe, quem conſtituunt rectae SC, ST, ex centro Solis ad centrum gravitatis et telluris ductae.

III.

Verum commune gravitatis centrum Lunae ac telluris ellipſim circa Solem tanquam focum accurate non deſcribit; nam licet ſingulae terreſtris atque lunaris materiae particulae gravitate polleant in reciproca duplicata ratione ſuae diſtantiae a Sole, ſumma tamen gravitatum omnium non eſt reciproce proportionalis quadrato diſtantiae centri gravitatis a Sole, et virium directiones non ſunt per SC, neque per rectas ipſi parallelas, quanquam ab ea ratione, ac directionibus parum admodum recedatur: hinc motus Solis e communi gravitatis centro viſus non eſt in ellipſi. Ex hac, atque ex ſuperiori cauſſa, quarum utraque ex Lunae actione pendet, illa enim ſublata evaneſcit utraque, conſurgit aequatiuncula, ad motum Solis accurate obtinendum omnino neceſſaria, ſi vera ſint a Newtono tradita.

IV.

Digitized by Google

IV.

Neque in Copernicana tantum hypotheſi locum habet quaeſtio, utrum huiusmodi aequatio in Aſtronomiam ſit introducenda: nam ſi quis contenderet, focum ellipſis a Sole deſcriptae non locari in centro telluris immobilis, ſed in puncto aliquo tellurem inter et Lunam, ac pro diverſo trium horum corporum poſitu ſubinde turbari Solis ellipſim, rem affirmaret ſaltem, neque rationi, neque obſervationibus hactenus habitis contrariam, ex qua idem prodiret effectus; obſervationes proinde circa Solem in opportunis Lunae poſitionibus eſſent inſtituendae, ad hypotheſin examinandam. Ut tamen res facilius et clarius percipi poſſit, eam in Copernicano ſyſtemate expendemus.

V.

Ab Aſtronomis diu neglecta fuit in ſuis tabulis haec parallaxis, neque, ut ait Alembertius, in eorum oculos, dum obſervarent, incurrit a); ex quo ſatis intelligitur, quantae ſit tenuitatis, quantaque inde aequatiunculam obſervationibus confirmandi difficultas.

VI.

Iamdiu optabam, ut quis Aſtronomiae peritus hanc ſane arduam provinciam ſuſciperet, mihi enim omni Aſtronomica ſuppellectili deſtituto, res erat inter eas, quae fieri non poſſunt, adnumeranda. At cum circa Solſtitium aeſtivum A. 1754, ut amico morem gererem, ad obſervan-

 dum

a) Recherches ſur le Syſtème du Monde. Paris 1754. Tom. II. n. 194. Il ne me paroit pas, que les Aſtronomes ſe ſoient appercûs juſqu' ici d' une telle inégalité, qui donneroit 22″ d' équation en tout.

Et n. 196. Cette dernière équation, qui donneroit 22″ de différence dans l' équation du centre, paroit avoir juſqu' ici totalement echappé aux Aſtronomes.

dum me contuliſſem in Meridiana linea, quae Senis eſt in aula Phyſiocriticorum, a doctiſſimo atque immortalis famae viro, Pyrrho Gabriellio, eius Academiae conditore, ante annos quinquaginta deſcripta, praeter expectationem inſtrumentum ad rem definiendam viſum fuit non ineptum. Data igitur mihi humaniſſime a Phyſiocriticis aulam frequentandi facultate, pro qua libellum hunc qualemcumque perpetuum extare volo grati animi monumentum, obſervare coepi menſe Auguſto. Poſt triennium ex Friſio didici, Parallaxim hanc, quam inveſtigabam, a Nicolao Caillio fuiſſe obſervatam, quin adderetur quidquam praeterea *b*). Summa perfuſus ſum voluptate, ut cognovi, meas cum tanti Aſtronomi obſervationibus, ſaltem quoad rem ipſam, cohaerere: duorum autem Obſervatorum conſenſus, quorum neuter de altero quidquam cogitaverat, in re diverſo inſtrumentorum genere, diverſaque methodo, ut coniiciebam, explorata, omnem dubitationi locum mihi praecludebat. Obſervationes nihilominus per aliud triennium ſum proſequutus, quo exacto Senis diſceſſi, ut parallaxis quantitatem, ſi fieri poſſet, definirem, atque in re adeo ſubtili ac delicata mihi plenius ſatisfacerem. Quandoquidem aliquid ad materiam exercitationi ſubminiſtrandam de more promendum eſt, eas hic exponere opportunum duxi, ubi pauca praemonuero.

VII.

Eulerus menſtrua Solis parallaxi primus uſus eſt in ſuis tabulis Solaribus *c*), eamque in quadraturis Lunae cum Sole, in quibus maxima eſt, ſtatuit 15″, ac ſemper proportionalem ſinui diſtantiae Lunae a proxima Syzygia: tunc autem rationem tantum habuit motus telluris circa commune gravitatis centrum, neglecta altera aequationis parte, utpote minoris momenti: ea vero ex data ratione diſtantiarum Lunae

b) De Motu diurno Terrae p. 21. Piſis 1756.
c) Opuſc. Var. Arg. Berolini A. 1746.

Digitized by Google

Lunae ac Solis a terra, ſive parallaxibus horizontalibus Solis et Lunae, ac ſimul ratione maſſarum Lunae ac Telluris, facile ſic definitur.

Moveatur centrum gravitatis C circa Solem S, ſitque Luna L in quadratura cum Sole. Ex ratione rectarum ST, TL, innoteſcet angulus TSL: cum vero anguli ſatis exigui TSL, TSC, ſint ut rectae TL, TC, eaeque ſint ex natura centri gravitatis, ut ſumma maſſarum Telluris et Lunae ad Lunae maſſam, in eadem ratione erit angulus TSL ad maximam parallaxim menſtruam TSC. Vel inventa ex parallaxi horizontali Lunae recta TL in ſemidiametris terreſtribus, in iisdem ex data maſſarum ratione determinetur TC; deinde fiat ut ſemidiameter terreſtris ad TC, ita parallaxis horizontalis Solis ad maximam menſtruam TSC. Hinc poſita diſtantia Lunae TL ſemidiametrorum 60, et maſſa Lunae ad terreſtrem ut 1 ad 39, quemadmodum proxime ſtatuit Newtonus, erit TC ſemidiametrorum $1\frac{1}{2}$, quare ſi parallaxis horizontalis Solis fuerit 10″, erit menſtrua in quadraturis 15″, ut Eulerus tradidit in ſuis tabulis.

Pro reliquis Lunae poſitionibus deſcribatur circa C circulus T *t* B F, ac poſita Luna in *l*, ſit Tellus in *t*, ducaturque *tr* perpendicularis CB. Etſi propter Lunae orbitam non circularem Tellus circulum non deſcribat circa C, quia tamen in perexiguis quantitatibus, de quibus agitur, circularis figura omnino inſenſibiliter aberrat a vera, circulo ſine ſenſibili errore uti poſſumus. Propter rectas igitur ST, *St* quam proxime aequales anguli perexigui TSC, *t*SC, erunt ut TC, *tr*, id eſt ut ſinus diſtantiae Lunae a proxima Syzygia.

VIII.

Verum cum animadverteret, commune gravitatis centrum in ellipſi accurate non moveri, rem iterum examini

ſubiecit *d*). Poſt calculos, quos ipſe Eulerus *maxime complicatos* fatetur, parallaxim rurſus ſtatuit proportionalem ſinui diſtantiae Lunae a proxima Syzygia, maximam vero in quadraturis in triplici determinat hypotheſi rationis maſſae Lunaris ad terreſtrem, nempe 1 : 39, 1 : 48, 1 : 62 : in prima Parallaxis maxima eſt 20″. 25‴; in altera 16″. 38‴; in tertia 13″. 14‴ *e*), poſita ubique Solis Parallaxi horizontali 13″, ac diſtantia Lunae a terra ſemidiametrorum terreſtrium 60. Ex his ſecundae potius adhaerendum cenſet.

A praecedentibus vix differunt Parallaxes hac ſecunda methodo determinatae; nam iisdem poſitis elementis neglectaque turbatione motus centri gravitatis, in prima hypotheſi prodit parallaxis maxima 19″. 30‴; in ſecunda 15″. 55‴; in tertia 12″. 23‴, quae a ſuperioribus diſcrepant minus quam integro minuto ſecundo. Turbatio proinde motus centri gravitatis ab Eulero in computum deducta pro inſenſibili haberi poteſt.

IX.

Eamdem materiam tractavit Alembertius *f*), ac totus in eo eſt, ut oſtendat, in formula, in qua exhibentur variationes motus terreſtris ex Lunae actione, terminos omnes eſſe inſenſibiles, praeter unicum, a quo eadem deſcendit ſolutio, ac tradita num. 7. Deinde aſſumptis parallaxi horizontali Solis 15″, diſtantia Lunae a Terra ſemidiametrorum 60, ac maſſarum ratione 1 : 79, infert maximam parallaxim menſtruam 11″ circiter, quam tamen putat aequo maiorem: huius duplum, nempe 22″, eſt ſumma ex duabus maximis parallaxibus contrariis, quam Aſtronomorum oculos ad annum usque 1754 ait effugiſſe (5). Confirmat haec ſolutio inſen-

d) Acad. Petrop. a. 1747. et 1748. pag. 418. Petropoli 1750. *e*) Ibid. §. 13.

f) Recherches ſur le Syſtème du Monde. Tom. II. n. 194.

Digitized by Google

inſenſibilitatem turbationis motus centri gravitatis, quam etiam demonſtrat Boſcovichius *g*). Quid ſimile prae oculis habuiſſe videtur Newtonus, cum ait, *commune centrum gravitatis Terrae et Lunae Ellipſin circa Solem in umbilico poſitum percurrit, et radio ad Solem ducto areas in eadem temporibus proportionales deſcribit h*).

X.

Circa eandem terreſtris motus inaequalitatem verſatus eſt etiam Clairautius, qui eccentricitatem quoque terreſtris orbitae ab aliis neglectam expendit *i*), atque ex ſua generali ſolutione problematis trium corporum reperit aequationem propter Lunae actionem loco Solis applicandam eſſe

$$+0,00536\,\chi\,\text{Sin.}\,t + 0,00128\,\chi\,\text{Sin.}\,(t+z) - 0,00119\,\chi\,\text{Sin.}\,(t-z)$$

In qua formula t eſt diſtantia media Lunae a Sole, z anomalia media Solis, coefficientes numerici pendent ab elementis ſatis certis, eccentricitate nempe orbitae terreſtris, motu medio tum Solis, tum Lunae a Sole, atque huius motu anomaliſtico: quantitatem vero χ ingrediuntur parallaxis horizontalis tum Lunae, tum Solis, ac ratio inter maſſas Telluris ac Lunae: ſatis proinde incerta eſt. Poſitis parallaxi horizontali Solis 10″, Lunae 3402″, maſſa lunari ad terreſtrem ut 1 ad 40, fit $0,00536\,\chi = 14'',53$, ex quo per regulam auream reliqui termini definiri poſſunt. At poſt tranſitum Veneris per diſcum Solis huius parallaxis media deprimenda eſt ad 8″, 65, mire conſentientibus obſervationibus 11 circa ultimum interiorem contactum, comparatis cum eodem ad Caput Bonae Spei obſervato, et 9 circa totalem

g) Stay Philoſ. ſuppl. n. 518.

h) Princ. Math. lib. 3. prop. 13.

i) Com. Acad. Pariſ. an. 1754. pag. 521. Pariſ. 1759.

lem durationem *k*). Imminuta parallaxi horizontali Solis minui debent in ratione 1000 ad 865 termini omnes eius formulae, quae proinde in hanc convertetur:

$$12'',57.\ \text{Sin.}\ t + 3''\ \text{Sin.}\ (t+z) - 2'',8\ \text{Sin.}\ (t-z)$$

XI.

Ex iis, quae a praeſtantiſſimis hiſce viris accepimus, quibus in Theoriae atque Analyſis peritia praetuleris neminem, duo facile eſt intelligere: primum, vix fieri poſſe, ut aequatio 20″ excedat; alterum, infra eum terminum eſſe valde incertam, quod a ratione lunaris maſſae ad terreſtrem non ſatis comperta oritur, atque a variis circa horizontalem Solis parallaxim opinionibus; cum enim haec ſcribebant, ea multo magis, quam noſtris hiſce temporibus, incerta erat. Res itaque ad examen per obſervationes eſt revocanda.

XII.

In Pariſienſis Academiae commentariis ann. 1750 *l*) integrum habetur opuſculum Nicolai Caillii, in quo de menſtrua Solis Parallaxi agitur per obſervationes inveſtiganda, atque novem exhibentur coniugationum paria, quibus ductus in ſuis Aſtronomicis elementis eam ponit 10″, vel 12″

k) Philoſ. Tranſ. a. 1762. pag. 611. In Ephemeridibus an. 1764. a Patre Maximiliano Hell, S. I. Caeſareo Aſtronomo, Vindobonae vulgatis pag. 220. habetur tabula, in qua Planmanus, qui congreſſum Veneris cum Sole obſervavit Caianeburgi in Finnonia, exhibet Parallaxes Solis ex pluribus obſervationibus contactuum Veneris cum eius limbo, eamque ſtatuit in ipſo tranſitus momento 8″, 21, adeoque parallaxis media fiet 8″, 33. Priorem amplexus ſum, propter conſenſum obſervationum duplicis generis.

l) Pariſ. 1754.

Digitized by Google

12″ *m*) addita regula a Typographo corrupta, *Ut radius eſt ad ſinum duplae diſtantiae Lunae a Sole, ita ſunt* 10″ *ad aequationem quaeſitam;* in qua delenda omnino eſt vox illa *duplae*.

At Clairautius in opuſculo, de quo meminimus num. 10, coniugationibus novem, quae eaedem ſunt cum iis, quas modo memoravimus, quatuor quidem, quoad unicam obſervationem, reliquae vero quoad utramque, alias addidit decem ex obſervationibus Caillii ad Caput Bonae Spei, et in Inſula Borbonia; atque ope ſuae formulae parallaxim in quaduraturis definit, ex prioribus 6″, 3, ex poſterioribus 9″, 9, ex omnibus mediam 8″, 2: quia vero has illis praeſtare arbitratur, eam ultimo ſtatuit 8″, 7. Poſt haec parallaxim minuit ipſe Caillius, eamque poſuit in Aſtronomia *n*) 8″, 5, at in Tabulis *o*) 7″, 7; quibus rationibus ductus adeo minuerit, me prorſus latet.

Haec ſunt, quae reperire mihi licuit: omnia vero, dum obſervarem, me latuerunt, praeter Euleri ſolares tabulas, atque Caillii Aſtronomiam: magno enim ſtudiorum detrimento ſero admodum in noſtras regiones huiusmodi libri deferuntur.

XIII.

Methodus parallaxim hanc obſervandi duplex eſſe poteſt, longitudines nempe Solis, vel diſtantias eius a vertice inveſtigando, dum Luna eſt circa utramque quadraturam. Obſervetur longitudo Solis S, dum Luna eſt v. g in prima quadratura in L, ductisque per S rectis, TD, CM, longitudo Solis geocentrica excedet barocentricam angulo MSD, qui aequatur parallaxi TSC: translato deinde centro gravitatis in *c*, ac Luna in alteram quadraturam in λ, ductisque ut

m) §. 759. Pariſ. 1755. *n*) §. 759. Pariſ. 1761.
o) Pariſ. 1758.

ut antea rectis τd, cm, longitudo geocentrica deficiet a barocentrica angulo mSd, sive $\tau S\varepsilon$. Sol itaque a prima ad alteram quadraturam minus in longitudinem promotus videbitur ex Tellure, quam ex centro gravitatis. Oppositum contingeret, si prima observatio instituta fuisset in secunda quadratura. Ex accuratioribus tabulis, in quibus nulla menstruae Parallaxis habeatur ratio, vel illa omissa, investigetur differentia inter longitudines Solis tempore observationum, eaque addatur longitudini primo observatae, et siquidem nullus fuerit tum in computo, tum in observationibus error, longitudo Solis ex computo, atque ex prima observatione excedet longitudinem secundo observatam in primo casu, deficiet in altero: excessus, vel defectus, erit summa angulorum, id est parallaxium TSC, $\tau S\varepsilon$. Hac methodo usus est Caillius, apud quem fuse exposita videri potest.

Altera methodus ex priori descendit: variata enim longitudine Solis variatur et declinatio, atque hinc meridiana Solis a vertice distantia: haec proinde observata in una quadratura augeatur, vel minuatur, prout tabulae docent, ad obtinendam distantiam in altera quadratura; huius differentia ab observata erit summa parallaxium in declinationem, a qua erui poterit parallaxis in longitudinem. Verum satis lubrica est haec methodus, nisi plurimae adhibeantur cautiones: qua ratione me gesserim, intelligetur, postquam indicavero, in quo Senensis meridiana praestet, in quo deficiat.

XIV.

Ex plurimis observationibus circa Solstitium aestivum, et paucis aliquot circa hyemale, per sexennium illud comperi, binarum observationum errores 10″ concludi: nam Solstitiales altitudines ex singulis observationibus circa idem Solstitium erutae nunquam inter se discreparunt magis, quam 10″. In hoc quidem singulare aliquid mihi videtur habere Senensis meridiana, quod neque in Bononiensi, neque in Roma-

Digitized by Google

Romana eſt reperire, licet illa ſit quadruplo circiter, haec triplo maior; nam in Bononienſi anno 1729. occurrunt obſervationes die 20. ac 21 Iunii, ex quibus Solſtitiales altitudines prodeunt 34″ diſcrepantes *p*): in Romana vero anno 1702 occurrit diſcrimen 28″ inter altitudines Solſtitiales ex obſervationibus d. 18. et 24 Iunii *q*), atque in neutra deſunt differentiae 10″ maiores. Quin et altiſſimum Gnomonem Florentinum 15 fere partibus maiorem hac in re propemodum aequat: etenim ex obſervationibus d. 20. et 24. Iunii ann. 1756, quae aere ſereno ac tranquillo habitae ſunt, ac certae notantur, duplex prodit Eclipticae obliquitas diſcrepans 9″ *r*).

Adeo mira mihi videtur haec Senenſis meridianae proprietas, ut mihi ipſi vix crederem, niſi aptae occurrerent cauſſae. Ceteris omiſſis praecipuam arbitror foraminis amplitudinem: eius diameter in Bononienſi ac Romana aequat milleſimam radii partem, in Florentina milleſimam octingenteſimam, at in noſtra quatuor milleſimas. Imago ſcilicet Solis, propter maiorem luminis copiam, multo vividior in ſuis limitibus, eſt minus incerta.

Praetereundum tamen non eſt, extra Solſtitia errorum limites eſſe aliquanto ampliores, quod et in aliis Gnomonibus accidere video, ſive id oriatur ex elementis, quae ad obſervationes comparandas in computo poſita, vel neglecta fuere, ſive ex aliis cauſſis; nunquam enim deſunt, quae exiguas quantitates clam adiiciant, vel detrahant.

Neque in marmoribus, neque in virga ferrea, in qua meridiana linea configuata eſt, neque in laminae poſitione

p) Manfr. de Gnom. Bon. cap. 15.
q) Blanch. Aſtr. obſ. pag. 27.
r) Ximenes del Gnom. Fiorent. pag. 305, 307, 319.

per foramen Solarem radium traiicientis, aut marmore, cui cochlearum ope illa eſt commiſſa, ſenſibilis apparet luxatio.

XV.

Sua tamen illi non deſunt vitia, quibus nullum huiusmodi inſtrumentum, praeſertim poſt longum a prima conſtructione annorum intervallum, carere arbitror. Perpendiculum ab initio lineae aliquantulum deflectit; circa horizontalem vero in plano meridiani poſitionem illud ſtatuere poſſum, ab ea parum admodum aberrare: de his vero multum non fui ſollicitus; nam methodus, qua uti decreveram, ab iis vitiis depravari non poterat, niſi forent enormia, qualia certe non ſunt.

Illud unice mihi diligentiſſime praeſtandum fuit, ut lineae diviſionem corrigerem, quam ſenſibiliter inaequalem animadverti. Vix ullum eſt inſtrumentum adeo accurate diviſum, ut examini ſubiectum correctione nulla indigere deprehendatur. Neque in hoc accuſandus eſt Gabriellius, qui cum ſexagenarius eſſet, ac pluribus aliis curis diſtentus, (medicinam enim tanta cum laude profitebatur, ut etiam nunc in omnium ore verſetur,) alienae diligentiae nonnulla committere coactus fuit. Circino itaque virga inſtructo, cui micrometrum erat adnexum, bis diſtantiam inter proxima quaeque puncta metitus ſum, atque exceſſum, vel defectum a centeſima radii parte, quam etiam diligenter examinaveram, ad futuros uſus in tabellam retuli.

XVI.

Ex hac meridianae lineae deſcriptione illud facile intelligitur, ad vitandos errores, qui ex eius vitiis manare poſſunt, obſervandas fuiſſe diſtantias Solis a vertice, cum Sol verſaretur circa idem meridianae punctum, easque ſolas inter ſe comparandas; ita enim fit, ut errores, qui ex depravato inſtrumento oriri poſſunt, vel omnino de medio tollan-

Digitized by Google

tollantur, vel minuantur plurimum. Sumptis enim tangentibus ex eodem meridianae puncto, quantum ex enumeratis vitiis illae augentur in una obſervatione, tantundem fere augentur in altera: differentia proinde inter obſervatas diſtantias a vertice, cuius ſolum hic habenda eſt ratio, eadem fere omnino eſt, ac ſi in accuratiſſimo inſtrumento fuiſſet obſervata. Quod ſi contigerit, in ſecunda obſervatione tangentes metiri non ex eodem puncto, ac in prima, ſed ex alterutro ex proximis, cognito diviſionis errore, facile erit et ipſam obſervationem corrigere. Hinc aliquando factum eſt, ut in tabula prima eidem diei duplex adſcripta ſit diſtantia Solis a vertice, una quidem ſumptis tangentibus ex uno puncto, altera vero ex altero, prout comparandae obſervationes requirunt.

XVII.

At praeterea curandum eſt, ut obſervationes mutuo comparandae fiant circa oppoſitas Lunae quadraturas. Hinc primo in mentem venit obſervationibus uti integro quadriennio diſtantibus; nam Sole ad idem fere Eclipticae punctum poſt quadriennium redeunte, Luna ad locum priori circiter oppoſitum tranſit; adeoque ſi prima obſervatio fiat circa unam quadraturam, altera continget circa alteram. Sed terruit diuturnitas temporis, quae plura opponere potuiſſet impedimenta, quibus obſervationum ſeries abrumperetur. Statui proinde obſervationes comparare integro tantum anno, vel communi, vel biſſextili diſtantes; nam licet ſumma maximarum Parallaxium non obtineatur, ad eam tamen licet accedere.

Illud hic habetur utilitatis, ut parallaxis altitudinis, et refractio negligi poſſint, neque multum timendum ſit ab huius inconſtantia, cuius quoque vitandae gratia ſtatueram uti ſolis obſervationibus, ſupra quadrageſimum altitudinis gradum; ſed caſu factum eſt, ut omnes exceſſerint quadrageſimum quartum. Si quid etiam in Apogaei longitudine,

vel aequatione maxima centri Solis, vel Eclipticae obliquitate in tabulis erratum est, redeunte Sole ad eumdem fere anomaliae atque Eclipticae punctum, error in declinationis differentia fit prorsus insensibilis.

Cum summam rei subtilitatem intelligerem, nihil eorum omisi, quae ad accurate observandum hoc in genere adhiberi solent; illud praesertim praecavens, ne mens in eam cogitationem descenderet, utrum maior, an minor distantia Solis a vertice in data observatione parallaxi faveret, ne aliqua in alterutram sententiam animi propensio oculorum iudicium secum abriperet.

XVIII.

Observationes omnes Coelo ac Sole satis claro habitas, dubiis tamen, atque incertis reiectis, ex quibus sensibilis aliqua parallaxis derivari possit, in primam tabulam retuli, in qua etiam consignavi elementa calculi instituendi ad eam ex observationibus determinandam. In prima tabulae columna habetur observationum ordo: in secunda menses ac dies: in tertia meridianae puncta, ex quibus tangentes utriusque limbi desumptae sunt: in quarta distantiae apparentes centri Solis a vertice ex observatione, prout eas Gnomon exhibuit: in quinta longitudo Solis ex Ephemeridibus Bononiensibus meridiei medio congruens: in sexta aequatio longitudini Solis applicanda, de qua mox dicam: in septima longitudines Solis per eam aequationem correctae, omissis signis, et gradibus, petendis ex columna quinta, ad breviorem formam tabulae conciliandam: in octava distantia media Solis a Luna: in nona anomalia media Solis. Quod ad aequationem columnae sextae attinet, ea desumpta est ex tabulis Caillii: nam licet longitudines Solis computatae sint ex optimis tabulis Patris Nicasii Grammatici, quia tamen in iis habetur ratio solius aequationis centri, corrigendas duxi per tres aequatiunculas, inaequalis nempe praecessio-

ceſſionis aequinoctiorum, ac turbationis motus telluris ex actionibus Iovis ac Veneris, quarum ſummam in columna ſexta conſignavi, neglecta quadam ſecundae aequatiunculae parte, quae, praeterquam quod eſt ſatis exigua, parallaxim menſtruam nunc auget, nunc minuit.

XIX.

Antequam ad ipſam obſervationum comparationem accedo, animadvertendum, quod ſi Sol verſetur in ſignis aſcendentibus, ac prima obſervatio habeatur circa primam quadraturam, parallaxis auget diſtantiam Solis a vertice in ſecunda obſervatione: id eſt, ſi ex data longitudine correcta in utraque obſervatione inveniatur differentia declinationis, eaque addatur diſtantiae Solis a vertice primo obſervatae, vel ſubducatur, prout ſecunda longitudo minor vel maior eſt prima, prodibit diſtantia Solis a vertice poſt annum obſervanda: a Parallaxi autem menſtrua fiet, ut ea diſtantia in ſecunda obſervatione aliquanto maior deprehendatur. Si alterutra tantum ex hiſce duabus conditionibus in contrariam mutetur, parallaxis minuit diſtantiam, ſi utraque, rurſus auget: prorſus ut in multiplicatione, in qua eadem ſigna poſitivam quantitatem procreant, diverſa negativam. Ex doctrina ſphaerica, et motus Solaris, haec facile patent.

XX.

In diſtantiis Solis a vertice comparandis haec ſervavi.

Primum, eas obſervationes ſelegi diebus 365, vel 366 diſtantes, quibus idem adſcriptum eſt meridianae punctum.

Secundum, ex longitudine media Solis inter correctas, quae utrique obſervationi congruunt, angulum Eclipticae cum parallelo Aequatoris determinavi.

Tertium,

Tertium, ex eo angulo differentiam declinationis sequenti analogia inveni; *ut radius ad sinum anguli eclipticae cum parallelo, ita differentia longitudinis ad differentiam declinationis.*

Quartum, inventam declinationis differentiam distantiae Solis a vertice in prima observatione adieci, vel ab eadem subduxi, ut Solis motus postulabat.

Quintum, distantiam ex prima observatione, et computo, comparavi cum distantia in secunda observatione; nam remotis erroribus differentia est summa parallaxium Solis in declinationem in prima et secunda observatione. Exemplum rem clarius ostendet.

Invenienda sit summa parallaxium die 8. Aug. ann. 1754. ac die 9. Aug. ann. 1755.

Longitudo media Solis inter adscriptas hisce diebus est Sign. 4. 16. 2′, cui congruit angulus eclipticae cum parallelo Gr. 17. 22′, ac longitudinum differentia est 2633″, cuius logarithmus = 3. 42045
Log. Sin. 17. 22′ = 9. 47492
Summa = 12. 89537

cui facta subtractione Logarithmi radii respondent 786″ = 13′. 6″ addenda distantiae Solis a vertice primo observatae, quae proinde ex prima observatione, et computo, erit Gr. 27. 23′. 8″ deficiens a distantia secundo observata 10″, quae constituunt summam quaesitam parallaxium.

In primam tabulae secundae partem eas coniugationes conieci, in quibus effectus parallaxis est augere distantiam Solis a vertice in secunda observatione: in alteram vero eiusdem tabulae partem eas, in quibus distantia minuitur. In prima Tabulae columna occurrit coniugationum ordo;

Digitized by Google

ordo; in ſecunda obſervationes, quae ſingulas coniugationes conſtituunt; in tertia angulus eclipticae cum parallelo aequatoris; in quarta differentia declinationis diſtantiae a vertice primo obſervatae addenda, vel ſubduconda, prout notatur ſigno +, vel —; in quinta diſtantia Solis a vertice primo obſervata aucta, vel imminuta differentia declinationis; in ſexta diſtantia Solis a vertice ſecundo obſervata; in ſeptima differentia inter utramque notata ſigno +, ſi parallaxi faveat, at ſigno —, ſi contraria ſit.

XXI.

Ex hac tabula facile eſt haec colligere: primum, coniugationes 49 parallaxi favere, tantum 13 eſſe contrarias; alterum, ex illis 24 excedere 7″, ex iſtis nullam; tertium, priorum ſummam eſſe 360″, poſteriorum 57″.

Tantum inter haec diſcrimen ex fortuitis erroribus oriri non poſſe, manifeſtum eſt: rem autem omnem attente perpendenti etiam illud patebit, nullam errorem eſſe cauſſam, vel in obſervationibus, vel in inſtrumento, vel in computo, quae ut plurimum quid parallaxi ſimile parere poſſit: eſt quidem cauſſa, quae illam fere perpetuo minuit, de qua dicam num. 23, atque aliae praeterea ſunt, quae diſtantiam Solis a vertice augere poſſunt in una coniugationum ſerie; at eaedem illae minuunt in altera: huiusmodi praeſertim ſunt obliquitatis eclipticae variatio, et motus aliquis in Gnomone inter unam et alteram obſervationem.

Ea fuerit utraque cauſſa, et ſi quae ſunt aliae, ut reliquis omnibus remotis diſtantiam Solis a vertice auxerint, dum parallaxis eam augere debet: in ſequenti Lunatione, in qua parallaxis diſtantiam minuit, augebunt item; non enim facile brevi temporis ſpatio in contrarias mutantur: quare ſi cum parallaxi conſpirarunt in una obſervationum coniugatione, eidem contrariae debuerunt eſſe in altera:

cum vero unius seriei coniugationes coniugationibus alterius intermixtae sint, augmentum imminutione compensari debuit, vel saltem multo minus esse, quam doceant observationes. Motus autem huiusmodi fingere, ut in copiosa earumdem serie ad plures annos producta distantiam Solis a vertice plerumque auxerint, vel minuerint, ut parallaxis requirit, rem esset omnino prodigio similem comminisci.

XXII.

Etsi haec parallaxim menstruam mihi omnino demonstrent, ad eius tamen magnitudinem accurate definiendam aeque apta non esse video, propter nimiam errorum evagationem, atque unius seriei discrepantiam ab altera. Experiri nihilominus volui, quid ex iis prodiret, sperans, observationum copiam, atque annorum sex intervallum singularum defectibus mederi posse. In hac autem investigatione usus sum regula falsae positionis: ex arbitraria nimirum parallaxi eam in singulis observationum paribus definivi; deinde ex summa parallaxium omnium, ex computo, atque earundem summa ex observatione, per regulam auream veram determinavi.

Utendum hac in re censui formula Clairautii tradita num. 10, quia rem videtur expendisse omnium curatissime: eam tamen in hanc converti $12''$, 57 Sin. $t+2''$, 9 Sin. $(t+z) - 2''$, 9 Sin. $(t-z)$, ut eadem tabula inveniendo secundo ac tertio termino inservire posset, quod computum expeditiorem reddit, nec ullius momenti parit errorem. Summam duarum parallaxium in longitudinem, quae semper contrariae sunt, minui in ratione radii ad sinum anguli eclipticae cum parallelo, ut obtinerem summam parallaxium in declinationem. Utrumque summarum genus continet Tabula tertia,

XXIII.

XXIII.

In prima coniugationum ſerie ſumma parallaxium omnium ex obſervatione eſt 71″, ex computo 210″, 6, in ſecunda ex obſervatione 232″, ex computo 285″, 8, quod oſtendit, conſtantes formulae quantitates eſſe minuendas. Antequam tamen id fiat, primo reiiciatur coniugatio 29, quae a reliquis omnibus plus aequo aberrat, et ſumma parallaxium in ſecunda ſerie fiet ex obſervatione 213″, ex computo 277″, 2: ſecundo corrigendus eſt error quidam propter latitudinem Lunae in computo neglectam; moleſtiſſimum enim fuiſſet in ſingulis coniugationibus eius rationem habere.

XXIV.

Hactenus centra Telluris, Lunae, et gravitatis, in eodem plano cum centro Solis, ſive in ecliptica, poſuimus: at cum Luna in illius plano non revolvatur, neque curva a Tellure deſcripta circa commune centrum gravitatis iacet in ecliptica, quam ipſum centrum percurrit, ſed extra illam vagatur nunc ad Boream, nunc ad Auſtrum: ex quo fit, ut Sol e Tellure viſus extra eclipticam appareat, ac latitudinem aliquam acquirat, quod ante Newtoni theoriam nefas fuiſſet pronuntiare. Quid iam in computum hinc manaverit, expendamus.

Mutuo comparentur obſervationes, in quibus parallaxis auget diſtantiam Solis a vertice, atque in prima obſervatione Luna latitudinem habeat auſtralem; Tellus acquirit latitudinem borealem, adeoque Solem videt cum latitudine auſtrali, id eſt ceteris paribus magis diſtantem a vertice, quam ſi tellus in ipſa ecliptica iaceret. In ſecunda obſervatione poſt annum Luna latitudinem habeat borealem, ut plerumque contingere debet; Tellus in hemiſphaerio auſtrali depreſſa Solem conſpiciet cum latitudine boreali, adeoque vertici propiorem. Ab una itaque obſervatione ad alteram a latitudine Lunae minuitur diſtantia Solis a vertice, dum ex alia parte augetur; eaque imminutio aequatur an-

gulo, ſub quo e Sole videretur ſumma contrariarum latitudinum Telluris. Hinc intelligitur latitudinis lunaris effectus in reliquis circumſtantiis.

Ea fuit per ſex hoſce annos nodorum Lunae poſitio, ut fere ſemper in noſtris obſervationibus eius latitudo effectum praeſtiterit parallaxi contrarium: ea diminutio negligenda omnino non erat, ſed eius habenda ratio fuiſſet in computanda ſumma parallaxium in ſingulis coniugationibus, quod cum praetermiſſum fuerit ea de cauſſa, quam dixi, nunc errorem ſic corrigo.

XXV.

Ex ephemeridibus Bononienſibus excerpſi ſummam duarum latitudinum Lunae in ſingulis obſervationum paribus, cum erant contrariae, differentiam, cum eiusdem erant nominis. In prima coniugationum ſerie ſumma latitudinum omnium parallaxim minuentium, ſubducta ſumma, quae auget, fuit gr. 123, qua diviſa per 27 numerum coniugationum obtinentur gr. 4, 33′, qui ſunt ſumma media duarum latitudinum Lunae, adeoque et Telluris e gravitatis centro viſae, minuentium parallaxim in ſingulis coniugationibus. Radius circuli a Tellure circa centrum gravitatis deſcripti in Clairautii ſolutione eſt paulo maior coefficiente primi termini eius formulae, nempe 12″, 8: fiat proinde ut radius ad ſin. 4. 33′ = 793, ita 12″, 8 ad 1″, 02 parallaxim in latitudinem; quam, ut reducerem ad circulum declinationis, inveni angulum medium eclipticae cum parallelo gr. 21. 3′: fiat proinde, ut radius ad cof. 21. 3′ = 933, ita 1″, 02 ad 0″, 95, quibus minuendae ſunt ſingulae parallaxium ſummae ex computo in prima coniugationum ſerie. Omnium itaque ſumma minuenda eſt 27 + 0″, 95 = 25″, 6, adeoque ſumma parallaxium omnium ex computo erit tantum 185″.

In

In ſecunda coniugationum ſerie ſumma latitudinum omnium parallaxim minuentium, ſubducta ſumma quae auget, fuit gr. 121, qua diviſa per 34 numerum coniugationum, (una enim reiecta fuit), erit ſumma mediâ 3. 34′, cuius ſinus eſt 622, ex quo per ſuperiorem analogiam eruitur parallaxis in latitudinem 0″, 8. Angulus medius eclipticae cum parallelo fuit gr. 22. 1′: erit itaque ut radius ad cof. 22. 1′ = 927, ita 0″, 8 ad 0″, 74, ſubducenda a ſingulis parallaxibus in tabula notatis. Summa igitur omnium minuenda eſt 34+0″, 74 = 25″, 2, adeoque ſumma parallaxium omnium ex computo erit 252″.

XXVI.

Correctis ſummis fiat in prima ſerie, ut 185″ ſumma parallaxium ex computo ad 71″ ſummam ex obſervatione, ita 12″. 57 quantitas conſtans aſſumpta primi termini in Clairautii formula ad 4″, 82 quantitatem conſtantem ſubſtituendam. At in ſecunda ſerie fiat, ut 252″ ad 213, ita 12″, 57 ad 10″, 62 pariter in eodem termino ſubſtituenda: medium inter utrumque eſt 7″, 72.

XXVII.

Praetereundum ſilentio non eſt inſigne diſcrimen 5″, 8 inter utriusque ſeriei conſecutiones, quod partim ex variata eclipticae obliquitate proficiſcitur, partim ex motu Gnomonis. Ex Caillii Tabulis a prima Iulii A. 1754 ad primam eiusdem menſis A. 1760, aucta illa eſt 8″: in noſtris autem regionibus augmentum obliquitatis minuit diſtantiam Solis a vertice, cum ille in ſignis borealibus verſatur: quare cum in omnibus fere obſervationibus Sol borealia ſigna occupaverit, variata eclipticae obliquitas cum parallaxi conſpiravit, quando haec minuere debuit diſtantiam Solis a vertice, id eſt in coniugationibus ſecundae ſeriei; at illi contraria fuit in prima: hinc ex parte maiores prodierunt parallaxes in ſecunda, quam in prima ſerie.

Ex rudi computo inveni, ab huiusmodi cauſſa gigni debuiſſe differentiam circiter 3″: quod reliquum eſt, ex motu Gnomonis profectum fuit; etenim ex obſervationibus circa Solſtitium aeſtivum cognovi, in eo diſtantias Solis a vertice poſt annum 1754 aliquanto minores fuiſſe, quam poſtulet variata eclipticae obliquitas. Igitur et ipſe Gnomon aliquid contulit ad parallaxes minuendas in prima ſerie, atque augendas in altera, adeoque ad differentiam parallaxium, quae ex utraque conſequuntur, omnino augendam. Aliae fortaſſe non deſunt cauſſae, quae idem praeſtiterint, vel etiam differentiam, de qua loquimur, ab hiſce duabus ultra 6″ auctam minuerint. Primae haberi potuiſſet ratio in computo, quod cum fieri non potuerit in ſecunda, ac multo minus in reliquis, ab inutili labore abſtinendum cenſui.

XXVIII.

Mens erat obſervationes mutuo conferre quadriennio diſtantes; ſed cum animadverterim, et multas non eſſe, et fere omnes ex iis, in quibus parallaxis minuit diſtantiam Solis a vertice in ſecunda obſervatione, ab ulteriori labore ceſſavi: qui enim errores ex motu Gnomonis in locupletiore coniugationum ſerie profecti ſunt, contrariis in altera ſatis inope deſtrui facile non potuiſſent.

XXIX.

Induſtriam hanc noſtram, quam organorum notae melioris inopia peperit, cum ſpe quadam coniuncta fore, ut parallaxi potirer duplo maiore, ſi licet in commune conferre cum laboribus Caillii, atque Clairautii, in quadraturis ea ſtatui poterit 8″, 2, quae media eſt inter noſtram (26) et eam, quam ex illius obſervationibus hic probabilius conſequi putavit (12), in quo tamen iſtius ſenſus adoptandos cenſeo s).

Ad

s) J'avouerai cependant, que je ne ſuis que mediocrement attaché à ma determination preſente. Clair. Mem. de l'an. 1754. pag. 559.

Ad eam maxime acceſſiſſem, ſi ſummis parallaxium omnium fuiſſem uſus, nulla duplicis ſeriei habita ratione; nam prodiiſſent 8″, 17.

Hinc parallaxis menſtruae formula haec erit

$8'' \, 2 \operatorname{Sin.} t + 1'', 96 \operatorname{Sin.} (t+z) - 1, 83 \operatorname{Sin.} (t-z)$,

ſive commodius

$8'', 2 \operatorname{Sin.} t + 1'', 89 \operatorname{Sin.} (t+z) - 1'', 89 \operatorname{Sin.} (t-z)$;

ex qua conſtrui poterit gemina tabula ad eam ex datis, diſtantia Lunae a Sole, atque huius anomalia, expedite inveniendam.

XXX.

Cum ex parallaxi menſtrua ratio lunaris maſſae ad terreſtrem ſua ſponte fluat, eam hic breviter innuam. In ſuperiori formula lunaris maſſa proportionalis eſt ſingulorum terminorum coefficientibus, ſive quantitatibus conſtantibus, ſi reliqua omnia eadem ponantur: at ex aſſumpto coefficiente primi termini 12″, 57 maſſa lunaris eſſet quadrageſima Telluris pars (10): fiat itaque, ut aſſumpta quantitas conſtans 12″, 57 ad inventam 8″, 2, ita Lunae maſſa illi congruens 1 : 40 ad veram 8″, 2 : 40 + 12″, 57 = 1 : 61, 3. Erit igitur maſſa lunaris ad terreſtrem, ut 1 ad 61 quam proxime, quae ratio media circiter eſt inter eas quae circumferuntur.

Iam illud unice hic mihi ſupereſt, ut noſtrae Phyſiocriticorum Academiae de Gnomone gratuler, qui licet pedes Pariſienſes undeviginti non aequet, menſtruae tamen parallaxi Solis demonſtrandae par fuerit, in eius vero magnitudine definienda non admodum, ut mihi quidem videtur, a veritate aberraverit.

TABU-

TABULA I.

APPARENTES MERIDIANAE DISTANTIAE SOLIS A VERTICE ATQUE ELEMENTA CALCULI

ad menstruam parallaxim inveniendam.

1754.

Obser.	Dies Aug.	Mer. Pun.	Distantiae Sol. a Vert. G. ′ ″	Longitudo Solis. S. G. ′ ″	Correct. ″	Long. Solis corr. ′ ″	Diff. L. a S. G.	A. M. Solis. G.
1	8	51	27. 10. 2	4. 15. 40. 42	— 10	40. 32	240	38
2	10	53	27. 45. 6	4. 17. 35. 52	— 9	35. 43	265	40
3	11	53	28. 2. 46	4. 18. 33. 30	— 9	33. 21	277	41
4	12	54	28. 20. 34	4. 19. 31. 10	— 8	31. 2	289	42
5	24	63	32. 13. 37	5. 1. 4. 46	— 4	4 42	76	54
6	25	64	32. 34. 14	5. 2. 2. 43	— 4	2. 39	88	55
7	28	66	33 37. 10	5. 4. 56. 48	— 2	56. 46	124	58
8	29	67	33 58. 23	5. 5. 54. 52	— 2	54. 50	136	59
	Sept.							
9	9	78	38. 1. 12	5. 16. 35. 32	+ 2	35. 34	271	70
10	25	97	44. 12. 47	6. 2. 14. 10	+ 8	14. 18	106	86
11	26	99	44. 36. 6	6. 3. 13. 6	+ 8	13. 14	118	86
12	27	100	44. 59. 50	6. 4. 12. 5	+ 8	12. 13	130	87
13	29	103	45. 46. 33	6. 6. 10. 7	+ 9	10. 16	154	89

1755.

	Apr.							
14	4	77	37. 39. 5	0. 14. 21. 11	— 5	21. 6	274	274
	Aug.							
15	9	51	27. 23. 18	4. 16. 24. 19	+ 6	24. 25	22	39
16	11	53	27. 58. 31	4. 18. 19. 33	+ 6	19. 39	47	41
17	12	53	28. 16. 23	4. 19. 17. 12	+ 6	17. 18	59	42
18	12	54	28. 16. 23					
19	16	57	29. 30. 15	4. 23. 7. 59	+ 6	8. 5	108	46
20	25	64	32. 28. 57	5. 1. 48. 41	+ 7	48. 48	217	55
21	25	63	32. 29. 5					
22	29	66	33. 53. 7	5. 5. 40. 47	+ 7	40. 54	266	59
23	29	67	33. 53. 6					

TABULA I.

Obser.	Dies	Mer. Pun.	Distantiae Sol. a Vert.	Longitudo Solis.	Correct.	Long. Solis corr.	Dist. L. a S.	A. M. Solis.
	Sept.		G. ′ ″	S. G. ′ ″	″	′ ″	G.	G.
1755.								
24	9	78	37. 55. 47	5. 16. 21. 23	+ 7	21. 30	40	69
25	26	99	44. 30. 19	6. 2. 58. 48	+ 7	58. 55	248	86
26	26	97	44. 30. 25					
27	28	100	45. 17. 24	6. 4. 56. 45	+ 7	56 52	272	88
28	29	103	45. 40. 44	6. 5. 55. 47	+ 7	55 54	284	89
1756.								
	Apr.							
29	3	77	37. 44. 38	0. 14. 6. 57	—14	6. 43	44	273
	Aug.							
30	16	57	29. 44. 38	4. 23. 51. 47	—16	51. 31	250	47
31	21	61	31 22. 46	4. 28. 40. 54	—17	40. 37	310	51
32	24	64	32. 23. 53	5. 1. 34. 41	—17	34. 24	347	54
	Sept.							
33	3	73	35. 58. 24	5. 11. 15. 42	—18	15. 24	109	64
34	6	76	37. 51 5	5. 14. 10. 33	—18	10. 15	146	67
35	14	84	40. 7. 42	5. 21. 58. 11	—19	57. 52	243	75
1757.								
	Mar.							
36	28	84	40. 9. 12	0. 7. 58. 11	+ 5	58. 16	100	267
37	29	83	39. 45. 42	0. 8. 57. 21	+ 5	57. 26	112	268
	Aug.							
38	8	51	27. 14. 52	4. 15. 56. 30	—32	55. 58	282	38
39	9	52	27. 32. 0	4. 16. 54. 5	—32	55. 33	294	39
40	21	61	31. 17. 41	4. 28. 26. 54	—35	26. 19	80	51
41	23	62	31. 58. 23	5. 0. 22. 43	—35	22. 8	104	53
42	25	64	32. 39. 40	5. 2. 18. 37	—35	18. 2	129	55
	Sept.							
43	4	73	36. 15. 8	5. 11. 59. 51	—36	59. 15	251	65
44	7	76	37. 22. 0	5. 14. 54. 46	—36	54. 10	287	68
45	8	77	37. 44. 36	5. 15. 53. 8	—36	52. 32	300	69
46	9	78	38. 7. 0	5. 16. 51. 31	—36	50. 55	312	70

Digitized by Google

TABULA I.

Obser.	Dies Sept.	Mer. Pun.	Distantiae Sol. a Vert. G. ′ ″	Longitudo Solis. S. G. ′ ″	Correct. ″	Long. Solis corr. ′ ″	Dist. L. a S. G.	A. M. Solis G.
			1757					
47	10	79	38.29.54	5.17.49.58	—36	49.22	324	71
48	14	84	40. 2.11	5.21.44. 0	—36	43.24	13	75
49	15	84	40.25.22	5 22.42.35	—36	41.59	25	76
			1758					
	Mar.							
50	16	100	44.58. 4	11.25.50.49	—7	50.42	84	255
51	29	83	39.51.30	0. 8.43. 1	—10	42.51	242	268
52	29	84	9.51.29					
53	30	83	39.28.14	0. 9 42.10	—11	41.59	254	269
	Apr.							
54	19	63	32. 5. 3	0.29.17.48	—16	17.32	138	289
55	21	61	31.24. 0	1. 1.14.40	—16	14.24	162	291
	Aug.							
56	9	52	27.27.56	4.16.40.10	—11	39.59	63	39
57	9	51	27.27.56					
58	13	55	28.39.10	4.20.30.43	—11	30.32	112	43
59	22	61	31.33.11	4.29.10.47	—10	10.37	222	52
60	23	62	31.53.28	5. 0. 8.41	—10	8.31	234	53
61	25	64	32.34.32	5. 2. 4.35	—10	4.25	258	55
62	29	67	33.58.45	5. 5.56.43	— 9	56 34	307	59
	Sept.							
63	7	76	37.16.44	5.14.40.39	— 9	40.30	57	68
64	8	77	37.39.19	5.15.39. 1	— 9	38.52	69	69
65	8	76	37.39.20					
66	10	79	33.24.34	5.17.35.49	— 9	35.40	94	71
67	10	78	38.24.35					
68	11	80	38.47.15	5.18.34.16	— 9	34. 7	106	72
			1759					
	Mar.							
69	17	100	44.40.17	11.26.35.57	—22	35.35	225	256
70	19	96	43.52.51	11.28.35. 4	—22	34.42	255	258

Digitized by Google

TABULA I.

1759

Obſer.	Dies Mar.	Mer. Pun.	Diſtantiae Sol. a Vert. G. ′ ″	Longitudo Solis. S. G. ′ ″	Correct.	Long. Solis corr. ′ ″	Diſt. L. a S. G.	A. M. Solis. G.
71	23	91	42. 18. 12	0. 2. 32. 55	—23	32. 32	299	262
72	24	90	41. 54. 35	0. 3. 32. 17	—23	31. 54	311	263
73	25	89	41. 31. 5	0. 4. 31. 37	—23	31. 14	323	264
74	26	87	41. 7. 23	0. 5. 30. 56	—23	30. 33	335	265
75	26	88	41. 7. 22					
76	27	86	40. 43. 53	0. 6. 30. 13	—23	29. 50	347	266
	Apr.							
77	19	63	32. 10. 19	0. 29. 3. 37	—26	3. 11	268	258
78	20	62	31. 49. 38	1. 0. 2. 4	—26	1. 38	280	259
79	20	63	31. 49. 41					
80	22	60	31. 8. 48	1. 1. 58. 52	—26	58. 26	304	261
81	22	61	31. 8. 44					
82	23	60	30. 48. 38	1. 2. 57. 14	—26	56. 48	317	262
	Aug.							
83	13	55	28. 34. 41	4. 20. 16. 43	—14	16. 29	242	43
84	30	67	34. 15. 5	5. 6. 40. 43	—13	40. 30	89	60
	Sept.							
85	2	71	35. 20. 10	5. 9. 35. 11	—14	34. 57	126	63
86	8	76	37. 33. 40	5. 15. 24. 50	—14	24. 36	199	68
87	9	77	37. 56. 15	5. 16. 23. 13	—15	22. 58	211	69
88	10	79	38. 19. 5	5. 17. 21. 38	—15	21. 23	223	70
89	12	80	39. 4 37	5. 19. 18 33	—15	18. 18	248	72
90	17	87	41. 0 19	5. 24. 11. 25	—15	11. 10	309	77

1760

	Mar.							
91	19	96	43. 34. 35	11. 29. 20. 12	— 1	20. 11	32	259
92	23	90	42. 0. 1	0. 3. 17. 57	0	17. 57	80	263
93	23	91	41. 59 58					
94	25	88	41. 12. 47	0. 5. 16. 37	+1	16. 38	105	265
95	25	89	41. 12. 49					
96	26	86	40 49. 13	0. 6. 15. 55	+1	15. 56	117	266
97	26	87	40. 49. 12					

TABULA I.

1760

Obſer.	Dies	Mer. Pun.	Diſt. Sol. a Vert.	Longitudo Solis.	Correct.	Long. Solis corr.	Diſt. L. a S.	A. M. Solis.
	Apr.		G ′ ″	S. G. ′ ″	″	′ ″	G.	G.
98	19	63	31. 14. 17	0. 29. 47. 59	+5	48. 4	50	289
99	20	62	31. 33. 53	1. 0. 46. 25	+5	46. 30	62	290
100	21	61	31. 13. 14	1. 1. 44. 48	+5	44. 53	74	291
101	22	60	30 53. 16	1. 2. 43. 10	+5	43. 15	86	292
	Aug.							
102	13	55	28. 48. 30	4. 21. 0. 31	—15	0. 16	24	44
	Sept.							
103	1	71	35. 14. 53	5. 9. 21. 9	—20	20. 49	255	62
104	17	87	41 17. 57	5. 24. 55. 55	—25	55. 30	90	78

Digitized by Google

TABULAE II.

PARS PRIMA

CONJUGATIONES OBSERVATIONUM,

in quibus Parallaxis menſtrua poſt Annum auget diſtantiam Solis a Vertice.

Conjug.	*Obſervation.*	*Ang. Ecl. cum Par.* G. ′	*Differ. Decl.* ′ ″	*Diſt. Solis a Vert. in 2. Obſ. Ex 1. Obſ. & comp.* G. ′ ″	*Ex 2. Obſer.* G. ′ ″	*Differ.* ″
1	1. 15	17. 22	+ 13. 6	27. 23. 8	27. 23. 18	+ 10
2	2. 16	17. 53	+ 13. 29	27. 58. 35	27. 58. 31	— 4
3	3. 16	18. 0	— 4. 14	27. 58. 32	27. 58. 31	— 1
4	3. 17	18. 9	+ 13. 41	28. 16. 27	28. 16. 23	— 4
5	4. 18	18. 19	— 4. 19	28. 16. 15	28. 16. 23	+ 8
6	9. 24	22. 54	— 5. 28	37. 55. 44	37. 55. 47	+ 3
7	20. 32	20. 56	— 5. 9	32. 23. 48	32. 23 53	+ 5
8	31. 40	20. 20	— 4. 58	31. 17. 48	31. 17. 41	— 7
9	35. 48	23. 16	— 5. 43	40. 1. 59	40. 2. 11	+ 12
10	35. 49	23. 18	+ 17. 27	40. 25. 9	40. 25. 22	+ 13
11	36. 52	23. 16	— 17. 37	39. 51. 35	39. 51. 29	— 6
12	37. 51	23. 14	+ 5. 45	39. 51. 27	39. 51. 30	+ 3
13	37. 53	23. 12	— 17. 33	39. 28. 9	39. 28. 14	+ 5
14	38. 57	17. 26	+ 13. 11	27. 28. 3	39. 27. 56	— 7
15	39. 55	17. 33	— 4. 5	27. 27. 55	39. 27. 56	+ 1
16	44. 63	22. 45	— 5. 17	37. 16. 43	37. 16. 44	+ 1
17	44. 65	22. 47	+ 17. 19	37. 39. 19	37. 39. 20	+ 1
18	45. 64	22. 50	— 5. 18	37. 39. 18	37. 39. 19	+ 1
19	46. 67	22. 58	+ 17. 28	38. 24. 28	38. 24. 35	+ 7
20	47 66	23. 0	— 5. 21	38. 24. 33	38. 24. 34	+ 1
21	50. 69	28. 26	— 17. 51	44. 40. 13	44. 40 17	+ 4
22	54. 77	20. 46	+ 5. 5	32. 10. 8	32. 10. 19	+ 11
23	54. 79	20. 41	— 15. 35	31. 49. 28	31. 49. 41	+ 13
24	55. 81	20. 18	— 15. 17	31. 8. 43	31. 8. 44	+ 1
25	62. 84	21. 42	+ 16. 15	34. 15. 0	34. 15. 5	+ 5
26	83. 102	18. 34	+ 13. 56	28. 48 37	28. 48. 30	— 7
27	90 104	23. 2	+ 17. 36	41. 17. 55	31. 17. 57	+ 2

Digitized by Google

TABULAE II.

PARS ALTERA

CONJUGATIONES OBSERVATIONUM,

in quibus Parallaxis menſtrua poſt Annum minuit diſtantiam Solis a Vertice,

Conjugation.	*Obſervation.*	*Ang. Ecl. cum Par.* G. ′	*Differ. Decl.* ′ ″	*Diſt. Solis a Vert. in 2 Obſ. Ex 1. Obſ. & comp.* G. ′ ″	*Ex 2. Obſer.* G. ′ ″	*Differ.* ″
28	5. 21	20. 53	+15. 43	32. 29. 20	32. 29. 5	+ 15
29	6, 20	20. 59	— 4. 58	32. 29. 16	32. 28. 57	+ 19
30	7. 22	21. 32	+16. 12	33. 53. 22	33. 53. 7	+ 15
31	8. 23	21. 37	— 5. 8	33. 53. 15	33. 53. 6	+ 9
32	10. 26	23. 28	+17 46	44. 30. 33	44. 30. 25	+ 8
33	11. 25	23. 27	— 5. 42	44. 30. 24	44. 30, 19	+ 5
34	12. 27	23. 25	+17. 45	45. 17. 35	45. 17. 24	+ 11
35	13. 28	23. 22	— 5. 42	45. 40. 51	45. 40. 44	+ 7
36	14. 29	22. 50	+ 5. 35	37. 44. 40	37. 44. 38	+ 2
37	19. 30	19. 14	+14. 18	29. 44. 33	29. 41. 38	— 5
38	33. 43	22. 24	+16. 43	36. 15. 7	36. 15. 8	— 1
39	34. 44	22. 43	+16. 58	37. 22. 3	37. 22. 0	+ 3
40	40. 59	20. 23	+15. 26	31. 33. 7	31. 33. 11	— 4
41	41. 60	20. 40	— 4. 48	31. 53. 35	31. 53. 28	+ 7
42	42. 61	21. 1	— 4. 5	32. 34 47	32. 34. 32	+ 15
43	58. 83	18. 34	— 4. 28	28 34. 42	28. 34. 41	+ 1
44	63. 86	22. 46	+17 4	37. 33. 48	37. 33. 49	+ 8
45	64. 87	22. 52	+ 17. 8	37. 56. 27	37. 56. 15	+ 12
46	65. 86	22. 49	— 5. 32	37. 33. 48	37 33 40	+ 8
47	66 88	22. 59	— 5. 35	38. 18. 59	38. 19. 5	— 6
48	68. 89	23. 6	+17. 20	39. 4. 35	39. 4. 37	— 2
49	70 91	23. 29	— 18. 7	43. 34. 44	43. 34. 35	+ 9
50	71 93	23. 27	— 18. 4	42. 0. 8	41. 59. 58	+ 10
51	72. 92	23. 27	+ 5. 33	42. 0. 8	42. 0. 1	+ 7
52	73. 95	23. 24	— 18. 2	41. 13. 3	41. 12. 49	+ 14

Digitized by Google

TABLE No. 1.

Showing the Number of Acres of Land Sold, Granted, Reserved, and Remaining Unsold in each Province of the Dominion, on the 31st December, 1880.

Provinces.	Sold.	Granted.	Reserved.	Total Sold, Granted, and Reserved.	Remaining Unsold.	Total Area.
	Acres.	Acres.	Acres.	Acres.	Acres.	Acres.
Ontario	1,000,000	15,000,000	1,000,000	17,000,000	11,000,000	28,000,000
Quebec	1,000,000	10,000,000	1,000,000	12,000,000	8,000,000	20,000,000
Nova Scotia	1,000,000	1,000,000	1,000,000	3,000,000	1,000,000	4,000,000
New Brunswick	1,000,000	1,000,000	1,000,000	3,000,000	1,000,000	4,000,000
Manitoba	1,000,000	1,000,000	1,000,000	3,000,000	1,000,000	4,000,000
British Columbia	1,000,000	1,000,000	1,000,000	3,000,000	1,000,000	4,000,000
Prince Edward Island	1,000,000	1,000,000	1,000,000	3,000,000	1,000,000	4,000,000
Total	7,000,000	30,000,000	7,000,000	44,000,000	24,000,000	68,000,000

TABULA III.

Summae Parallaxium ex observatione, atque ex computo, in singulis conjugationibus.

PARS PRIMA.

Conjug.	Ex observ.	Ex comp.	Conjug.	Ex observ.	Ex comp.	Conjug.	Ex observ.	Ex comp.
	″	″		″	″		″	″
1	+ 10	6. 2	10	+ 13	9. 5	19	+ 7	6. 9
2	— 4	7. 5	11	— 6	8. 6	20	+ 1	5. 9
3	— 1	7. 4	12	+ 3	8. 7	21	+ 4	6. 7
4	— 4	7. 7	13	+ 5	9. 6	22	+ 11	8. 8
5	+ 8	7. 3	14	— 7	7. 3	23	+ 13	9. 1
6	+ 3	9. 7	15	+ 1	6. 9	24	+ 1	7. 9
7	+ 5	4. 7	16	+ 1	9. 2	25	+ 5	7. 3
8	— 7	6. 9	17	+ 1	9. 3	26	— 7	6. 9
9	+ 12	8. 7	18	+ 1	8. 4	27	+ 2	7. 5

PARS ALTERA.

Conjug.	Ex observ.	Ex comp.	Conjug.	Ex observ.	Ex comp.	Conjug.	Ex observ.	Ex comp.
	″	″		″	″		″	″
28	+ 15	8. 8	40	— 4	8. 7	52	+ 14	10. 3
29	+ 19	8. 6	41	+ 7	8. 4	53	+ 11	9. 6
30	+ 15	7. 6	42	+ 15	7. 2	54	+ 7	9. 6
31	+ 9	6. 7	43	+ 1	7. 4	55	+ 11	8. 8
32	+ 8	9. 6	44	+ 8	8. 7	56	+ 9	6. 5
33	+ 5	8. 8	45	+ 12	9. 6	57	+ 1	7. 6
34	+ 11	7. 3	46	+ 8	8. 8.	58	+ 11	6. 8
35	+ 7	4. 4.	47	— 6	9. 7	59	+ 6	8. 9
36	+ 2	6. 8	48	— 2	9. 5	60	+ 11	8. 4
37	— 5	7. 9	49	+ 9	4. 6	61	+ 1	8. 5
38	— 1	9. 0	50	+ 10	10. 0	62	— 3	7. 8
39	+ 3	5. 1	51	+ 7	9. 8			

Digitized by Google

SPECIMEN HISTORIAE GLOBI TERRAQUEI, DE novis e mari natis Inſulis, ad Hookianam Telluris hypotheſin, de origine montium et corporum petrefactorum, Auctore Rud. Erico RASPE.

Amſtel. et Lipſiae 1763, octonis, cum figg.

Hypotheſis Roberti *Hookii*, quam amplecti et tueri placuit eruditiſſ. Raſpio, propoſita fuit libro *de terrae motibus*, qui inter opera eius poſthuma a Wallero Londini 1705 binis editus eſt. Putabat Vir doctus, fieri poſſe vi ſubterranea, ut terrae ſuperficies moveatur et concutiatur, adeoque hinc inde altius extollatur, ut inſulae montesque in continente, ipſoque mari exſurgant, idque evenire vel ſolo ſublato, vel maſſa ſubterranea ignis vi evecta, et terrae ſuperficiei iniecta. Quod omnino probamus ea lege, ſi vis illa, quam ſubterraneam vocat Hookius, non terrae propria et phyſica, ſed mathematica tantum dicatur. Nititur enim facultate elementorum maſſae ſubterraneae primitiva, ipſiusque effectus vehementiam determinant varii partium conjunctarum, ſitus, figurae, habitus ad res circumiectas, indeque ortae vires mechanicae, quae pro ipſa elementorum coniunctione, aut ſeiunctione vel minima, multum efficere valent. Facultatem elementorum recte dignoſcere docet Chemia; quibus probe intellectis adiungendae ſunt leges mechanicae, indeque concipitur horrendus effectus de quo quaerimus. Statuebat porro Hookius, terrae ſuperficiem, marisque fundum, perruptis cavernis ſubterraneis, hinc inde ſubſidere et deprimi, ignis ſubterranei exploſione integros montes transponi, ſummaque imis miſceri; denique ſingulas terrae partes, ſubterraneo igne affectas, liqueſcere, colligari, et in calcem aut lapides mutari. In quibus omnibus cum ipſo conſentimus, hoc uno excepto, quod igne omnia liqueſcant; immo in iis corporibus, quae penitus liqueſacta videantur fluxu ignis ſubterranei, probe diſtinguen-

da eſt maſſa ignis ipſius a rebus circumiectis; ignis non poteſt ultra vim ſuam phyſicam et mathematicam, ipſamque corporum reſiſtentiam, ſerpere; neque omnino ea vincere, et liquida reddere, quae ignem haud recipiunt; quis hoc de omnibus elementis affirmarit? Itaque propoſitionis illius univerſalitatem ad meras coniecturas referimus; poſſibilitatem concedimus. Habes igitur hypotheſin, quam quinque Capitibus confirmare conatus eſt Raſpius.

Capite I. differit *de ſuperficie Globi terraquei.* Conſtat hoc caput 60 §§is, quibus in univerſum varia de ſuperficie globi terraquei obſervanda, proponuntur, v. c. de ſtratis terrae, quae materia adiectis quoque aeneis figuris illuſtratur, de masſis terrae, et petrefactis in ea repertis, quae docte et ſolide dicta exiſtimamus; liceat tantum monere contra §. 22. quod falſo, *in quolibet ſtrato, in ſe conſiderato, gravitatis ſpecificae leges obſervatae videantur auctori;* quod ad globum conſervandum nec neceſſarium, nec omnino verum eſt; immo prima rerum origine fieri potuit, multoque magis accidit poſtea, variis caſibus, ut ſtrata ipſa quovis modo ad nexum idoneo extenderentur, quod verum eſſe, ipſa experientia multis locis docuit.

Capite II. *exponit Raſpius de novis inſulis et montibus per terrae motus exortis;* ubi quae de *Thera* et *Theraſia* e Plinio differit, ſatis ſunt incerta, et videtur omnino Plinii locus mendo laborare, nec Herodoti auctoritas deferenda eſſe. Quid ſi ſtatuamus, eam ad tempus incognitam fuiſſe? Certiora ſunt quae de *Hiera* protulit, ex ipſis veterum monumentis erudite collecta. Quae de *Delo* et *Rhodo* inſulis e mari evectis ſtatuit, nullo modo probare poſſumus, partim ob ipſam inſularum magnitudinem, vetuſtiſſimamque famam, partim ob ſilentium vetuſtiſſimorum hiſtoricorum. Dicta poetarum in tali re nihil efficere, nemo negarit, qui cogitet, veteribus poetis omnes Inſulas e mari enatas videri, (quod interdum et Hiſtorici fingere auſi ſunt, v. Strab. L. VI. pag. 396. ed. Almel.) adeoque nullum tali teſtimonio argumentum contineri. Forte haec prima fuit univerſi globi poſt ipſam creationem

tionem facies, ut terra undique aquis ſepulta et abſcondita lateret, deinde facta aquarum ſeparatione emergeret; certe tactis fuit facies globi poſt diluvium, unde fama vetus imaginis priſtinae memoriam propagavit; quo pertinere videntur pleraque veterum de enatis inſulis commenta; ſcatent talibus fabulis, qui hiſtoriam et geographiam Graeciae et Archipelagi ſcripſerunt. *Siciliam* olim per Iſthmum Italiae iunctam fuiſſe, veterum traditio narrat, nullo tamen tempore definitio; unde liquet, fatum peculiare hic tuto fingi non poſſe, neque debere, niſi regulas probabilis cognitionis migrare velis. Bis immutata fuit terrae ſuperficies univerſa; primum Noachi tempore per *diluvium*, quod temere negat Raſpius p. 132. 145. 146. iterum paullo ante natum *Pelegum*, per terrae univerſae concuſſionem, unde facta terrarum ſeparatio, Pelegoque inde nomen tributum, Gen. X, 25. Quare Sicilia vel diluvio Noachico, vel concuſſione, unde Pelego nomen, ab Italia fuit avulſa. Nos, quid nobis de univerſa hac controverſia videatur, hic paucis exponemus. Regionem integram aut Inſulam aliquam maioris magnitudinis, olim undis tectam, e medio mari tandem prodiiſſe, nec probabile eſt, nec ullo exemplo confirmari poteſt; immo quicquid de eiusmodi terrae incrementis prodidere veteres et recentiores, redit ad montes ignivomos exploſione quadam in altum evectos, vel ad inſulas eiusdem indolis, e mari propulſas, in quibus tamen vix ſtabilis hominibus ſedes eſſe potuit, quum conſtaret in Italiae et Archipelagi finibus, quae tali modo orta eſſent, viciſſim quoque ſubſidere ſolere. Maſſa ipſa, cuius vi talis fit impetus, nec multa eſt, nec ubique terrarum diſſeminata; unde nec multi nec ſatis magni fuerunt eius effectus. Itaque phyſice improbabile eſt, hoc modo ſtrata univerſi globi exorta eſſe, quae in ipſo quoque maris fundo ſubſiſtunt; multo magis vero improbabile, univerſam terram hoc modo in conſpectum prodiiſſe. Quibus poſitis facile licet, quid de veterum teſtimoniis ſentiendum ſit, intelligere. Scilicet opinio, rerum naturae contraria, ſi vel ſexcentis teſtibus conſtaret, omnino tamen eſſet

reiicienda. Non poteſt enim ullo modo ipſa natura leges ſuas deſeruiſſe, ſine miraculo Dei, ad quod recurrere, in quaeſtione phyſica, non licet, quia tali argumento, quidquid placuerit, ſtabilire et divinae omnipotentiae praetextu excuſare poſſemus. Unde v. c. liquet, *Siciliam, Delum, Rhodumque*, e mari non eſſe enatas, propter ipſam magnitudinem ſuam, famaeque celebritatem, inde a vetuſtiſſimis temporibus repetendam. Porro in narratione, phyſice non improbabili, non ſufficit, rem ipſam exponi, niſi quaedam etiam temporis nota, plus minusve certa addatur. Talis enim prodigii epocham, ſi extiterit, memoriae non fuiſſe proditam, quis crediderit? Diſſenſus in tempore definiendo, ſi non ſit magnus, rei veritatem haud ſuſpectam reddit; hoc tamen probabile eſt, diverſas de eadem re epochas, forte a diverſis loci originibus et mutationibus repetendas eſſe, quippe quae ſucceſſive evenire ſolent. Denique poetarum teſtimonia ſola nihil probant; coniuncta cum hiſtoriae et geographiae ſcriptorum, fide, habent aliquod pondus ad confirmandum, nec tamen magnum, et conſtans. Sic v. c. opinio de inſula in conſpectu Argonautarum exorta, merito ad fabulas ablegatur. Quin etiam ipſa inſularum ſimilitudo cauſſa fuit, cur poëtae idem ipſis fatum tribuerent, et quod de una alteraque mole exuſta dictum eſſet, ad omnes vel certe ad multas inſulas transferrent, quibus quaedam ignis exploſio conſpiceretur. Dudum hoc viderunt poëtarum interpretes; quis igitur talibus exemplis argumenta tuto confecerit?

Capite III. diſſerit Cel. Raſpius *de potioribus formati globi hypotheſibus*, e quo nihil excerpemus, ne nimis longe excurrat oratio. Pauca tantum in uſum lectorum iſtius loci proferemus, quae adiungi volumus eis obſervationibus, quas ad Cap. II. propoſuimus. Si omnes veterum et recentiorum Phyſicorum de telluris forma ſententias velimus inter ſe diligenter comparare, apparebit ſapientiores omnes exiſtimare, quod primum aquis circumfuſa fuerit univerſa terra, indeque, modo quem explicare nequeunt, tandem emerſerit. Quumque in ipſa continente terra, v. c. Germaniae, Hiſpaniae

niae etc. reperiantur ossa animalium marinorum, et exterorum omnis generis remotissimorum, absque ulla ne minima quidem, fama, unde huc vel illuc advecta, et quo fato, sequitur, exinde haec duo argumenta recte confici posse: 1. Fuisse aliquam terrae universae inundationem; 2. eam tunc accidisse, quum iam extarent animalia vel marina, vel terrestria. Et nescio an quicquam magis aptum sit ad haec duo recte ponenda, quam ipsum *diluvium*, de quo constat e sacris litteris.

Cap. IV. id agit auctor, ut *Hookianum Systema* de quo supra, confirmet, suamque opinionem proferat. Hic concedimus, terraemotus magnam habere vim, igneque subterraneo multa liquefieri; at ex solis terraemotibus universam globi figuram partiumque naturam cum Raspio explicare, temerarium nobis videtur, Physicaeque et Historiae contrarium. Satis improbalis esset talis coniectura, si de unica Insula maiori affirmaretur; at omnino evanescit, si de globo universo sermo sit. Non potuit talis terrae motus ossa animalium Indiae in Hispaniam aut Germaniam detulisse, nec terrae strata formasse.

Capite V. sensit auctor defectus, de quibus modo diximus, adeoque coniicit, *exotica* animalia v. c. Indiae, olim *nostra* fuisse, quod lectoribus diiudicandum relinquimus.

AELIANI VARIAE HISTORIAE, IN LINGUAM Francogallicam versae a Formeio.

Berolini 1764, octonis.

Titulus libri francogallice sic expressus est: *Diversités Historiques, traduites du grec d' Elien par Mr. Formey.* Nobis, quamquam hoc leve sit, rectius videbatur graecum ποικίλη ἱστορία verti francice: *Mélanges Historiques.* Quod ad ipsam versionem Formeianam attinet, laudamus Viri Celeb. institutum, et vehementer optamus, ut communi literarum

bono tandem ſcriptoribus veteribus omnibus tales contingant interpretes. Ipſe liber graecus librariorum culpa multis locis miſere corruptus et foedatus, tandem a celeberr. Perizonio priſtinae integritati reſtitutus, ſplendidisque commentariis hiſtoricis illuſtratus fuit. Sed poſt hunc ipſum laborem multae etiamnum ſuperſunt lacunae, quas vel male de codicibus ſcriptis iudicando, vel aliis de cauſſis plane praeterierunt viri docti. Nos data hac occaſione pauca de codicibus Aelianeis in uſum Criticorum proferemus. Adhibiti fuerunt a Viris doctis ſcripti codices Aelianei ſeptem: *Pariſienſes* Regii 3 (quos Schefferus vocat A, B, C; Perizonius et nos poſt illum 1, 2, 3.) *Medicei* 2, *Sluiskianus* et *Lugdunenſis*, qui, pro fide quam merentur, ad duas fere claſſes revocari poſſunt, quarum altera *emendatiores* complectatur et probatiores, 1 et 3 Pariſienſem, Mediceos, et qui caeteris omnibus multum praeſtat SLVISKIANVM: altera *vitioſiores* et gloſſematis obrutos, Pariſienſem 2 et tertii marginem, et incredibili lectionum ineptia omnium maxime depravatum Lugdunenſem, quem miror a Cl. Perizonio magni factum. Ad Sluiskianum proxime accedunt Medd. maxima 1 Gronovianus, qui fere ſemper conſentit cum Sluiskiano, v. e. g. Ael. IX, 21. Pariſienſis 2, et tertii margo cum Lugdunenſis erroribus conſentiunt ſaepiſſime, v. c. XII, 22, 27, 40, 54 etc. raro ab eis diſcedunt, nec niſi ut in peius ruant. Quae, quum uſu comperta habeamus, facile intelligitur, quanta tunc fides habenda eruditiſſimi Perizonii aliorumque doctorum interpretum Commentaris, quibus ſaepe himia auctor tas Lugdunenſi MSto et Pariſienſi 2do, marginique tertii tributa. Praeter hanc codicum notitiam, multae accedere debent regulae criticae ad recte diiudicandam lectionem genuinam hiſtorici ſcriptoris, *Ut enim hiſtoricus ſolet eſſe negligentior, eo quoque magis in recenſendis alius ſcriptoris etc. verbis oratione obliqua et recta promiſcue utitur;* quod quum non perpenderent librarii, talia loca ſaepe immutaruut; vide Ael. X, 17 et 18. *Student bonae notae hiſtorici brevi-*

breviloquentiae, ſaepeque verba e ſuperioribus repetenda, omittunt et reticent. Quo in genere celeber eſt inter ſacros ſcriptores *Lucas;* exemplum vide Ael. XIV, 15. ubi mirifice hanc regulam migrarunt interpretes. *Solent quoque hiſtorici ſcriptores ad remotiora referre, quae prima quidem ſpecie ad propinquiora referenda videbantur;* quem ordinem auctoris ſaepe turparunt librarii; exemplum vide XII, 40. Sed haec et ſexcenta alia, Criticis ſatis nota mittimus, et in tantis textus Aelianei corruptionibus, miramur et laetamur, doctiſſ. Formeium, quae in Verſione maxime conſervanda eſſent nec ne, fere ubique feliciter aſſequutum eſſe. V. c. Ael. I, 34. ubi in argumentatione occurrit ἅμα καὶ ἐγὼ — αὐξηθήσομαι, hoc ſenſu: *ita ſane et ipſe — creſcam* etc. Vetus interpres male intellecta vocula ἅμα, ſenſum aſſequutus erat verum, vertendo *pariter.* At viri docti maximo diſſenſu certarunt. Schefferus ὅυτω pro ἅμα ſcribendum putabat: Faber transpoſitis vocibus legebat καὶ γλυκίων ἅμα γίνεται· ὅτω καὶ ἐγὼ etc. Kuhnius errabat eundem cum Iuſto Vulteio vetere interprete errorem: Perizonius denique ταῦτα legendum conjiciebat. Nos poſt γίνεται reponimus colon, et pro ἅΜα legimus ἄΡα. Solet ἄρα καὶ in argumentationibus adhiberi; ſic Luci. Iove Tragoedo: Εἰ γάρ εἰσι θωμοί, εἰσι καὶ θεοί· Ἀλλὰ μήν εἰσι θωμοί· εἰσὶν ἄρα καὶ θεοί. Aeli. V. H. II, 1: καὶ εἰ τῶν καθ' ἕνα καταφρονεῖς, καταφρονητέον ἄρα καὶ τῶν ἡθροισμένων. adde 1 Cor. XV, 16. Poterat id francice verti *de même,* quod recte expreſſit Formeius. Sed in tanta interpretationis et criſeos difficultate facile viros quoque doctos labi, quis negarit. Liceat unum exemplum afferre, ubi totius loci elegantiam ſuſtulit Formeiana interpretatio, in oraculo Aeli. V. H. II, 32. ἡρακλῆν δέ σε Φοῖβος ἐπώνυμον ἐξονομάζει· Non aſſequutus eſt vim vocis ἐπώνυμος Iuſtus *Vulteius,* vertit enim: *Heraclem te alio Phoebus iam nomine dixit.* Peior eſt Formeiana interpretatio: *Qu' Hercule ſoit ton nom: ainſi l'a dit le Dieu.* Vera ſententia haec eſt: *Quum antea patronymico appellatus fueris, iam Apollo aliud atque tale tibi nomen imposuit a quo poſteri tui*

ri tui vocabuntur; nam ab *Hercule* dicti *Heraclides.* Ἐπώνυμος est *is, a quo vocatur aliquid;* v. c. ἄρχων ἐπώνυμος apud Athenienses fuit *Archon, a quo,* uti apud Romanos a consulibus, *annus vocaretur.* Talis Archon Plutarcho auctore fuit Aristides, de quo vide Periz. ad Ael. p. 546. edit. Gronov. et ipse Aelianus II, 33. Agrigentum, fluvium, a quo nomen accepit urbs, vocavit ἐπώνυμον τῆς πόλεως. Sic pariter *auctor gentis* dicitur ἐπώνυμος, quia ab eius nomine cognomen nanciscuntur posteri,

Addidit Cel. Formeius Versioni suae breves observationes, quae nonnunquam textus verba illustrant exemplis, interdum difficiliores res explicant, quod ut copiose, maxime in physicis factum sit, vehementer optaremus, quum constet de insigni harum rerum peritia, quae est in eruditissimo editore,

NOVA ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipſiæ

Calendis Sept. et Octob. Anno MDCCLXIV.

IO. BAPTISTAE MORGAGNI P. P. P. P. Opuſcula Miſcellanea, quorum non pauca nunc primum prodeunt, tres in partes diviſa.

Venetiis MDCCLXIII. PARS I. pagg. 120. PARS II. pagg. 75. PARS III. pagg. 84. in folio.

Verum eſſe, quod ait Cicero: Manere ingenia ſenibus, modo maneat ſtudium et induſtria: ſi quis alius, certe nunc maxime ſuo exemplo comprobat Cel. *Morgagnus*; quem non errabis, ſi Medicorum Neſtorem dixeris, ſive annos eius, ſive annis reſpondentem ſapientiam ſpectaveris. Quae percenſenda nobis ſumſimus, Opuſcula eius Miſcellanea, inſigne huic rei confirmandae argumentum praebent, in quibus non minorem vim ingenii, quam doctrinae exquiſitiſſimae copiam; rerum, quas proponit, accuratam cognitionem et uſum; dictionis denique tantam deprehendimus elegantiam, ut nihil ſit, quod non multa cum oblectatione a nobis ſit lectum, nihil fere, quod non probatum. Eſt vero totum opus tributum in partes tres, de quibus ſingulis nunc videbimus.

Parte I. continentur: Nova Inſtitutionum Medicarum Idea. In qua proponenda Autor potiſſimum id agit,

ut doceat, quae res quoque ordine discendae sint iis, qui Medicinae scientiam sibi comparare velint perfectam et omnibus numeris, ut aiunt, absolutum. De via atque ordine in tradenda publice Medicina et Anatome servato, Epistola. Prooemia quaedam Anatomicarum Praelectionum. De Anatomicis Eustachii Tabulis Epistola. De Glandulis Epistola. De Lacrymalibus ductibus eorumque obstructione Epistola. De Lumbricis Epistola. De Acu intra vesicam intrusa, et de Excrescentia Membranae Adiposae Epistola. De Calculis Felleis Epistola. De Venae Cavae Varicibus Epistola. De Vesicae Calculis a Fr. Iacobo Beaulieu Patavii exsectis, et de casu Corneliae Bandiae Epistola. In locum Vitruvii Medicum Epistola. De iis, quae a Valsalva in Bononiensi Academia Instituti scientiarum, recitata fuerant, Epistola. Experimenta circa aquam calcis vivae. Responsum Medico-Legale circa obstetricum iudicium de mulieris virginitate, cuius certa signa et indicia ostendit esse nulla. Responsum Medico-Legale alterum super seminis emittendi impotentia. Responsum Medico-Legale tertium: An post septem a conceptione menses infans nasci possit vitalis et perfectus? Posse affirmat Auctor argumentis partim a ratione ductis, partim ab experientia; qua in re consentientes habet plurimos eosque eximie doctos Medicus. Finem huius Partis primae faciunt Epistolae X. quarum octo priores in A. Corn. Celsum, reliquae duae in Q. Seren. Samonicum sunt inscriptae. Disputat Auctor in illis prioribus, quae ad Celsum pertinent, erudite et subtiliter de eius libris, editionibus, praenomine, quod alii Aurelii, alii Auli esse volunt, tum de aetate et vitae genere Celsi; de quo quidem quid sentiat *Morgagnus* liceat huc transscribere. Medicusne fuerit, inquit, an non fuerit, adhuc apud aliquos dubium esse video. Qui, si hoc volunt, non ita exercuisse Medicinam, ut qui mercedis causa solent, sed tamen ut in gravioribus casibus ab amicis et pauperibus se pateretur adiri et consuli, Rubeum secum et Linde-

Lindenium facientes habebunt, atque adeo, velut ego animadverto, Celſum ipſum. Qui ſi quaeſtum ſecutus, huc illuc curſare conſueſſet, non facile pronunciaſſet: *ab uno medico multos non poſſe curari, eumque, ſi artifex eſt, idoneum eſſe, qui non multum ab aegro recedit. Sed qui quaeſtui ſerviunt, quoniam is maior ex populo eſt, libenter amplecti ea praecepta, quae ſedulitatem non exigunt.* Haec ſi ponant, vix aliquid invenient, cur Medicum fuiſſe non credant. Quod enim tot alia et tam varii argumenti ediderit, non inde conficitur, *univerſae naturae*, ut ipſum Columella vocabat, *prudentem virum*, medicinam prae caeteris non adamaſſe; de qua profecto accurate adeo ſcripſit, ut cum caetera eius opera aetatem non tulerint, hoc unum ſagax poſteritas conſervavit. — Opponi quidem, pergit Morgagnus, ſilentium Plinii, qui in Auctoribus externis, etſi Medicos ſeorſum non ponit, tamen, cum Medici nomen adiungat pluribus, Cornelio Celſo nunquam adiungit. Verum reſpondet: Plinium fortaſſis non tam ſpectaſſe, quod quisque ſcripſiſſet, quam quod et quatenus exercuiſſet, ſeu caſu et incuria quadam factum eſſe, ut Celſum non adpellaverit Medicum, ſicut et aliis, quos tamen diſerte inter aſſeclas Aeſclepiadis memoret Daniel Clericus, adpellationem hanc non addiderit; unde non apparere, cur ex ſimili eius ſilentio, Celſum non fuiſſe Medicum, inferatur. Porro Celſum vindicat Noſter a criminationibus eorum, qui ſcepticiſmi eum accuſarunt, et bonis, ut videtur, rationibus Ecclecticum fuiſſe, demonſtrat. Haec fere ſunt, quae de Celſi vitae genere *Cel. Morgagnus* diſputat. Neque vero magis illum ſubtilem diſputatorem, quam diligentem et curioſum interpretem, cognovimus ex bene multis tum ex Celſo, tum ex Samonico adductis locis difficilioribus, quos corruptos vel ex inſpectis Codicibus collatisque diligenter editionibus reſtituit, vel, ubi hinc nihil auxilii eſt, ingenio emendavit, felici ſaltem coniectura illuſtravit, ita, ut Critici pariter ac Medici peritiſſimi partes

cum laude sustinuerit. Quo pertinet praecipue Epistola VIII. ubi auctoris nescio cuius adnotationes in Celsum castigans maximam eas partem vel supervacuas, vel ineptas, vel ipso interdum textu obscuriores esse, critico omnino iudicio demonstrat.

Parte II. continentur: De Prospero Alpino Epistolae duae. Rogatus Auctor, quae de Prosperi Alpini imagine comperta habet, utraque hac epistola exponit. Edidit huius Professoris vitam Thomasinus in *Illustrium Virorum Elogiis*, in cuius tamen libri quibusdam exemplis imaginem Alpini deesse Noster animadvertit. De Philologo Ravennate et de Angelo Bolognino Epistola. Exponitur in ea de utriusque tum vita cum scriptis, paullo accuratius tamen de prioris, cuius *de Lue Venerea* opusculi integra analysis exhibetur. De Vita et scriptis Dominici Guilielmi Commentariolum. De Vita et scriptis Antonii Mariae Valsalvae Commentariolum. De genere mortis Cleopatrae Epistolae duae. Multum diuque disputatum est ab hominibus doctis de genere mortis huius Reginae, quam a veneno interiisse, inter omnes quidem convenit; sed quale veneni illius fuerit genus, hoc est, de quo disceptatur. Vulgaris sententia est eorum, qui pictores secuti, Cleopatram admota pectori aspide occubuisse putant, quem quidem pictorum errorem, nemo prudentiorum facile erit, qui adhuc tueatur. Utrum vero (hoc est quod inter eruditos quaeritur) ab epoto veneno, an ab aspidis brachio illatae morsu Regina illa perierit, nunc dispicere et utriusque sententiae rationes excutere lubet. Dulce admodum nobis est videre Morgagnum nostrum in partibus eorum, qui aspidis morsum non modo probant, sed, quod ipse in duabus hisce epistolis egregie facit, argumentis etiam maxime probabilibus defendunt et confirmant. Occasionem super hac re differendi praebuit ipsi visa quaedam statua morientis Cleopatrae referens imaginem, in qua aspis, non quidem uberibus admota, sed ita brachio

brachio alligata cernebatur, ut ipsius vinculi constrictione irritari et ad mordendum provocari videretur. Qua de re ad Lancisium, Pontifici Max. ab intimo Cubiculo, scribens, quid de morte Cleopatrae sentiret, exposuit. Primum non ignorare se ait, qui non aspidis ictu sed hausto veneno reginam mortuam esse, contenderent, eos de isto simulacro dicere posse, quod Franciscus Redius de imagine in triumpho gestata, nimirum aspidem a sculptoribus additam, quod nulla alia ratione significare melius possent, quo illa se mortis genere interemisset. Sed quis, quaeso, epotum venenum indicaverit serpente, cuius venenum non gustu, sed in vulnere nocere, vel ipse olim Celsus docuit? Accedit testimonium Plutarchi, brachium Cleopatrae, inquientis, duas notas habuisse leviter impressas et humidas; quod mire congruit cum observatione veterum Medicorum ab Aetio adservata, qui in iis, quos aspides momorderunt, non illud modo tradidit, *vulnera in demorso loco, veluti ab acu punctа inveniri*, sed hoc praeterea subiecit, *bina quidem ex masculi morsu, a quibus nihil fluit, nisi violentum animal sit, quod morsum inflixit.* Et quomodo tandem, si locus ictus non apparuisset, Augustus, ut Dio et Suetonius tradunt, admovere Psyllos potuisset, *qui venenum at virus exsugerent?* et hi, ut etiam hoc addamus, quomodo exsugere debebant, quod esset potu haustum? Occurritur quidem ab aliis, qui neutram harum sententiarum plane probant, huic incommodo ita, ut Cleopatram brachium sibi ipsum momordisse aut pupugisse, et vulneri venenum instillasse, dicant. Sed praeterquam quod haec est mera coniectura, ne rationes quidem eorum adeo graves sunt, quin facili negotio solvi possint. Nam quod primum aiunt, unius aspidis morsu reginam una cum duabus ancillis non potuisse interfici, quis tandem plures habere prohibuit? et ut unam tantum habuerint, quid cogit, aspidem uno morsu omne exhausisse venenum existimare, siquidem et in viperis animadversum est, interdum non nisi quarto aut sexto morsu omne venenum exprimi?

Addunt, quod Plutarchus fatetur, aſpidem ipſam a nemine conſpectam eſſe, ſed omittunt, quod ille ſtatim ſubiicit: *Tractus duntaxat quosdam in littore, qua domus ad mare ſpectabat, eſſe viſos;* indicio, ſerpentes, poſt ictus illatos, ab ancillis proiectos, ſe illac ſubduxiſſe. At a moribundis ancillis ſerpentes non potuerunt proiici? Recte, a moribundis; ſed potuerunt a morſu ſtatim. Pavidum denique natura foeminarum animum, quem, ut ſerpentem a Cleopatra removeant, in ſubſidium vocant, miſſis tum familiaritate Aegyptiorum cum aſpidibus, de qua Aelianus ſcribit, tum deſperatione ſalutis in Regina accedente, quae pavidis etiam animum addere ſolet, hunc pavidum, inquam, animum unum Velleii aequalis fere Hiſtorici teſtimonium ſatis refellit, qui, *Illata*, inquit, *aſpide, morſu eius, ſane expers muliebris metus, ſpiritum reddidit.* Ultimo loco adfert *Cel. Morgagnus* teſtimonium, quod ſententiae de ſerpentibus ſtabiliendae mirifice inſervit, Horatii, ſcriptoris Auguſto non modo aequalis, ſed et perfamiliaris, qui iisdem pene diebus, quibus Cleopatra mortua eſt, de eius morte primus omnium poſteris haec tradidit;

— — — Quae generoſius
Perire quaerens, nec muliebriter
Expavit enſem, nec latentes
Claſſe cita reparavit oras;
Auſa et iacentem viſere regiam
Vultu ſereno fortis, et aſperas
Tractare ſerpentes, ut atrum
Corpore combiberet venenum,
Deliberata morte ferocior etc.

Iam etſi verba: Tractare ſerpentes, et Corpore combibere venenum, quae illatae aſpidi valde congruunt, urgere nolis,

lis, at certe huius teſtimonii auctoritas valere propterea debet, quia omnibus reliquorum ſcriptorum, qui aſpidis ictum in dubium vocarunt, narrationibus eſt prius, adeoque nec a ſculptorum pictorumve licentia, nec ab aliorum traditionibus profectum eſſe poteſt. At enim teſtimonium eſt poetae? Eſt ſane, ſed narrantis, non fingentis. Nam qui in reliquis, quae de Cleopatra eodem loco tradidit, verum ſumma fide ſecutus eſt, quomodo credamus, hoc unum, quod ad eius mortem attinet, effinxiſſe libertate poetica uſum? Et ut finxerit, quod tamen nullo modo concedendum eſt, quid tandem alterum illum ab Horatio, eadem de re tradentem, Velleium potuiſſet adducere, ut in narratione ſua ſequeretur fictionem poëticam hiſtoricus? Quicquid igitur ſit, quod pro ſententia de epoto veneno dicant morſum aſpidis reiicientes, hoc ſaltem ipſi non negabunt; ſi teſtimoniis veterum Auctorum ſtandum eſt, (et in rebus facti iis fere ſtari debet,) vix eſſe, quo ſententiam ſuam amplius tueantur. Rationibus enim philoſophicis, ex quo genere fere ſunt, quas adducunt, tantum in hiſtoria ſtatuendum eſt pretium, quantum teſtimoniis in philoſophia. Earum in rebus hiſtoricis tum demum eſt uſus aliquit, quum traditiones nobis vel nullae ſunt, vel quae ſunt, ſanae rationi repugnant. Quod neutrum in hac noſtra cauſſa locum habet. Haec iam ſatis dicta ſint de genere mortis Cleopatrae. Pergamus ad reliqua Part. II. momenta. De Ordinario Frontini Conſulatu. Diſſenſerunt olim in definiendo huius Conſulis vero nomine duo illi maxime auctoritatis viri, Noriſius et Pagius, quorum ille quidem Frontinum, hic maluit Frontonem. Aliquanto poſt tamen ipſe Noriſius, mutata neſcio quo caſu ſententia, adſtipulatus Pagio in litteris ad eum datis ipſe, *M. Iulium Frontonem probabilius Collegam Traiani poni*, aſſeveravit. Quod cum factum miraretur *Morgagnus*, rem paullo accuratius expendendam arbitratus, utriusque ſententiae praecipua momenta hic expoſuit, eorumque vi utrinque diligenter excuſſa, Frontinum retinendum eſſe ſatis pro-

probabiliter demonſtravit, duabus praeſertim rationibus, quarum altera a Faſtorum auctoritate, altera eſt a veterum Scriptorum teſtimoniis petita. De quadam Librorum M. Varronis particula, ut legitur in Veteri Cod. Epiſtola. In Vitruvii locum ad tempus, quo ſcripſit, attinentem, et in alterum veteris Auctoris Compendii Architecturae Epiſtola. Dubitationes quasdam proponit *Cel. Morgagnus* de iſto Vitruvii loco, quae, ut, quales ſint, eo melius intelligatur, ipſius verba huc lubet transferre. Inſcriptio epiſtolae eſt: Ad Marchionem Polenum. „Haereo, inquit, niſi tu forte, Vir „Clariſſime, aliter legis in Vitruvio. Dicos, ubi? Libro II. „Cap. 9. Ibi enim poſtquam alnum, ſcripſit, *in paluſtribus „locis infra fundamenta aedificiorum palationibus crebre fixam „— — permanere immortalem ad aeternitatem, et ſuſtinere „immania pondera ſtructurae, et ſine vitiis conſervare* etc. tum „haec ſubiicit: *Eſt autem maxime id conſiderare Ravennae, „quod ibi omnia opera et publica et privata ſub fundamentis eius „generis habent palus.* Quae cum lego, Strabonis ſimul ve„nit in mentem, qui Tiberii aevo de eadem urbe longe alia „edidit Lib. V. ſic haerere me fateor, ut propemodum ſuſpi„cari incipiam, aut ea, quae modo de Ravenna deſcripſi, non „eſſe a Vitruvio, aut ſi forte ſint, non hunc libros ſuos Au„guſto, ſed, contra ac plerique, nec ſine multiplici ratione „creditis, alicui obtuliſſe poſteriorum Imperatorum. Nam „ſi, ut ſummus ille Geographus poſt Auguſti obitum manda„vit litteris, *intra paludes urbs maxima Ravenna poſita, erat „adhuc tota ligneis compacta aedificiis* (ξυλοπαγὴς ὅλη) qui fieri „poteſt, ut in ea, vivente Auguſto, *omnia opera et publica „et privata* eiusmodi eſſent palis fundamentisque ſuffulta, „quae non modo *ſuſtinerent immania pondera ſtructurae*; ſed „(quod diu antea exaedificata opera ſignificat) *ſine vitiis „etiam conſervarent?* Exemplum igitur ad confirmandam Vi„truvii ſententiam ab Ravenna maxime petitum, non ſcri„ptorem Auguſto coaevum, ſed aliquem potius videtur in„dicare, qui, poſtquam Claudius amplam illam et marmori-

„bus

„bus ornatiſſimam portam, quam Auream vocabant poſte-
„ri, murosque Ravennae dederat, tunc demum viveret, ſi-
„ve is Vitruvius, quod alii eius librorum loci minus credi-
„bile mihi faciunt, ſive alius fuerit, qui Ravennae exem-
„plum in ora addiderit codicis ſui, unde poſtea ſit inter Vi-
„truvii verba translatum.“ Hactenus *Morgagnus*. At enim nobis iſte Strabonis locus non ſatis videtur efficere quod eo adferendo Vir eruditiſſimus effici voluit. Vix enim apparet, quaenam ſint illa *longe alia* in narratione Strabonis, quae ab iis, quae Vitruvius eadem de re tradit, adeo abhorreant, ut inde colligi poſſit, Vitruvium eſſe aut aevo Auguſti iuniorem, aut locum eius interpolatum. Quid, quaeſo, impedit, quo minus Vitruvii *opera publica et privata* una ſtare poſſint cum Strabonis *ligneis aedificiis*, aut quid cogit, *immania pondera ſtructurae* alia Ravennae fuiſſe, ac lignea, ſtatuere? Diſſenſus igitur, quem Noſter in his duobus locis ſibi reperire viſus eſt, aut non eſt tantus, quantum ipſe putat, aut propter ſcriptionis brevitatem non ſatis explicatus. Maiorem habent ſpeciem, quae ad alium veteris cuiusdam Anonymi locum *Cl. Morgagnus* coniicit; ubi, cum ceruſſae conficiendae rationem Scriptor proponit, verba edita ſic habent: *Sarmenta vitioſa vineae infuſo aceto in dolio ſub tabulis plumbeis deponantur.* Pro quibus Noſter: *Sarmenta vitis amineae* vult reponi. Sequuntur Laudationes a *Morgagno* habitae olim, cum Gymnaſiarchas, aliosve, Doctoris Inſignibus exornaret. In Scriptores Rei Ruſticae Epiſtolae quatuor. Harum duabus prioribus continentur maxime adnotationes in Columellam, Varronem, et Palladium, quorum loca non pauca aut vitioſa, aut dubia adducuntur, et tum conſulendis Codicibus, tum conferendis pluribus editionibus, ita emendantur et illuſtrantur, ut, quod acerrimo ſummi Critici iudicio indignum ſit, vix reperias. Duae reliquae verſantur circa emendationem Pub. Vegetii ex Columella, unde Vegetius non pauca in libros ſuos de Arte Veterinaria transtulit.

Parte III. continentur Epiſtolae XIV Hiſtorico-Criticae, quae nunc primum prodeunt, Aemilianae dictae, non modo quia pleraeque olim ſcriptae fuerant in Aemilia; ſed et quia omnes ad Antiquitates et Geographiam attinent partis non modicae illius provinciae, id quod ex ſubiectis hic ſingularum argumentis facile apparebit.

Ep. I. Novus accuſator Flavii Blondi, ſuper patria Cornelii Galli, refellitur, accuſatoris errores oſtenduntur. Inter haec de verſibus agitur Gallo ſuppoſitis. Porro inſtituitur diſquiſitio, quo Lycoris tempore Antonium in Galliam ſecuta ſit, quo anno Gallus natus, cur Foroiulienſis eſſe non potuiſſe videatur, et tandem Lycoris quae fuerit? de qua Ciceronis loci et Plutarchi adverſus interpretes quosdam illuſtrantur. Sub finem epiſtolae agitur de Galli genere, de quo quidem ſatis certi nihil ſuppetit, niſi ad genus referre velis, quae Suetonius de eo tradit, in Auguſt. c. LXVI. ita ſcribens: *Neque enim temere, ex omni numero, in amicitia eius (Auguſti) adflicti reperientur, praeter Salvidienum Rufum, quem ad Conſulatum usque, et Cornelium Gallum, quem ad praefecturam Aegypti, ex infima utrumque fortuna provexerat.*

II. Expoſita huius epiſtolae ſcribendae cauſa, primum eos errare, qui Bedeſim et Vitim eundem omnem fuiſſe putant, demonſtratur teſtimonio Plinii, qui Hiſt. Nat. L. III. c. 15. utrumque diſerte diſtinguit. De duobus Forolivienſium fluminibus, Roncho et Montono, uter Bedeſis fuerit, quomodo inquirendum. Nec Polentani, nec Veneti, Ravennam his fluviis cinxerunt; neque horum infra Ravennam confluentes Plinii tempore, et pluribus inſequentibus ſeculis, eſſe potuerunt. Inter haec Agnelli Ravennatis duo loci emendandi, et errores quidam Cluverii, indicantur. Montonum fuiſſe Bedeſim Plinio, Ronchum autem Vitim, coniicitur, et circa hunc hallucinationes Alberti, Ferrarii, Baudrandi, oſtenduntur. Tum obiectioni, cur Plinius in enarrandis

randis his fluviis Montonum omisisse videri possit, occurritur, Ronchum ipsi fuisse Vitim confirmatur. Hinc occasione data, error Cluverii et aliorum, de antiqua Solona, evidentissime retegitur. Geographi plerique, et eorum Tabulae, in duobus illis fluviis graviter peccant. Quaeritur, Vitis in Plinio sit legendum, an Utis? Posterior lectio probatur Cluverio, qui tamen ex consensione Codd. et vetustorum, et recentiorum, qui omnes habent Vitis, refellitur; nec adiuvatur is loco Livii Dec. I. l. 5. ad quem pro *Utente*, sicut veteres libri habent, *Vite* esse legendum, iam Sigonius animadvertit. Denique, quod paullo ante coniectum fuerat, Ronchum antiquis fuisse Vitim, virorum quorundam doctorum auctoritate confirmatur.

III. Quae superiori Epistola brevius attigerat, eorum in sequentibus uberiorem Auctor instituit explicationem, de quinque fluviis in Ravennae aestuaria olim influentibus figillatim dicturus. Primo quidem loco consideratur Padus. Unus de Padi alveis per mediam Ravennam ferebatur, non tamen, ut quidam Interpretes Dantis credunt, huius aetate. Initium ex Spinetico Padi alveo infra Vatreni fluminis confluentes cepit, nec angusta, sed augusta Fossa dicendus. Huius amplitudo, advecto simul cum aqua ex aliis alveis limo, paullatim contracta est, ut nulla iam sit. Quod cum minus attenderent Geographi, factum est, ut plerique de fossa ista non satis accurate traderent. Agnelli de fossa ista loci illustrantur. Inter haec quaedam de porphyretico Theoderici Sepulchro ab Agnello tradita, cum posterorum autem scriptis difficile concilianda, attinguntur; Butrium ubi fuerit coniicitur.

IV. De secundo et tertio flumine agitur, Anemone et Bedesi. De Anemone errores quidam Geographorum indicantur. Errant, qui italice *Amone* credunt, non *Lamone* esse dicendum, et quomodo vox illa prima nata sit, et unde alia Anemonis nomina. Circa eius finem errores Geographorum

phorum recenſentur. Bedeſis. In duobus amniculis, ex quibus oritur, error indicatur in Dante intelligendo: tum errores alii in Tabulis Geographicis. Quo primum tempore ſupra urbem fuerint duo illi amniculi unum in alveum corrivati, et quales huic, et quando pontes impoſiti. De antiqua utriusque amniculi per urbem via, et quae hinc conſequantur. Agnelli ſcriptoris Ravennatis loci, qui ad Bedeſim videntur ſpectare, conſiderati. Adiiciuntur praetera alia de Bedeſi, quae fere pertinent ad confirmandum magis id, quod Ep. II. de Ronchi et Montoni apud veteres adpellationibus dictum fuerat.

V. De quarto et quinto flumine, Viti et Sapi. Vitis nomen confirmatur. Ronchi nomen ab Roncho caſtello deductum; de ponte alio tempore illi impoſito; et vetus Inſcriptio ad pontem quomodo legenda. Unde Aquaeductus ſit etiam vocatus, inquiritur; ubi de templo et rure eiusdem nominis. An ab Aquaeductu Theoderici, aut Romanorum potius: ubi alia de Aquaeductu Ravennate. Quae Galeatae ad Theoderici Palatium et Aquaeductum ſpectare poſſent, quaeſita. In marmoribus ad templum, de quo paulo ante dictum, fruſtra, quae ad Aquaeductum ſpectarent, quaeſita: ubi et de columella, ad illud templum conſpicienda, agitur, indicaturque, quid fuerit, et cur gemina Inſcriptione, litteris inter ſe adverſis, inſculpta. Boccaccii de fluminibus locus expenditur, indeque aliquid contra Cluverium deducitur. Aliorum errores in aliis Ronchi nominibus. Sapis. De hoc flumine adnotantur recentium Geographorum errata, ex vexatiſſimo illo Lucani verſu fortaſſis orta:

Cruſtumiumque rapax et iunctus Iſapis Iſauro.

Quo de verſu quid ſentiat, late aperit *Morgagnus*; neque id alieno prorſus loco, ſiquidem tota eius diſputatio eo redit, ut explicatio Sapis, de quo dicere inſtituerat, eo plenior efficia-

efficiatur. Posthaec, notatis aliis aliorum hallucinationibus, etiam de Crustumio, oppido apud Anastasium Bibliothecarium memorato, verba fiunt. Denique Sapis quo tempore a Classensi portu, si unquam tamen in eum influxit, aversus fuisse videatur.

VI. Ravennae aestuaria quibus limitibus circumscriberentur, ad mare praesertim, et primum Orientem versus. Classensis portus amplitudo et autor. Inquiritur, num Plinius, ut plurimi aiunt, scripserit, Pharum portus huius fuisse maximum omnium Rom. Imperii, et num sacra turris S. Mariae in portu is Pharus fuerit: cuius templi qui conditores credantur, et quo tempore. Classensis Phari fundamenta, quae alibi reperta dicuntur. Mussivum opus, in quo is Pharus repraesentari creditus est, describitur, Classis oppidi et Caesareae limites indicantur. Explicatur causa, cur Classis oppidum sit extructum. Castra hiberna Classiariorum, ut Pighius loquitur, paranda fuerant in perpetuum tempus, itaque et tutelae, muro et disciplinae causa cingenda. Ad milites igitur, ad turmas, ad socios navales, ad fabros maximae classis excipiendos, locumque his praebendum idoneum, quo suum exercerent munus, iis castris opus fuit, quae oppidi magnitudinem aequarent. Paullo difficilius est negotium, constituere, quod usque ad tempus apud illud oppidum fuerit classis Romanorum. Quod ut determinetur, quaeritur, ad quem de tribus Valentinianis Vegetius libros miserit de Re Militari, nisi potius ad Theodosium II. misit. Classense oppidum ad quod usque tempus perstiterit, inquiritur. Posthaec de Caesarea, et via, et oppido, agitur. De ponte Candiani; et num fluvius ullus fuerit eo nomine, isque aquis praesertim copiosissimis. Errores notantur Geographorum, aliorumque. Quis fluvius in veteri Inscriptione videatur intelligendus nomine Badrini. De Vatreno flumine; et quomodo legendus accipiendusque sit Martialis locus? Est ille Epigr. 66. ubi poëta viam ostendit,

dit, per quam ex Forocornelienſi agro tranſiliat Ravennam De Vatreni influxu in Padum non ſemel mutato.

VII. De littore Ravennate ad Occidentem. Conſiderantur Agnelli de Aede S. Mariae ad Blachernas quidam loci. De Portu Ravennate. Qualis locus, ubi Ravenna primum condita eſt, et quomodo, et qua de cauſſa non ipſa a mari, ſed mare ab ipſa receſſerit, et quibus ſaeculis. Cauſſae mutationum portuum Ravennae exponuntur, et tandem qualis Ravennam miſſa fuerit Inſcriptio, quae ſub Pontificis ſtatua inſculperetur.

VIII. Praemiſſo huius et ſequentium epiſtolarum argumento, Geographorum lapſus in Padi primis duobus alveis, in Vatreno et in Sylva Lucana indicantur. De Cotignolae oppidi conditoribus. Errata Geographorum in Anemone fluvio. Prope Martianum torrentem, qui ex Apenninis montibus defluit, Anemonem auĕturus, eſt Mutiliana. Hinc quaeritur de oppido iſto an idem ſit cum Caſtro Mutilo Livii, quod L. XXXI. et XXXIII. commemoratur. Antiqua Solona ubi perperam quaeſita, et ubi fortaſſe quaerenda ſit. Ad finem errores Geographorum adnotantur in fluviis Forolivienſibus.

IX. Forum Livii a quo et quando conditum ſit, coniicitur, neque obſtat Strabonis et Melae ſilentium. Quatenus Livia dictum ſit? ubi de duabus Inſcriptionibus. Cur paucae ſuperſint. In his duae commemorantur celebres ob adſcripta Conſulum nomina. Conditum Forum inter amniculos duos. Eius antiqua tum longitudo, tum latitudo modica, ditio autem olim ampla. Cur eius viae quatuor maiores vocentur Suburbia. De pontibus alteri amniculorum impoſitis et reſtitutis cum Inſcriptione, quae quomodo legenda. Peculiarium nominum, quibus ſingula Suburbia et Portae adpellantur, cauſſae inquiruntur. Portae olim

plures

plures quatuor. Muri, fossae, et tres arces, quibus urbs muniretur, quando inoipi aut restitui potuisse videantur. De urbis foro antiquo et novo, huiusque ornamentis, et de multis in urbe turribus. Coenobia quaedam quo tempore aedificata. Episcoporum quatuor Forolivienſium nomina indicantur, Episcoporum Catalogo, in quo desunt, addenda. Quomodo eorum Chronologia reddi exactior possit, et Praetorum Forolivienſium saeculo XIII. nomina ad duodecim nosci queant. Causſae denique recensentur, quare antiquiora civitatis documenta interciderint, incendia praesertim, quorum maxima suo quaeque tempore indicantur.

X. De Cornelio Gallo, poëta, et primo Aegypti Praefecto, cuius Ep. I. mentio facta est, rursus agitur; et primum quomodo distinguendus sit ab aliis, qui cum eo confusi fuerunt. Gesta aliorum perperam ipsi tributa, et vera ipsius distinguuntur. Mortis eius, de qua supra iam dicta quaedam sunt, hoc loco credibilior causſa, et modus certus proponuntur. Eius scripta, quae suppositа, quae dubia, quae certa, et haec quod usque ad tempus servata. Quo in pretio fuerit apud alios poëtas. Ad ea, quae de Cytheride, et de tempore, quo Antonium secuta sit, in Ep. I. scripta sunt, adiungenda. Alia de Gallo, tum dubia, tum certa. Attigerat iam supra *Morgagnus* obiter controversiam super Galli patria motam; hic fusius, quae huc pertinent, exponit, et commemoratis primum in huius poëtae patria definienda difficultatibus, ad rationes eorum respondet, qui Foroiulienſem fuisse contendunt. Porro de multiplici vocis Foroiulienſis significatione agit, et praesertim de Foro Iulii Narbonenſi, et tandem rationem, cur Forolivienſis potius credendus sit Gallus, non contemnendam adducit.

XI. De Blondo, quem Ep. I. contra criminationes quorundam defenderat, iterum agitur, eiusque nomen Flavium fuisse confirmatur, et quod nomen avo fuerit, ostenditur;

ditur; unde quaedam, quae ad rem faciunt, deducuntur. Blondi probitas laudatur, et quidpiam, quod in Recineti Epiſcopum dixit de Deceſſore, non de optimo eius Succeſſore Nicolao Haſteo, omnino intelligendum eſſe declaratur. A vita et moribus Blondi tranſitur ad eius ſcripta, et ex iis quidem, quae inedita adhuc creduntur, unum Oxonii eſſe dicitur calamo exaratum, inſcriptumque: *de Cosmographia Italiae*, de quo *Morgagnus* coniicit, eſſe forte exemplar quoddam, antequam typographia inſtitueretur, deſcriptum Operis, quod ipſe autor edidit, quodque omnium iam nunc in manibus eſt, *Italiae Illuſtratae*. Huius enim regiones, urbes, oppida, lacus, flumina, montes, ſecundum priſca ſingulorum nomina, id quod ibi Blondus facit, recenſere, quid aliud eſt, quam huius orbis partem deſcribere? Sic etiam *de Roma Inſtaurata* libri ab aliquo inſcribi poterant *Topographia Romae*. Utcunque id eſt, quanti laboris, et quantae ſimul utilitatis ea Blondi fuerint ſcripta eo tempore, facile erit exiſtimare cogitanti, neque ipſi alios, qui idem tentaſſent, per ea ſaecula praeluxiſſe, neque antiquos intelligi potuiſſe ſcriptores, niſi traderetur, quibus nominibus, quas Italiae partes, et quae Urbis loca deſignaſſent. Excuſatur, ſi qua forte in re lapſus ſit, Blondus, ratione temporis, quo viveret, et multitudine occupationum, quibus diſtentus libros ſuos conſcriberet. Nec eſt cur negligentiae arguatur poſt tot tantorum virorum teſtimonia, qui eius in ſcribendo diligentiam maximopere laudarunt. Patriam non plus quam aequum eſſe videretur amaſſe oſtenditur contra eos, qui amore patriae ductum, Euſebii locum de Gallo Foroiulienſi corrupiſſe, iactitarunt. Eius fides in illa quoque Inſcriptione defenditur, quae attinet ad Rubiconem. Quid cenſendum ſit, quaeritur, de tegula quadam Forolivienſi, ad Sextum Rufum Hiſtoricum ſpectare credita. De Hieronymi Mercurialis vita, meritis, et ſcriptis, editis et ineditis plura, et circa haec illamve non paucae quorundam hallucinationes notatae. De Iacobo a Turre, aliisque Forolivienſibus Philoſophis et Medicis. De Cardinalibus et Epiſcopis.

XII.

Digitized by Google

XII. Reditur ad fluvios Forolivienſes. Agitur de Viti, oppidisque ipſi adiacentibus, notatis erroribus Geographorum. Galeatae varia nomina, quam fuiſſe olim Municipium, Mevaniolam dictum, confirmatur. Errata Geographorum. Arcis Meldulenſis Inſcriptiones tum editae, notatis erroribus, tum ineditae, cum adnotationibus proponuntur.

XIII. Ab Inſcriptionibus, quo diverterat Autor, redit ad fluvios, ipſisque adiecta oppida. Primum de Pineto Ravennate, tum de Foro Popilii et Bertinorio verba fiunt, erroribus Geographorum ſive aliorum adnotatis. Inter haec de poſitu illius Fori et vicinarum urbium ſcribitur, et de antiqui Ravennatis Anonymi Cosmographia. Tum de Inſcriptione perperam ad Forum Popilii ſpectare credita. Bertinorii priſcum nomen aliter ab aliis propoſitum. Nomen Petrae Honorii, illi datum, in quem gravem errorem quosdam olim et nuper induxerit, oſtenditur.

XIV. Hac denique Epiſtola de Sapi fluvio, adiectisque ipſi urbibus, ſermo habetur: et primum de Sarſina, ubi errata notantur, tum in eius nomine ſcribendo, tum in ipſo et Bobio intelligendo. Quid ſit Sapinia Tribus, inquiritur. Eruditorum alii, iſtam Tribum fuiſſe, ſcripſerunt, unam ex 120. Tribubus Gallorum Boiorum; alii autem, qui multo plures ſunt, inter Romanas Tribus referendam eſſe exiſtimarunt, quae aut nomen poſtea mutaverint, aut non uno adpellarentur nomine, aut ad ferenda ſuffragia ſimul cum aliqua magis notarum admitterentur. Quam utramque ſententiam eorum, qui pro ea Tribu intelligi populos putant, uti minime improbat Morgagnus, ita teſtimoniis Livii, eadem quoque Tribu ſignificari ipſum tractum, quem illi populi incolebant, demonſtrat. Locorum alter eſt L. XXXI. ubi ita ſcriptum: P. Aelius Conſul in Gallia C. Oppium praefectum *tumultuaria manu per Umbriam, (quam Tribum Sapiniam vocant,) agrum Boiorum invadere iuſſit*; alter L. XXXIII.

L. Furius Purpureo Conſul *per Tribum Sapiniam* in Boios venit. Poſt haec Caeſenae nomen, erroresque circa ipſum indicantur, et cur dicta Curva et Flavia Papia, inquiritur. De vinis Caeſenatibus. Diſputatur contra eos, qui vina Caeſenatia ac Mecaenatiana, apud Plin. Nat. Hiſt. L. XIV. c. 6. commemorata, eadem eſſe tradiderunt. A Caeſena pergit Auctor ad Cerviam, quam nec pervetuſtam, nec tamen valde recentem urbem eſſe, oſtendit. Tandem, quid locus fuerit dictus Ad Novas, et de vico ad portum Caeſenatem, ſermo habetur, ubi et dubitationes quaedam ſuper controverſia de vero Antiquorum Rubicone proponuntur.

Haec igitur ſunt praecipua Opuſculorum *Morgagni* capita. Quibus perluſtrandis tantum abeſt ut Auctoris apud nos exiſtimatio vel minima ex parte diminuta ſit, ut potius nova hinc incrementa ceperit. Nam ſive eum de ratione corporis humani praecipientem Medicum, ſive in verum antiquorum ſcriptorum ſenſum, resque abſtruſiores hiſtoricas inquirentem audiamus Criticum, in omnibus pariter verſatiſſimum et diligentiſſimum, et, ut uno verbo dicamus, in omnibus loquentem audimus Morgagnum. Sunt fortaſſe nonnulla in Epiſtolis, praeſertim Aemilianis, quae leviora videri poſſint extra Italiam viventibus; ſed ne hi quidem habebunt quod recte carpant, ſi reputaverint ſecum, Italum ea ad Italos, et ſaepe rogatum ſcripſiſſe. Et praeterquam quod inter ea, quae civibus ſuis proprie ſcripſiſſe videtur, multa reperiuntur ad recte intelligendos veteres ſcriptores valde utilia: orationis elegantia et concinnitas certe etiam exteris, qui minus forte curent oppida, amniculos, pontes, et Inſcriptiones Italiae, ſuppeditabunt quo inter legendum delectentur. Quae cum ita ſint, nihil profecto optaverimus magis, quam plura huiusmodi ſcripta ab eruditiſſimo Auctore edi; niſi ſenem ad ſcribendum provocare nonagenarium nefas putaremus,

PHILO-

Digitized by Google

PHILOSOPHIAE NATURALIS SIVE PHYSICAE dogmaticae TOMUS II. continens Aerologiam et Hydrologiam, vel ſcientiam aëris et aquae, tanquam continuationem Syſtematis Philoſophici Chriſt. L. B. de Wolff. Auctore MICHAELE CHRISTOPHORO HANOVIO, Gymn. Acad. Ged. Prof. Philoſoph. eiusdemque Bibliothecario.

Halae Magdeb. proſtat in officina libraria Rengeria MDCCLXV. in 4to, complexa pagg. 778. cum tabb. aen. III. et indice locupletiſſimo.

Non immeritis Tomum I. huius Phyſicae dogmaticae laudibus nos proſecutos eſſe, et iudicia de eo aliorum Virorum doctiſſimorum docuerunt, et lectio huius IIdi Tomi quemvis ſatis ſuperque docebit. Quo enim magis *Hanovius*, tot illuſtribus in orbe erudito ſpeciminibus clarus, ad intimiora ſyſtematis Phyſicae Wolffiani, quod optimis Academiae Caeſareae naturae curioſorum, Petropolitanae, Pariſinae, Londinenſis, Suecicae, et caeterarum, ut et clariſſimorum Virorum, quae in publicum prodierunt, inventis ſuperſtructum, ac eximio ordine digeſtum eſt, capita illuſtranda progreditur: eo clarius eius elegantia ac ſoliditas legentium animos perſtringit. Excuſſo, ut in recenſione Tomi I. declaravimus, inter elementa rerum materialium aethere, et explicatis plerisque Phaenomenis, quae ab eo pendent, caetera hoc Tom. IIdo elementa, eadem dexteritate, in Aërologia ſcientiam aeris, et in Hydrologia ſcientiam aquae, maximeque memoranda quae illorum vi fieri queant, et ſolent, magno cum eruditionis ac doctrinae apparatu explicat Auctor Cl. Viam vero ſibi ad ſolide pertractandas has ſcientias munit in anteceſſum, ſtabiliendo aetheris aerisque cum ſimilitudinem, tum diſſimilitudinem, eſſentiae ac naturae immutabilem, ac demonſtrando, maxime abſurdam eſſe eorum ſententiam, qui fieri poſſe ſtatuunt, ut ex aethere aër, et ex

aëre aether rursus fiat. Ex qua sententia cum maxima rerum confusio, innumeraeque inter Physicos controversiae enatae sint, auctor Cl. omnes ingenii vires eo intendit, ne iisdem hoc systema implicetur atque irretiatur, demonstrans, et extra omnem dubitationis aleam certis argumentis ponens, Aërem esse soni principium, et materiam sua natura propriam, aetherem vero lucis, caloris, colorumque: aetherem purum, quantumvis condensatum neque sonuisse unquam, nec sonare posse, aëre prorsus remoto; neque aërem quantumcunque attenuatum compressumque per se exserere aut capere aetheris vibrationes, vi sua tam pernices, quibus lux calorve oriatur; nullam quoque rationem aut methodum suppetere, aërem prorsus ab aethere liberatum exhibendi, quare in ipso quaedam emergere aetheri admixto tribuenda: solam pernicitatem motus progressionis et vibrationum utriusque, ut virium insitarum effectus, ad haec evincenda sufficere abunde, utpote quae multis millibus maior in aethere quam in aëre dari possit: immo vim aëris ratione tam debilem tamque inferiorem esse vi aetherea, ut insigne intervallum detur, sensibus manifestum, inter summam vibrationum aëris celeritatem et progressionem, et initium vibrationum aetherearum, infimam lucem et colorem constituentium. Quantam vero diversitatem aërem inter et aetherem constituit A. Cl. eandem evincit inter aërem atque aquam intercedere, idque manifesto patere putat cum ex longe tardiori aquae progressione ac vibratione in ea excitata, tum ex multo maiori densitate et gravitate eiusdem, quae fere millies excedit vires densitatis gravitatis que aereae. Nec aliter comparata est terrestris elementi indoles in hoc systemate. Cum enim in eodem evictum est, elementa non esse nisi primam corporum materiam, ideoque simplicem: necesse est ut terra quoque simplicitate cum caeteris elementis conveniat, nec nisi natura propria, h. e. gradu virium elementarium omnino diverso differat. Quae cum propria sit terrae, adeoque fieri nequeat communis, sicca autem

autem a Philoſophis aeque ac in geneſi mundi Moſaica dicatur, ex evoluta diſtinctius ſiccitatis indole rationes et argumenta deducuntur, cur nec aqua fieri terra, nec ex aethere aut aere coaleſcere terra, nec terra in aquam, aerem, aut aetherem transformari poſſit. Maximo ſtudio haec ipſius Cl. auctoris verbis notavimus, cum ea maximi momenti eſſe, et omni accuratiore conſideratione digniſſima, iudicabunt nobiscum ii, quibus Veterum Phyſicorum Coſmogoniae, et nonnullorum recentiorum, inter quos nominaſſe ſufficiet Viros eruditione eminentes, Boylium Nieuwentitum, Hookium, Ellerum, placita cognita ſunt. Multis profecto non ſolum incommodis et difficultatibus, quibus ſententia contraria obruitur, firmis conſtituta ſententia clariſſimi auctoris argumentis, liberatur Phyſica generalis; ſed etiam plurimorum commentorum errorumque fontes obſtruuntur, ac veritatis adyta aperiuntur. Aërologia ipſa, una cum adiuncta aërometria, quatuor abſolvitur capitibus. Caput primum edocet aeris naturam, edendi et diffundendi ſonos tonosque, non ſolum clare, ſed et diſtincte concipiendos, qua intervalla progreſſionis duplae ac intermedia, qua voces, cantus, concentus conſonantiam, qua intelligenda inſtrumenta campanarum, chordarum, tibiarum, tubarum, fragorum principia et fundamenta acuſticae, diacuſticae, et catacuſticae. Docet hoc caput praeterea naturam ventorum variam, qua directionem, extenſionem, magnitudinem, celeritatemque eam qua irruit in vacuum, itaque et rarefactionem, et condenſationem, et vim elaſticam. Docet ſtatum aeris fluidum et fixum humidum et ſiccum, calidum et frigidum, turbidum et ſerenum, niſum ad aequilibrium, gravitatem, indolem ſpirabilem, vitalem ſalubrem et inſalubrem, neceſſitatem ad flammam. Docet eius vim reſiſtendi, naves et machinas agitandi, reflectendi ſonos, propagandi, et remittendi unde multiplex echo, eiusque leges conſiderantur, et artificia ſocorum phonicorum. Docet vim ſonos intendendi, vitra diffringendi, tubas ſtentoreas, cornua, et aures artificiales. Docet anemoſcopia et anemometria velocitatem ventilato-

tilatoris, turbinumque manometra, pycnometra, thermometra, aeria praesertim, psophometra, tonometra, echometra, hygrometra, et aeria prela. Ex quo rerum praestantissimarum, admirabili eruditionis apparatu tum ex aliorum penu, tum ex propria meditatione deprompto, declaratarum indice, lectores perspicere possunt, quanta vel hoc unicum caput superbiat rerum copia ac varietate. Maiorem vero invenient progrediendo ad caput huius sectionis secundum, in quo auctor Cl. differit de natura athmosphaerae, vaporum et exhalationum, unde omnis telluris fertilitas derivanda, usuque atmometrorum et hygrometrorum. ipsam vero Athmosphaeram in tres dividit regiones, ac de earum altitudine erudite differit, nec non de gravitate per barometra innotescente, cum supra montium cacumina, tum in profunditatibus accessis, item in phaenomenis antlia pneumatica productis, elatometro melius ostendendis. Inquirit deinceps in figuram et vires athmosphaerae resistendi, promendi, movendi, gignendi turbines, in thermobarometra, in extraordinariam barometrorum altitudinem, in naturam follium, siphonum, Antliarum, scloporum pneumaticorum, molarum pneumaticarum, in torcularia athmosphaerica, vim pulveris pyrii, aerolenos et antliam vaporum fervidam. Insignia in hoc capite artificia, in machinis ingeniose inventis, ac usibus vitae communis destinatis, magna sollertia annotata invenient Lectores; interque alia maxime se commendabunt ea, quae circa machinam Hellanam auctor Cl. differit. Tertio dein capite omnis meteorologia explicatur aetherea. Ubi explicatis in antecessum in genere meteoris, enarrantur emphatica, tum in inferiori, tum in superiore athmosphaerae regione: singula huc spectantia luculenter, ac admirabili ordine recensentur. Lectu digna sunt quae proferuntur de ignibus fatuis, noctivagis inanimis, lambentibus marinis, noctilucis animatis corporibus inhaerentibus, cicindelarum, pyraustarum piscieulorum, ostrearum, nec non de scintillis electricis pilorum, succinorum, vitrorumque. Posthaec explicantur meteora emphatica regionis superioris, et quidem

prima

primo lucentia, ut anticipati per refractionem ſiderum ortus, dilucula, varii arcus lucidi in coelo apparentes, trabes vel columnae, ſtellae cadentes, dracones volantes, faces coeleſtes, caprae, hiatus et retroceſſio ſciaterici; deinde colorata, ut pallor lunae, ſolis, color coeli caerulaei, irides multiplices, extraordinariae quoque inverſae, ſolares et lunares, coronae, et halones ſolis lunaeque concentrici, eccentrici, verticales ſe interſecantes et contingentes, cum parheliis, parafelenis, antheliis, hypeliis, hyperheliis, ac crucibus lucidis, nova plane ratione explicatis, adiuncta iridometria et halometria. Summa praeterea cum voluptate in hoc capite leginus, quae notavit Cl. auctor de auroris borealibus, et inprimis de meteoris emphaticis rarioribus, res terreſtres in nubibus veluti depictas in ſpeculo exhibentibus; quae effigies coeleſtes ſeu icones aeriae rerum terreſtrium, animatarum aeque ac inanimatarum, appellantur. Tandem ſequuntur meteora ignea, calida aeque ac urentia. Hic tempeſtates ſtatae et variabiles, caloris frigorisque explanantur, tum fulgura, fulgetra tonantia, et fulmina varii generis, in his et congelantia, et magneticas acus in contrarios polos invertentia, nec non bolides et globi igniti, praeſteres, et terrae motus. Quartum iam caput conſiderat meteora aquea et mixta. Illa ſunt vel liquida, ut vapores, fumi, nebulae, nubes, ros, pſecas, pluvia, imber: vel gelata, ut pruina, nix, grando. Quae dum qua genus, cauſas, phaenomena, vires effectusque, enucleantur, accurate ſimul expenduntur quae ad nephometriam, ſcotometriam, anemometriam ſuperiorem, droſometriam, et hyetometriam illuſtrandam pertinent. In gelatis occurrunt gelicidia, effigies mirae, nivis varietas, unde ſit eius ſumma albedo, ratio ad aquam in quam deliqueſcit, uſus et noxa; grando extraordinaria, ut lapides glaciales, ova interdum aequantes. Mixta vero ſunt odores et odoramenta varii generis, oſphrantiam deſiderantes, et oſmometriam; procellae turbines, terreſtres et hypogaeae ſeu ſubterraneae; tubae turbineae terreſtres, marinae, ac coeleſtes, ſtupendae haud raro violentiae. Eadem rerum varietas exhibetur in

ſecunda

ſecunda Partis IIdae ſectione de Hydrologia. In eius capite primo agit Cl. auctor de hydrologia generali et pura, adiecta hydrometria. In illa docet Cl. auctor aquam puram eſſe elementum humidum fere millies maiori gravitate praeditum quam aer, ac principium et materiam omnis humiditatis, puram eſſe inſipidam, inodoram, limpidam, pellucidam, ſpecularem, evaporativam, et alimentorum vehiculum. Agit deinceps de ſtatu eius duplici, fluido ac ſtabili, eiusque cauſis et notis, oſtenditque, fluidae gradus caloris eſſe inter Farenheitianos 33. et 212., quo in mediocri athmoſphaerae gravitate bullit, et copioſe in vapores ſurſum abit. Docet praeterea in hoc capite vaporum ferventium diffuſionem in ſpatium 1400 maius, vim quanta ſit, et e bullitu oriundam thermobarometrum Farenheitianum, una cum gradibus intermediis inter gelationem et bullitum conſtantibus, et expanſionem voluminis aquae per calorem, et mutatam ſic gravitatem antequam evaporet. Docet ibidem gelatam et in vacuo fieri glaciem duram, quaſi vitrum naturale; in cuius inquirit rationem, et vires ferendi diſtendendique, et variam refrigerationem, qua nondum glaciatur, nec non intenſionem gelidae glaciei naturalem artificialemque: docet praeterea, ineſſe aquae vim ſolvendi, et ſoluta velut imbibendi, bifariam, extime intimeque, et veri ſimilem eius ſtatum fixum in ſiccis corporibus, quaeque in eo retineat, vimque elaſticam ad aequilibrium quaquaverſus nitentem, et cauſam fontium ſalientium Heronis et Hellani: variaque de vi ignea exſtinguendi, hydracontiſterio, machina hydropyria, et hydrometri uſu proferuntur, declarato ſimul uſu aquae hydroſtatico amplisſimo. Capite ſecundo de hydrologia ſpeciali ac mixta, h. e. aqua impura, agens, illam dirimit in communem et peculiarem. Communis dimidiam fere telluris ſuperficiem occupat, et vel ſaiſa eſt, vel inſulſa ſeu dulcis: ſalſam continet Oceanus et Maria; inſulſam potiſſimum lacus atque fluvii. Excutit itaque Clar. auctor naturam ſalſae ac marinae, propter contenta ſalina et oleoſa gravioris, eiusque diverſam ſalſuginem, unde, et cur ſit, et quomodo inſulſa et

pota-

potabilis fieri poſſit aqua marina; deinceps expendit aeſtus marinos, cum ordinarios, tum extraordinarios, apertis cauſis, a quibus dependet, et quomodo aſmometro menſuroretur diſcernaturque ab aliis motibus ei affinibus: ſolide natura gurgitum, voraginum ſeu euriporum, ſyrtium vel turbinum marinorum, declaratur, adiuncta diſquiſitione de figura exteriore et profunditate Oceani, bathometris ex parte dimetienda, nec tamen ubique aſſequenda, ſed tantum coniectanda: de ſinubus, aeſtuariis, fretis, tentaminibus coniungendi maria, hypothetica aquae marinae ſumma, poſitne integram tegere telluris ſuperficiem; de difficiliori congelatione, montibus Oceani glacialibus, ſaepe ſtupendis, ac fluctibus noctilucis. Tandem agmen claudit diſquiſitio copioſa, de aqua dulci ſtagnante, ac currente: illam continere ait lacus, ſtagna, paludes differentis varietatis; hanc fontes rivos, fluviosque. Quemadmodum vero rationes lacuum diverſorum, naturalium et humana arte factarum, ſtagnorum, paludum, caeſpitum ibidem combuſtibilium generatorum explicat: ita non minus luculenter declarat originem fontium, diverſitatem, latentium inveſtigationem, deductionem in puteos, ciſternas, foſſas, caſtella, extraordinariamque fontium intermittentium, ſaxificorum, mineralium, ſalinorum, ſulphureorum, mercurialium indolem, docetque mineralium alios eſſe ſalubres, alios inſalubres, unde opus eſſe hydrodocimaſia, vulgari et artificiali, phyſica, chemia, et hydroſtatica. Ultimo conſiderat, qua ratione aqua e fontibus tranſeat ſeque explicet in rivulos, rivos, fluvios, et flumina, ibique de eorum alveis, pulvinis, vadis, campis ſeu inſulis, cataractis ſubdialibus, ſubterraneis, mixtisque, de vi fluviorum, ac de modo applicandi vim aquae ad uſus mechanicos, in genere, et in ſpecie ad navigandum ſine vento ac remis, agit. In appendice ſubnexa huic Tomo, occurrunt primo uberior cenſura ſententiae Desaguillerii, de vaporum aſcenſu et deſcenſu, Art. 3. No. 407. Transact. Phil. p. 6-22. propoſitae, atque refutatio. Sequuntur diſquiſitiones de facilitate motus corporum in

aqua, atque de vi materiali vel Hylozoiſmo, et annotationes mixtae de Veneris ſatellite, de parallaxi ſolari, a Stephano Rumowski, e ſuis et Pekingenſibus obſervationibus tranſitus nuperi Veneris per diſcum ſolarem determinata, de novo thermometro nautico, de thermobarometro Chriſtiani Habichtii Philoſ. experim. et Matheſeos Profeſſoris Vratisl. in Gymnaſio Eliſabethano, de dubitatione Cl. d'Alembert circa congelationem argenti vivi, de iride ſolari poſt ſolis ante 15 minuta occaſum anno 1764. die 14. Septembris haud procul Lipſia Voigtsbergae obſervata. Tandem ſubiungitur tabula indicans altitudines montium Peruvianorum per deſcenſum mercurii in Barometro, auctore Bouguerro, ad illuſtrandum §. 171. huius II. Tomi, nec non alia ex Horrebowii Elementis phyſicis.

METHODUS NOVA INVENIENDI LONGITUdines locorum terra marique per, Lunam.

Audivi ex fama, quod viſum ſit ab Aſtronomis quod Longitudines locorum terra marique non poſſint pro certo dari niſi per Lunam, et quod hodie indagetur Methodus, quae dabilis; et quia in iuventute mea aliquo tempore applicui animum ad Scientiam Aſtronomicam, et ob illum finem perlegi RICCIOLVM, et vidi ab illo aſſumtas plurium Methodos indagandi Longitudines ope Lunae, ſed omnes improbatas propter difficultates circa Parallaxes, et ſic reductionem Lunae obſervatae, ſeu apparenter viſae, ad ſuum locum verum: propterea animum meum intendi ad inveniendam aliquam Methodum, quae illis difficultatibus non foret obnoxia. Et quia tunc inveni hanc ſequentem, quae hactenus nemini in mentem venit, et caret illis difficultatibus, me oportet illam publico dare, ac iudicio et examini peritorum Aſtronomorum ſubiicere. At ſciendum eſt, quod illam hic tradam proſus ſicut inveni ſcriptam in iuven-

TAB II. ad Nova Act. Erud. A. 1764. Mens. Sept. p. 186. seqq.

Fig. 1.



Fig. 2.



Fig. 3.



Fig. 4.



iuventute mea; nam poſt illa tempora iniunctum mihi eſt ab illo ſtudio recedere, et rebus interioribus animum applicare.

IPSA METHODVS TALIS EST. Fig. 1. *Sint binae Stellae viſibiles, quarum Longitudo et Latitudo ex Tabulis ſunt notae. Obſervetur Tempus cum Luna in lineam eandem cum praedictis Stellis venit; hoc eſt, cum Luna ☽ ad Lineam cum Stellis ✱ ✱ ſeu a. b. venit. Ex qua obſervatione patebit locus Lunae apparens, et dein verus, ſecundum methodos ſequentes.* Tab. II.

Hic duo Caſus occurrunt. *Primus,* cum datur par Stellarum, quae in eodem gradu Longitudinis ſunt, ſed differunt Latitudine. *Secundus,* cum binae Stellae differunt tam Longitudine quam Latitudine. In priori caſu aliquanto facilior eſt obſervatio quam in poſteriori.

Si binae Stellae in eodem Gradu Longitudinis ſunt.

Fig. 2.

Si dantur binae Stellae, quae in eodem gradu Longitudinis ſunt, ſed differunt Latitudine, ſequitur: 1. Quod utraque Stella ſit in uno circulo Latitudinis, et in eodem puncto Eccliptices; ut ſi (Z E) ſit Zodiacus vel Ecclíptica, duae Stellae (d) et (e), ſunt in eodem gradu Eccliptices (b), ſed differunt Latitudine (d e). 2. Ex Tabulis habetur differentia Latitudinum, quae eſt diſtantia (d e). 3. Si ſecundum methodum praedictam obſervetur Luna, cum appellit ad eundem Circulum cum praedictis Stellis, ſcil. ad (☽), habetur locus eius apparens ſine ulla obſervatione Altitudinis, nam eſt viſualiter vel apparenter in puncto (b), ſive in eodem Gradu Eccliptices in quo ſunt Stellae. 4. Dato loco apparente habetur verus, per reductionem eius ab apparenti ad verum ope parallaxeos, quae inveſtigatur modo uno ex ſequentibus.

1. *Per altitudinem trium, ſcil. Lunae et utriusque Stellae.* Capiatur Altitudo illorum trium, ſcil. (k e) (i ☽) (h d); unde

de dantur complementa (df) et (ef): ex tribus lateribus (fe) (fd) (ed), innoteſcit angulus (d); et conſequenter ex Altitudinum complementis (☽f) (df) et angulo (d), angulus ſubparallacticus (☽); quo dato in Triangulo parallactico (a☽b), ex angulo praedicto (☽) et recto ad (b), et parallaxi altitudinis (a☽), habetur parallaxis Longitudinis (ab), qua demta vel adiecta ad Locum apparentem, obtinetur Locus verus Lunae in (a), cum apparens ſit in (b).

2. *Facilius per unam Diſtantiam et duas Altitudines.* Obſervetur diſtantia (☽d); et capiantur Altitudines (☽i) et (dh); unde datis tribus lateribus (fd☽), habetur Angulus ſubparallacticus (☽); quo noto in Triangulo parallactico (ab☽), habetur (ab) Parallaxis ſecundum longitudinem.

3. *Adhuc facilius per unam Altitudinem et unius Anguli obſervationem.* Scil: per altitudinem Lunae (i☽), et Angulum (f☽d); unde datur ſine calculo Angulus ſubparallacticus (a☽d), qui una cum recto in Triangulo parallactico dat parallaxin ſecundum Longitudinem (ab). In hoc caſu facilius habetur Angulus quam alias, ſi modo perpendiculariter pendeat inſtrumentum, et collimetur ad centrum Lunae (☽) et Stellam (d), unde datur Angulus (a☽b).

4. *Adhuc facilius ex nuda inſpectione obliquitatis Stellarum.* Si enim Stellae (de) ſunt verticaliter ſitae, adeo ut circulus altitudinis tranſeat per centra utriusque Stellae, tunc in ſuo Nonageſimo Lunam eſſe dico, et omni parallaxi in longitudinem carere. *Demonſtratio:* ſi (**mn) in eodem circulo ſunt, linea recta ſecat Ecclipticam in (a), unde eſt circulus ille cum Luna in Nonageſimo, et caret parallaxi longitudinis. 2. Si ad dextrum vel ad ſiniſtrum declinent Stellae, ut (bd) Fig. 4; praeter propter nudis oculis obſervari poteſt obliquitas; quoque magis in obliquum cadunt, eo maior parallaxis, ſed quo minus eo minor. 3. Si dextrorſum

ſum cadunt Stellae, demenda eſt parallaxis, ſi vero ſiniſtrorſum, addenda eſt. Adeo ut ex ſola inſpectione pateat magnitudo parallaxeos, et fere quantum auferendum eſt vel quantum addendum.

Hic propoſuimus illum caſum, cum Stellae binae ſunt in eodem puncto Longitudinis, ſive in eodem Circulo Latitudinis, quarum plures reperiuntur in Tabulis, ut in Capite Caſſiopeae, et Lucida Cathedrae 29°: 35′. Duae in Andromeda et Caſſiopeae Gyro umbilici 37°: 52′. Duae in Triangulo, 38°: 58′. Duae in Piſcibus 112°: 29′. In Urſa maiore et Argonavi, 119°. In Urſa maiore et Cancro 122°. 57′. In Geminis 109°. 6′. Tres in Orione et Hydra 119°. 44′, praeter alibi. Ad quarum circulum cum appellit Luna, *ſive ſupra, ſive infra, ſive intermedie*, habetur ſtatim Locus apparens, et ex Altitudinibus, Diſtantiis, aut Angulis, vel nuda Inſpectione, Locus verus. Adeo ut calculi prolixitas e Tabulis ad indagationem Lunae et Parallaxium eius non neceſſaria ſit, cum habeatur omne per Obſervationem.

Si duae Stellae differunt tam Longitudine quam Latitudine, Fig. 3.

In hoc Caſu, cum differunt Loca Stellarum tam Longitudine et Latitudine, etiam nec difficulter reduci poteſt Luna a Loco apparente ad verum. Sint in Tabula 3 binae Stellae, (a) et (e), quae differunt tam Longitudine quam Latitudine; ſint Stellae primi generis. Cum itaque par quoddam ex illis deſtinatum eſt uſui, in anteceſſum opus eſt, ut ſecundum regulas ab Aſtronomo quodam, vel ab ipſo Obſervatore, ex nota Longitudine et Latitudine illarum, calculetur. 1. Diſtantia Stellarum (a e). 2. Diſtantia Stellae a Zodiaco (a d) et (d e). 3. Angulus (☽ a m) et (Z d e): quae tria ex nota Longitudine et Latitudine Stellarum facile ha-

bentur; et in usum dein per Saeculi tempus servari, et ab Astronomo in Ephemerides referri possunt. His notis caetera observatu facilia sunt, scil: cum appellit Luna ad Circulum Stellarum (a e), parallaxis et locus eius verus deinde habentur. Vel

1. *Per tres Altitudines, scil: per Altitudinem Lunae et utriusque Stellae.* Si capiatur Altitudo Lunae (g ☽) et Stellarum (e f) (a h), habentur complementa (l a) et (l e) cum distantia intermedia (e a) prius calculata. Ex his Tribus datur Angulus (l a e); unde ex Tribus in Triangulo (l a ☽), scil: Altitudinis complementis (l a), (l ☽) et Angulo ad (a), habetur Angulus (l ☽ a): quia notus est Angulus (b d ☽); hinc in Triangulo (b d ☽) ex notis Angulis (d) et (☽) et parallaxi altitudinis (☽ b), habetur Parallaxis Longitudinis (d b); qua ablata vel addita ad gradum puncti (d), qui notus est, habetur Locus verus Lunae (b). Vel

2. *Facilius per unam Distantiam et duas Altitudines.* Scil: si Altitudo (a h), et (☽ g) sint notae, et distantia (☽ a), per observationem; ex Tribus datis in Triangulo (l a ☽) habetur Angulus ad (☽); unde in Triangulo (b d ☽) noti sunt anguli (☽) et (d) ex priori calculo, et parallaxis Altitudinis (b ☽), habetur distantia (d b) a puncto noto (d) ad verum (b) Vel

3. *Adhuc facilius per unam Altitudinem et unius Anguli observationem:* per Altitudinem Lunae (i ☽) et Angulum (f ☽ d), unde habetur sine calculo Angulus subparallacticus (b ☽ d), adeo ut statim intromittatur Observator in Triangulum (b d ☽), in quo notus est Angulus (☽) et (d) ex praecedente calculo, et Altitudinis parallaxis (b ☽); unde habetur distantia (d b), hoc est, a puncto Zodiaci (d) ad hunc locum. Ad Anguli observationem adhiberi potest Instrumentum Hevelianum, vel alterius, modo pendeat verticaliter, et collimetur a centro Lunae ad stellam (✱ a). Vel

4. *Adhuc*

Digitized by Google

4. *Adhuc facilius ex nuda inſpectione obliquitatis Stellarum.* Cum notus eſt Angulus, quem facit Arcus inter Stellas medius (a e), et Angulus ſectionis eius et Zodiaci (d), etiam habetur differentia Anguli illius a recto; ſi ſit 10, vel 20, vel 30 gradd. Exempli gratia 30 gradd. cum par illud declinat 30 gradd. eſt punctum (d) in gradu nonageſimo; et cum obſervatur in hac declinatione Luna cum Stellis, nullam Parallaxin Longitudinis habet; ſed quo magis declinat a 30 gradd. verſus ſiniſtrum vel dextrum, eo maior evadit Parallaxis. Hoc ex Angulo dato nuda inſpectione aliquo modo videri poteſt, ut et num adiicienda ſit Parallaxis vel auferenda.

Hinc videmus in hoc ſitu ſtellarum non opus eſſe notitia Loci apparentis Lunae; ſed tantum puncti Zodiaci (d), quae datur ex nota Latitudine et Longitudine Stellarum. Si paria ſint electa 10 vel 50, labore bidui ab Aſtronomo haberi poteſt notitia diſtantiae ſtellarum (a e), diſtantiae a Zodiaco (a d), punctum et angulus ſectionis in Zodiaco, etc. quibus notis non difficile eſt in notitiam reliquorum, ſine taedioſa Parallaxeos cuiusdam aut Latitudinis calculatione veniri.

PRAXIS.

Tradidi Methodum, quando Luna tranſit inter binas Stellas, unam ſupra, et alteram infra Ecclipticam ſuam; ſed usque idem obtinetur, ſi obſervatur Luna dum tranſit ſub duabus Stellis, aut ſupra duas Stellas; videatur Fig. 4. *cum Luna in linea eſt cum binis Stellis ſupra* (d c**), *aut in linea cum binis Stellis infra* (e f**).

Haec Methodus poteſt practica fieri, ſi modo ab Aſtronomo formentur *Tabulae,* aut conficiantur *Chartae* vel *planae*

planae vel *haemiſphaericae* cum Eccliptica mobili, ex quibus videri poteſt Locus Lunae verus, in quem cadit linea ducta per centra duarum Stellarum; et tunc poſſunt omnia paria Stellarum declinantia, et cum Luna noctu conſpicua, in Tabulis aut Chartis deſignata, inſervire uſui; imprimis paria perpendiculariter incidentia.

Calculare et ſcire Locum Lunae in Eccliptica, ita Locum eius verum ex datis duabus Stellis illuc declinantibus, Aſtronomus Geometra novit. At ſi quis dixerit, hoc non poſſe fieri propter difficultates, ille ſciat, quod tunc omnis intentio indagandi Longitudines per Lunam fruſtranea ſit, quoniam in omni inventione per Lunam locus eius verus exhibendus eſt. Locus Lunae verus etiam mechanice in Globis aliquatenus videri poteſt.

Poſtquam Tabulae aut Chartae confectae ſunt, ex quibus videri poteſt incidentia Lunae in illum Ecclipticae ſuae gradum, in quem convergunt binae Stellae, tunc poſſunt annua Calendaria, in quibus progreſſiones Lunae in ſua Ecliptica una cum temporibus iuſte deſignatae ſunt, inſervire uſui tam navigantibus quam peregrinantibus.

At ſi forte Calendaria non ſatisfaciunt, poſſunt exactae Ephemerides ad certum Meridianum formari, in quibus appulſus Lunae, quovis Menſe lunari, ad quemlibet Ecclipticae ſuae gradum, cum horis et minutis ad oculum exſtat.

Quod ad differentiam temporum inter Meridianos attinet, hoc non parit aliquam difficultatem, ſiquidem nauclerі per Inſtrumentum ſuum ad amuſſim ſciunt horas dierum ſuorum, ubicunque ſunt, ex obſervato Sole in ſua meridie.

In hac Methodo habetur ſimilitudo obſervationis Lunae ſicut in eius Eclipſibus; non enim aliter hic Luna intrare

trare videtur in gradum Ecclipticeſ correſpondentem binis Stellis, primum cum Limbo, dein cum Centro, et poſtea a Circulo eodem emergere, quam illa cum Ecclipſin patitur. Quomodo autem haec poſſint exacte obſervari in omni apparentia ſeu facie Lunae, ſagacium induſtriae relinquo. Docti et periti Aſtronomi hoc facile, ut praevideo, invenient; quibus ideo totius huius inventionis practicae gloriam et auctoramentum addico.

ERSTE, ZWEYT, EUND DRITTE ABHANDLUNG AUS DEM OESTERREICHISCHEN STATSRECHTE.

hoc eſt:

FRANC. FERDIN. SCHROETTERI, I. V. D. et Academiae Roboretanae Socii, Diſſertationes ad illuſtrandum Ius Publicum Auſtriacum ſpectantes.

PRIMA, Vindebonae, 1762. pagg. 264. SECUNDA, ib. eod. pagg. 363. TERTIA, 1763. pagg. 188. cum Appendice et tabula pagg. 66. octonis.

Quum ad illuſtranda et defendenda iura atque inſtituta patriae ſuae merito boni omnes, quidquid eſt in ipſis ingenii, doctrinae, fidei, atque diligentiae, conferant: iisdem excitatus ſtimulis doctiſſimus Auctor, quam olim iurisprudentiae Perſarum veterum explicandae operam ſingulari Diatribe impenderat, nunc maiori iure ſanctionibus, privilegiis, et decretis Auguſtiſſimae gentis Auſtriacae, quibus illa non minus quam armorum et potentiae

terrore, ſplendidum inter Europae principes locum ſibi vindicavit, enucleandis tribuit. Eandem quidem ante eum *Chriſtian. Auguſtus a Beck* viam ingreſſus erat, editis duobus Speciminibus *de Iure Publico Auſtriaco.* Sed hic primas potius lineas huius doctrinae ducere inſtituerat, quam pleniorem eius proponere exegeſin. Itaque primus fere noſter utilem pariter et glorioſum laborem ſuſcepit, eoque adhuc ita perfunctus eſt, ut, quod ipſe prodit conſilium, diſſertationes hae ſenſim Corpus Iuris publici Auſtriaci ſint ſuppeditaturae.

Videamus iam ſingulas. Prima earum in quatuor ſectiones tributa eſt, quarum princeps de origine et hiſtoria Sereniſſ. Domus. Auſtriacae tradit, pag. 1-27. Dicit hoc loco Auctor primum ſententiam de libellis quibusdam, qui iura domus Auſtriacae pertractarunt; tum de ortu Marchionatus Auſtriaci regnante *Carolo M.* diſputat; translationem eius in ſtirpem Babenbergicam ab *Ottone III.* factam enarrat; quae cum nondum haereditarium ius complexa eſſet, accesſit iſtud litteris *Friderici I.* Deinde erroris convincit eos, qui hunc Marchionatum iam inde a *Leopoldi,* victoriis clari, aetate, haereditarium Imperii Germ. feudum fuiſſe exiſtimant; docet poſtea, inter ſucceſſiones huius Marchionis, *Henricum II.* cui cognomen erat *Iaſomirgott,* dignitate Ducis, iuribusque praecipuis et regionibus a *Friderico I.* Imp. auctum; *Leopoldum* autem *Virtuoſum,* ſi quidem hoc nomine uti licet, Ducatum Stiriae adiunxiſſe reliquis poſſeſſionibus ſuis. Extincto per mortem *Friderici* Ducis A. 1426. ſtemmate Babenbergico, *Ottocarus* quidem, Rex Bohemiae, Auſtriam et Stiriam armis occupavit, ſed victus a *Rudolpho Habspurgico*, hic utramque provinciam cum Carniolia et Marchia Vindica A. 1282. filiis, *Alberto* et *Rudolpho*, feudi loco tribuit in Comitiis Auguſtanis, conſentiente Principum collegio. Atque ab ea inde aetate, Auſtria, cum ceteris Ducatibus annexis, manſit in

in hac gente Auguſta, donec novum ſtemma Auſtriaco-Lotharingicum conderet: quae nimis nova ſunt, quam ut commemoranda videri poſſint.

Sectione II. de Circulo Imperii Auſtriaco ita agit Vir Doct. ut ex hiſtoria Germaniae ortum eius repetat, et quibus terris contineatur oſtendat. Tertia Sectione Litteras Regum et Imperatorum Romanorum perſequitur, quibus ad tempora usque *Rudolphi I.* ſingularia iura et privilegia domui Auſtriacae conceſſerunt, moti meritis Marchionum et Ducum illius in Imperium Germanicum. In his eſt, poſt ficta privilegia *Iulii Caeſaris et Neronis*, quae Marchionatui Orientali impertiviſſe dicuntur, Privilegium *Henrici IV.* anni 1058. quo duo priora, quaſi revera tributa et ſcripta ſint, confirmavit, novaque iura adiecit; cuius diplomatis veritatem tanto iuſtiore fiducia defendit Auctor, quod eius ἀχχέτυπον in Scriniis Domus Auguſtae inſpexit, refutatque quaecunque contra illud dicta ſunt. Secutae ſunt Litterae *Friderici I.* a. 1156. quae quaſi baſis Privilegiorum Auſtriacorum appellari poſſint, quibus nimirum Ducatus Auſtriacus creatur; Duces illius a publicis Imperii tributis ſolvuntur; conceditur iis libertas, ut intra fines provinciae ſuae collationem feudorum Imperii Germ. accipiant; liberantur ab obligatione ut ipſi in comitiis praeſentes ſint; aliaque his non minora adiiciuntur decora, ac denique ſucceſſio in terris Auſtriacis etiam filiabus libera relinquitur; ultimoque Duci ius tribuitur, donandi terras ſuas, aut per teſtamentum legandi, cuicunque placuerit. Sed cum et harum litterarum γνησιότητα nonnulli oppugnaverint, his quoque ita reſpondet A. p. 57. ſq. ut ſatis dixiſſe videatur. Hinc venit ad *Henrici* Regis Rom. diploma anni 1228. quo, vivente adhuc patre *Friderico II.* Imp. *Leopoldo Glorioſo*, Duci Auſtriae, cuius filiam *Margaretham* uxorem duxerat, eiusque ſucceſſoribus, nova tribuit privilegia: in his illud quoque, ut his Ducibus liceret, feuda Imperii pro lubitu, quo-

vis pactorum genere, comparandi, nec vel Imperator, vel Imperium, morari hos eorum conatus possit; deinde aliud, quo permittitur iisdem, ut in pileo Ducali etiam diadema coronae Regum Romanorum gestent. Tandem *Fridericus II.* inter alia iura, in regiae adeo dignitatis fastigium evexit Austriae Stiriaeque Ducatum ut aiunt, quo tamen nec *Fridericus Bellicosus*, qui eos tum tenebat, nec Successores eius unquam usi sunt. Pertexit denique Auctor hanc narrationem Sectione IV. qua reliqua diplomata recenset, quibus inde a *Rudolpho Habspurgico* nova iura accepit Domus Austriaca. Post ipsum nimirum *Rudolphum*, *Ludovicus Bavarus* a. 1320. pristina privilegia Ducum Austriae, et in his facultatem, Iudaeos in terris suis alendi, confirmavit. Alia adiecit *Carolus IV.* et qui hunc secuti sunt Imperatores. Sed maxime memorabile est *Friderici III.* diploma a. 1453. quo, consentientibus et consulentibus Electoribus, Duces Austriae *Archiduces* creavit, et vetera eorum privilegia novis amplificavit. Nec tacendum est diploma *Caroli V.* anni 1530. quod quasi epitomen et explicationem complectitur iurium omnium, quae domui Austriacae adhuc concessa fuerant: quod adeo novo decreto firmavit anno 1728. *Carolus VI.* His ad pag. usque 84. expositis, in reliqua parte Dissertationis I. subiicit Auctor ipsa illa diplomata, privilegia, et literas, de quibus ad huc dixerat: quod optimo consilio, etprofecto egregia accuratione, factum esse intelligimus.

Secundae Dissertationis argumentum sunt *tituli honorum*, et *summa in Imperio Rom. Germ. munera Archiducum Austriae* (Reichs-Erz-Aemter). Ubi quidem Sectione I. de titulo seu nomine eorum Archiducali copiose disseritur. Quaerit primum Auctor, quae sit natura et indoles eius nominis. Legitimum esse, non arbitrarium, aut pro lubitu assumtum, praeterea vero huic soli genti proprium, ostendit. De origine eius varias sententias profert variorum, qui-

quibus confutatis docet, *Rudolphum IV.* primum fuiſſe ex Ducibus Auſtriae, qui hunc ſibi titulum proprio motu, non longe poſt imperii initia, anno 1359. tribuerit. Quod ut certius A. evinceret, pag. 23-39. catalogum nectit omnium diplomatum huius *Rudolphi*, quae quidem adhuc reperire potuit. Patet etiam ex his eius diplomatibus et ſigillis, eum primo tempore quoque adieciſſe huic titulo vocem *Phallenz*, (quae ex *Palatini* vocabulo orta eſt,) quam tamen deponere a. 1360. coactus eſt, querelas propterea ad Imperatorem deferente Palatino Rheni; deinde eum in diplomatibus, in quibus ipſi cum Principibus paris aut maioris cum ſua dignitatis res erat, *Ducale* tantum nomen uſurpaſſe, *Archiducale* magis in ſigillis quam in diplomatibus. Si quaeras, per quam occaſionem, et quo iure nixus, hoc *Archiducis* nomen vindicaverit ſibi *Rudolphus:* breviter reſpondet Auctor pag. 42. feciſſe id eum ſola gloriae cupiditate ductum, quae in nominum honorificorum comparatione alimenta omni tempore quaeſiverit. Nam cum tot provinciarum poſſeſſor, parem cerneret ſibi cum Electoribus Imp. Rom. potentiam adeſſe; non ſatis aequo animo tulit, hos tot honoribus auctos a *Carolo IV.* condita A. 1356. celeberrima lege Imperii, quae Aurea Bulla adpellatur, ſibi contra in ſecunda Ordinum Imperii claſſe ſubſiſtendum eſſe, cum tamen gens eius iam a *Friderico I.* multa eorum privilegiorum iam eſſet adepta, quae Electoribus Aurea Bulla demum attribuit. Ut igitur dignitatem et illuſtria iura domus ſuae verbis ſaltem exprimeret, et opponeret quaſi Electorum ſplendori, *Archiducem* ſe dixit; quod nomen iam *Fridericus I.* in diplomate ſupra excitato Ducibus Auſtriae adſcripſerat his verbis: *Si quibusvis Curiis publicis Dux Auſtriae praeſens fuerit, unus de Palatinis Archiducibus eſt cenſendus, et nihilominus in conſeſſu et inceſſu ad latus dextrum Imperii, poſt Electores Principes obtineat primum locum.* Poſtremo iam oſtendit Auctor, qua ratione hoc titulo uſi ſint

Principes Auſtriaci ad hanc usque aetatem. *Sectione II.* tranſit ad *titulos Ducales* eorundem Principum, quo pertinent nomina Ducum *Burgundiae*, *Brabantiae*, *Mediolani*, *Stiriae*, rel. quorum omnium origines ex hiſtoria rite deducit: ut adeo hae Sectiones, cum ſequenti, vicem quaſi Commentarii in maiorem ut aiunt titulum Auguſtiſſ. Imperatricis *Mariae Thereſiae* ſuſtineant. Nam *tertia* Sect. reliqua quae in eo occurrunt nomina illuſtrat: v. c. *Principis Sueviae*, et *Tranſylvaniae*, *Marchionis S. R. I.* item *Burgaviae* et *Moraviae*, principali dignitate *Comitis Habspurg.* cet. adiectis rurſus et hiſtoriae teſtimoniis, et diplomatum fide, et optimorum ſcriptorum auctoritate. *Quarta Sectio* enarrat munera ſumma, quibus Domus Auſtriaca in Imp. Germ. fungitur. Atque hic primo loco diligenter in eo eſt Auctor, ut dignitatem *ſupremi venatorum magiſtri et R. I.* Ducibus Carinthiae, atque adeo, qui in eorum locum ſucceſſere, Ducibus Auſtriae primum tributam fuiſſe doceat. Primus inter hos Duces eo nomine uſus eſt idem ille *Rudolphus IV.* de quo ſupra diximus; incenſus ſine dubio aemulatione, quod videret hunc titulum, quem olim Duces Carinthiae iam geſſiſſent, ſua aetate a *Carolo IV.* a. 1350. *Friderico*, Marchioni Misniae et Landgravio Thuringiae, adſcriptum fuiſſe. Poſthaec de aliis muneribus diſputat Auctor, ad quae Domui Auſtriacae per varias provincias ſuas aditus patuit: v. c. privilegium Ducum Brabantiae, ut in publica Imperatoris aula, gladium Imperii ei praeferret; qua tamen in praerogativa merito cedendum denique fuit Archimareſchallis Imperii, Sereniſſimis Saxoniae Electoribus. Adiecta eſt huic quoque Diſſertationi egregia Diplomatum XX. ſeges, quibus omne illius argumentum illuſtratur et corroboratur.

Tertia denique Diſſertatio, de *homagio hereditatis iure praeſtando Archiducibus Auſtriae* ab Ordinibus Provinciarum, (von den Erbhuldigungen,) de *inſignibus dignitatis* eorum,

(von

(von ihren Kleinodien,) ita tradit, ut nihil ſuperſit quod lectores de utroque genere ſcire aveant. De natura primum homagii illius, deque controverſis quibusdam quaeſtionibus, quae ſuper eo natae ſunt, disquiritur ab Auctore; tum vero caerimoniae ipſae, quae in eo recipiendo obſervari ſolent apud Archiduces Auſtriae, a pag. 76-138. panduntur, non neglectis et illis, quae Ducatum Stiriae, Carinthiae, et Carnioliae homagium concernunt. Ubi ad Inſignia Archiducum pervenit Auctor, pileum inprimis Archiducalem a pag. 139. ad 171. quam accuratiſſime non modo deſcribit, ſed etiam origines eius hiſtoriae ope evolvit, adiungitque notitiam ſceptri, pomi imperialis, et reliquorum inſignium. Claudit Diſſertationem, quae vexilli Archiducalis imagine exornata eſt, appendix diplomatum et documentorum 17. quae omnia fere ad homagium, de quo retulimus, ſpectant. Acceſſit etiam pag. 43. diploma ſanctionis ſtatuae argenteae, et pilei archiducalis, quae in honorem S. *Leopoldi*, Marchionis Auſtriae, *Maximilianus* Archidux, ſupremus Ord. Teutonici magiſter, Eccleſiae quae Clauſtro-Neoburgi eſt, offerebat die XXVII. Novemb. a. MDCXVI. quo quidem pileo adhuc utuntur Archiduces in ſolemnibus homagii recipiendi.

Verum ſatis iam de his Diſſertationibus dixiſſe nos exiſtimamus ad intelligendum, quantum ſatisfecerit doctiſſ. Auctor lectorum exſpectationi. Gratiam ei cum voluptate eximia copulatam habebunt non modo Iuris Publici Auſtriaci, ſed in univerſum Romano-Germanici, cum quo illud con-

coniunctissimum est, dein etiam historiae patriae studiosi. Est enim in eo praeclara iuris omnis, maximeque publici, peritia; nec minor doctrina historica, lectioque locupletissima scriptorum optimorum, qui utrumque scientiae genus vel inventis et observationibus suis, vel certe narrationibus fide dignis ditarunt. Utitur etiam dicendi genere satis apto et perspicuo; studium autem summum erga Augustissimam Domum Austriacam iis significationibus prodit, quas nec alieno loco, nec profecto immerito editas dicere quisquam possit. Itaque laetamur, eum in scribendis his Dissertationibus nondum defatigatum esse: quarum recentiores suo tempore indicabimus.

Digitized by Google

NOVA ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipſiæ

Calendis Novembr. et Decembr. Anno MDCCLXIV.

ANNALES VETERES HUNNORUM, AVARUM et Hungarorum, ab anno ante N. C. CCX. ad A. C. CMXCVII. deducti, ac maximam partem ex Orientis Occidentisque rerum Scriptoribus congeſti, opera et ſtudio GEORGII PRAY, Societatis Ieſu Sacerdotis.

Vindobonae, ſumtibus Herm. Ioſephi Krüchten, Univerſ. Bibliopolae. A. 1761. fol. pagg. 388. cum Tabula, qua populi interioris Aſiae et Hunnorum imperium ab anno ante N. C. CCX. exhibentur.

Conſilium operis ſcribendi primus Auctori ſuggeſſit doctiſſimus nuper in eodem Ordine Collega, *Erasmus Froelichius*, qui et ſcriptores, e quibus narrationes decerpendae eſſent, adiuncto de ſingulis iudicio, ei indicavit, et ſuos etiam, quos ſuper hoc argumento compoſuerat, commentarios, breves quidem, ſed accuratos, ei tradidit; verbo, ita illum inſtituit, ut ſperare confidentius poſſet, non tenuem ſe operae bene collocatae laudem reportaturum eſſe. Verum ipſe, cum impatienter ferret, ſolos fere eſſe Hungaros, populares ſuos, qui, protractis in lucem tot ceterarum gentium monumentis hiſtoricis, maiorum ſuorum res geſtas, nec in unum collectas, et denſis praeterea tene-

bris obvolutas haberent: animum ad indaganda hiſtoriae Hungaricae monumenta ſummo ſtudio appulit. Deſcripto opere in tres partes, quorum prima res Hunnorum, ſecunda Avarum, tertia Hungarorum complecteretur, intellexit, ſibi ad originem usque Hunnorum Aſiaticam recurrendum eſſe. Hoc autem loco plurimas ſibi difficultates obſtare ſenſit. Nam quae Graeci ſcriptores univerſe de Scythis prodiderunt, Hunnis, et qui deinceps ex iis orti ſunt, tribui generatim non poſſunt, quod Sarmatae quoque et Teutones apud hos ſcriptores Scytharum nomine veniunt. Hunnos certe peculiare imperium in Aſia habuiſſe, vel res ipſorum in Europa geſtae loquuntur; ubinam autem illud ſitum fuiſſet, quaenam habuiſſet fata, e Graecis elicere prorſus non poterat. A patriis ſcriptoribus non plus praeſidii ſperare potuit; nam ſi in ceteris narrationibus probandi ſunt, de ortu tamen gentis nihil fide magnopere dignum, certe quod ſit accuratioris ingenii, tradunt. Tandem accepto *Deguineſii* vel potius *Deguinii*, V. Cl. opere eruditiſſimo, quo ante annos haud multos hiſtoriam Hunnorum, Turcarum, Mogolorum, aliorumque Tartarorum occidentalium, ex monumentis Sinenſibus, quae Bibliotheca Regis Chriſtianiſſimi ſervat, egregie illuſtravit, (Hiſtoire generale des Huns, etc) inſignem quaeſtioni huic primariae lucem adſpergi vidit, eoque in hac enodanda diligentiſſime uſus eſt. In Europaeis autem Hunnorum et Hungarorum rebus hoc ſibi negotii datum credidit, ut, quae ſparſa apud alios, eosque fere coaevos, aut ſuppares, reperiret, colligeret, vera ſecerneret a falſis, ſubleſta eliminaret, ac redigeret denique in ordinem, chronotaxi, quantum fieri poterat, ad criticem exacta. Quae cum alicubi, (ipſius verba recitamus,) ob pertinax ſcriptorum ſilentium hiaret, maluit operam ſuam *Annales* quam *Hiſtoriam* appellare. Praeterea quamvis Annalium partem praevia Diſſertatione communivit, qua cuiusvis e tribus illis gentibus res in Aſia geſtas, tum viciſſitudines, ac ea quae cum nonnullo legentium faſtidio Annalium ordinem intercepiſſent, complectitur. Quia autem

Digitized by Google

tem in Asiaticis praesertim Hunnorum rebus ante C. N. varia regionum, urbium, fluviorum ac montium nomina occurrunt, non satis lectoribus omnibus usurpata, chartam geographicam adiunxit, quae si, quod fieri vix potest, loca omnia non prorsus certo definit, eo tamen valebit, ut intelligatur, quam late Hunni dominatum suum per Asiam porrexerint. Id unum profecto in praestantissimo opere *Deguiniano* desideres, quod tabula eiusmodi careat.

Ad opus ipsum ut veniamus, offert se primum Dissertatio praevia de Origine Hunnorum. Ea vero orditur a refutatione erroris eorum, qui hanc originem in vago Scythiarum, gentis amplissimae, nomine, ab antiquiore inde aetate, quaesiverunt. Refelluntur etiam ii, qui easdem origines a Slavis repetierunt vel a Germanis. *Theoph. Sigfr. Beyerus* ea fere coniecturis assecutus iam est, quae *Deguinius* ex literis Sinarum hausit: nisi quod Scythicae originis negaverit esse Hungaros. *Desericius* denique plurima recte de originibus illis docuit, sed eo tamen penetrare, quo *Deguinius*, non potuit. Hoc igitur auctore, Hunni una ex primis coloniis fuere, quae a diluvio post linguarum confusionem campum Senaar deseruere. Via illis, dum reliquae in Orientem abirent, septentrionem versus fuit, qua Armeniae et Georgiae montes porriguntur. Hinc, ut sensim auctus populus est, per angustos, qui ad Derbentum urbem sunt, aditus, in planitiem Volga et Tanai concludam, quo ipsa via ducebat, eluctati, pars ad Orientem, pars ad Occidentem concessere: ex his Europaeas gentes, ex illis Tartarorum postea nationem exortam, verisimillimum est. Isti quod montibus secluси a ceterorum consuetudine vitam pastorum ducerent, rudes omnino literarum et artium, nihil quod maiores sui gesserant, posterorum memoriae commendarunt: quidquid de eorum rebus perscriptum est, ad Sinensium annalibus debemus, quibus iam a primordiis fundati imperii perpetua cum illis armorum collatio fuit. Quaedam auctor historiae genealogicae Tartarorum

(*Abul-Gazi-Bahadur Khan*) de gentis origine narrat, ſed fabulis permixta. Sed multo certiora Sinenſium annales referunt. Memorant enim, in iis plagis, qua tres provinciae, Chenſy, Chanſy, et Pe-tcheli ſeptentrionem ſpectant, gentem olim, et frequentia et rebus geſtis celebrem fuiſſe, quae deinceps ſub nomine Hunnorum, Turcorum, Mogolum, Hungarorum ac Tartarorum claruerit. Incunabula gentis quam antiqua ſint, inde patet, quod Sinenſes ſuo imperio coaevam perhibent. Imperante *Yao*, qui *Martinerio* (Introduct ad Hiſt. Aſiat.) auctore, anno ante N.C. 2057. regnare coepit, ſub nomine *Chan-Yong*, quaſi *montanos barbaros* dicas, cogniti fuere. Deinceps commutata fuit nominis ratio. Sub prima dynaſtia, quam Sinae *Hia* dicunt, *Tchong-yo;* ſub ea autem quae *Tcheou* nomen obtinuit, *Hien-youn;* denique familia *Han* regnante, *Hiong-nu* dictos eſſe, ex iisdem Sinicis annalibus conſtat. Poſtremo nomine, quod Sinae aut corruperant, aut cuius enunciatio nobis minime cognita eſt, Hunnos deſignari, extra dubitationem poſitum eſt. Idem confirmat P. *Gaubil*, Miſſionarius de familia Ieſuitarum, qui nomine *Hiong-nu*, (quod Sinis fere idem eſt ac *infelices ſervi*,) Hunnos ab ipſis intelligi diſerte ait. Haec conſpiratio duorum virorum, quorum alter Pekini, Pariſiis alter ſcripſit, dubitare nos non ſinit, Hunnos eosdem cum *Hiongnuis* eſſe, et plagas quae Sinis ad ſeptentrionem opponuntur, coluiſſe.

Gentem omnem, quae olim hodiernam Tartariam colebat, in barbaros orientales et occidentales Sinenſium geographi diviſere. Illi maiores Tartarorum orientis ſunt, et a Petchelenſi provincia ad mare Orientale ſedes tenebant; iſti plana et valles, qua ſeptentrio provincias Chanſy, Chenſy, et partem Petchely reſpicit, vaſtiſſimo ſpatio porrectas, coluere, pluribus capitibus, pro more eius aetatis, obnoxii. Vitae illis ratio univerſim agreſtis erat; divitiae pro pecudum copia; caſae tentoria carris impoſita. Cum his domibus ambulatoriis facile ſedes aliorſum transtulere,

tulere, quo ripae fluviorum et paſcua pecoribus idonea ſponte vocabant. Hunc vivendi ritum hodierni quoque Tartari ſequuntur; idem et veteribus Hunnis fuit: eadem opera carne pecudum veſcebantur, et pellibus corpora tegebant adverſus aeris iniurias; terrae portione, quae aut forte, aut ſtudio cuivis obtigit, diligenter exculta. Scribendi arte ceterisque etſi deſtituti eſſent, fide tamen anteſtabant omnibus, eratque illius tanta apud omnes aeſtimatio, ut, dum pacis, aliarumque rerum cum finitimis tractatio incideret, Hunnorum promiſſio verbis concepta, iurisiurandi inſtar haberetur. Homicidas et latrones morte mulctabant. Liberos ad venationem et arma ducebant inde a teneris, nec quisquam apud eos inter viros prius cenſebatur, quam hoſtem trucidaſſet, aut id, ſi occaſio ferret, facturus videretur. Cum ab armis confecto bello ceſſabatur, ne otio corrumperentur, finitimos ſibi populos, Sinas inprimis, infeſtabant. In omnem fortunae eventum perinde comparati erant; ſi faveret, in mediterranea hoſtium incurſiones protulerunt; ſin contra, nihilo minus laudi ducebant fugam arripere, ſed in ipſa fuga metuendi. Uſitatum enim illis ex improviſo in proelium deſcendere, et eadem opera, cum res poſtulabat, tergum hoſti obvertere. Ad eam pugnandi rationem equorum celeritas mirum in modum faciebat, neque facile a Sinis, quod hi pugnae ſtatariae magis conſueviſſent, vinci poterant: et ſi victis campo excedere neceſſe fuit, deſertas plagas ultro petiere, ubi victori magis cum aerumnis, quam cum hoſte, confligendum fuit. Qui caeſi in proelio commilitonis corpus ſecum abſtuliſſet, eiusdem haeres ex aſſe ſcriptus eſt. Ceterum bellis gerendis hoc maxime agebant, ut multos ſibi captivos compararent: in his divitias ſuas ponebant, eosque paſcendis pecoribus praeficiebant. Praeter arcum, ſagittas et enſem nullum illis armorum genus aderat. Uxorum numerus pro fortunarum copia maior minorve fuit: neque ulla in coniugiis ineundis neceſſitudinis ratio: ut adeo filius novercam, frater uxorem fratris ſaepius ſibi matrimonio co-

pularet. Hi fere veterum Hunnorum mores erant, a Sinenſium hiſtoricis delineati.

Prima Hunnorum memoria in annalibus Sinicis anno ante N. C. 2207. regnante dynaſtia *Hia*, occurrit. Tum rerum potientibus Imperatoribus familiae *Cham*, crebro in imperium procurrerunt, praedas illic rapturi. Mox adeo metuendi evaſerunt, ut Imperator *Vutingus*, qui anno ante N. C. 1266. obiit, neceſſe habuerit, copias adverſus eos educere. Deinceps acciſae nonnihil ſunt Hunnorum res, cum ſub *Vujejo* anno ante C. N. 1196. in fugam coniecti eſſent. *Vuvano* poſtea, anno ante C. 1116. qui dynaſtiam *Tcheou* dictam fundarat, ad clavum ſedente, tributarii Sinarum, una cum Tartaris *Niu-cheenſibus* facti, ſervierunt usque ad annum ante N. C. 910. quo, imperante *Y-vano*, ad *Kim-yam* provinciae *Chenſy* urbem repetitis incurſionibus arma protulerunt. Defuncto *Y-vano* procurſiones ſuas reſumſerunt, ſed alio itidem *Y-vano*, anno ante N. C. 879. imperante, eorum ferocia tantisper repreſſa eſt, poſtquam eos multis equis privaſſet. Denique adverſus tot eorum incurſiones murus ille Sinicus aedificatus eſt, primum a *Tchao* rege, qui traducto in eorum provincias bello, eos profligaverat. *Chi-hoam-tius* vero, cum Sinas a tyrannis internis liberaſſet, primus omnium de refraenandis Hunnis cogitavit. Hinc coniunctis muri partibus, qui ſenſim exſtructus fuerat, *Mum-tienum*, ſupremum militiae praefectum, cum 300 millibus in eos movere iuſſit. Ceſſit ea expeditio utcunque feliciter: occupata enim a Sinis *Ortuſorum* ditione, Hunni verſus ſeptentrionem retruſi ſunt. Quo magis imperium ab iſtorum incurſionibus tutum deinceps redderet, ripam *Hoangi* fluvii, quem croceum alias dicunt, quadraginta quatuor praeſidiis militari opere exſtructis communivit, aliaque iis oppoſuit repagula. Geſta haec ſunt verſus annum ante C. N. 210. quo Hunni Imperatorem *Teu-manum* habuere, qui copiis Sinarum cedere coactus eſt, ipſe ex Sinico ſanguine prognatus.

Ad

Ad hunc vero, quem modo diximus annum, referenda ſunt Hunnici imperii initia. *Teu-manus* enim, cum Sinas, mortuo *Chi-hoam tio*, curam imperii negligere, et praeſidia parum curare cerneret, comparato exercitu croceum flumen transmiſit, ac *Ortuſorum* regionem, cuius poſſeſſione antea deturbatus fuerat, facile recuperavit. Continebatur iam antea Hunnorum imperium duobus magni nominis fluminibus, *Amuro*, (vel *Tamur*, hodiernis Tartaris *Sangalien-Ula*, Sinis *Helon-Kiang*,) et *Irtiſcho*: ille ab occidente in orientem delatus ſupra Iaponiam oceano illabitur; iſte a meridie ortum trahens, converſo in ſeptentrionem curſu, *Obio*que, non minoris famae fluvio, permiſtus, in mare glaciale ſe exonerat. Ad meridiem, ſuperato *Hoango*, Chinae ſe infuderant Hunni, ac finitimos deinceps populos ſibi tributarios reddidere, initiis uſi ſatis felicibus, niſi mox *Teumanus* a filio *Meteo* parricida ſublatus fuiſſet. Ab his igitur initiis Hunnici in Aſia imperii, res Hunnorum illic geſtas perſequitur Auctor Libro I. p. 13-58. donec poſt interna diſſidia, A. Chr. 92. a Sinis memorabili clade affecti eſſent, eorumque in Aſia imperium convelleretur.

Libro hinc ſecundo oſtendit Auctor, Hunnos ſenſim ab hoc tempore Europae appropinquaſſe, et aliquamdiu quidem res ſuas in Aſia tutatos eſſe, ſed A. Chr. 134. a Tartaris Sienpiis penitus in Occidentem propulſos fuiſſe. Ab anno 374 denique, ut Auctori videtur, in Europam pervenerunt, victis prius Alanis, Gothis, aliisque per eas oras populis. Traiectus tamen qui illis tribuitur per paludem Maeotidem, commentum eſt. A. 377. utramque Pannoniam armis occuparunt, ſociis Gothis, quibus antea auxilium adverſus *Valentem* Imperatorem tulerant. Victi a *Theodoſio* a. 379. pacem cum Romanis inierunt, ſed minime diuturnam. Diſputat hic Auctor de celebri proelio, quod Romanos inter et Hunnos ad urbem Potentianam circa a. 380. geſtum ſcribunt Hiſtorici Hungari, ſed ad ſequiora tempora referendum oſtendit, quod praeterea ſatis fabuloſa

fabulosa narratione nititur. A. 383. Hunni a Gratiano Aug. in Italiam evocati sunt, ex quo *Baronius* aliique occasionem sumserunt, scribendi, *Ursulam* cum sociabus virginibus hoc anno ab Hunnis trucidatum fuisse. Sed Noster haec cum *Calleſio* et aliis ad *Attilana* tempora referendum existimat. Atque ita porro res Hunnorum Europaeas ad annum usque 434. post C. N. deducit Auctor, (p. 106.) quo quidem anno *Attila* et *Bleda* fratres regni possessionem adierunt. Horum iam res gestas Libro III tradit, sed maxime *Attilae*, usque ad A. 451. quo exercitum in Gallias promovit. Hinc Libro IV. (p. 142. sq.) reliquam Hunnorum historiam describit, inprimis celeberrimam *Attilae* in Galliam expeditionem. In reditu eius ex Gallia narrando, inquirit etiam pag. 156. sq. in historiam de caede XIM. virginum. Prorsus improbabile ei videtur, eas ex Britannia advectas esse. Primus in martyrologio *Bedae Florus* de earum martyrio retulit; primus autem historiam uti nunc vulgo narratur, tradidit *Sigeb. Gemblacensis*. at quam serus scriptor! Auctor itaque caedem virginum Christianarum omnino hoc tempore Coloniae patratam fuisse ab Hunnis existimat; sed numerum undecim milium pro definito positum esse a scriptoribus, adoptatque adeo *Calleſii* in Annal. Eccl. Germ. T. I. L V. Num. 106. et 107. super ea re coniecturas, non improbabiles omnino, sed et parum firmas. Reliqua *Attilae* usque ad a. 454. quo diem suum obiit, pari cura expedit Noster, deducitque historiam Hunnorum omnem ad a. usque 469. quo *Dengizicus*, *Attilae* filius, victus et caesus est, cumque Europaeorum Hunnorum imperium corruit.

Pars II. Annalium a p. 183. res gestas *Avarum* ab A. C. 310. ad annum 827. complectitur. Imposita est Operi tabula, quae populos exhibet, ante et post a. Chr. 557. eas regiones incolentes, in quas se tum progredientes ex Asia Avares effuderunt. Dissertatione praevia de Avaribus, ostendit primum ex *Deguinno* A. populum hunc in Asia *Geougenorum* nomine notum fuisse, ortuque genus Hunnicum.

Digitized by Google

cum. Gentis primordia Sinenſium hiſtoricus *Venhientumkaus* ad A. C. 310. conſignat. Auctorem eius *Mokolium*, quo nomine Calvum Topai Tartari notabant, fuiſſe perhibent. Imperium eorum in Aſia Turci proſtraverunt ad A. C. 551. gens ex veterum Hunnorum reliquiis conflata. Hinc Geougeni victi pars in Chinam, pars in Europam ſeceſſerunt. Atque hi prorſus ſunt, qui occidentalibus ſcriptoribus Avarum nomine celebrantur. Erant autem Ogoricae, potentiſſimae inter Hunnos Tribui, adſcripti, a principibus ſuis *Var* et *Chuni Varchunitae* dicti. Pars in Thracia conſedit, pars in Scythiam minorem reiecta, in Cuturguros et Uturguros diviſa fuit. Cum Attilanis denique reliquiis in unam gentem coaluerunt. Ad Iſtrum, qua hic ſe in Pontum exonerat, ante annum 553. veniſſe, et ante hunc annum quoque Moldaviam iam tenuiſſe, et quod citerius eſt ad Boryſthenem, videntur. Occupata vero Dacia, Romanis demum innotuerunt. Haec ex Diſſertatione. Annales ipſos Avarum p. 200. ab A. C. 557. orditur Auctor, cum, regnante *Iuſtiniano*, legationem Conſtantinopolin adornarunt, paxque inter eos et Romanos coaluit, hac lege, ut illi in Hunnos Cuturguros moverent. Hinc res eorum reliquas Libro I. Annalium narrat A. ad annum usque 599. quo Chaganus Avarum, XII. millia captivorum Romanorum, quos redimere *Mauritii* avaritia recuſavit, interfici iuſſit. Liber II. eiusdem populi res ad annum usque 745. profert, quo tempore Avares, vaſtata Boioaria, nominis ſui famam renovarunt. Tertio denique Libro, a pag. 266-292. hiſtoria eorum ab a. 746. ad medium Seculum nonum producitur, quo eorum imperium et memoria ſenſim ceſſavit, poſtquam a *Carolo* M. bello victi eſſent, Chaganus eorum A. 805. chriſtiana ſacra, et mox cum eo Avarum plurimi, recepiſſent, ſedesque obtinuiſſent inter Carnuntum et Sabariam, ſeu eam Pannoniae partem, quae a Comageno monte ad Arrabonem fluvium tenditur, et a meridie Cilleienſi provincia definiebatur. Has veluti avitas ſedes a *Carolo* M. acceptas ſatis pacate incolebant, ſive

quod christianis moribus imbuti sensim a militari ferocia remitterent; sive, quod attritis viribus, nihil deinceps praeclari essent ausi: nam ab oriente Slavicis populis, a meridie Carentanis, ab occidente Boioaria, ad septentrionem Danubio et Marahanis, concludebantur. Eadem fortuna eorum fuit, qui trans Tibiscum habitabant, et intra solam Daciam hinc a Marahanis, quos ad Tibiscum usque ditiones protulisse verisimile est, illinc a Bulgaris et Chrobatis Savianis, redacti fuerant.

Denique Annalium Pars III. res gestas *Hungarorum* ab A. C. 551. ad A. 997. exponit. Praemissa est Tabula, quae populos ante et post annum C. 889. in Asiae et Europae parte, quoad Hungaris habitata fuit, incolentes sistit. Eam sequitur Dissertatio praevia de Hungaris, a p. 295 - 322. Docet hoc loco Auctor, Hungaros iam tum, cum in Asia adhuc morarentur, Latinis scriptoribus *Hungarorum* nomine notos fuisse, ut ex *Iornande* de Reb. Getic. c. 5. patet. Apud Graecos autem scriptores serius hoc nomen invaluit, cum illi potius passim eos *Turcos* appellent. Nominis originem hanc produnt scriptores Sinici. Hunni, qui in fidem *Geougenorum* concesserant, et *Altai* montes horum iussu colebant, a monte, qui ob similitudinem cassidis *Turc* dictus est, Turcorum quoque nomen deinceps mutuarunt. Turci igitur, ex veterum Hunnorum reliquiis conflati, proxime ad Sinas colebant, *Toumueno* omnium primo a. 551. qui imperio apud eos inclaruisset. Varia illis bella et negotia cum Persis, Sinensibus, denique et Arabibus intercessere, a quibus in arctum redacti, et ab Hunnis Hoeikels versus Volgam fluvium retrusi, imperium eorum in Asia versus a. 742. penitus concidit. Hinc sedes intra Tanaim et Volgam collocarunt, et Chazaris postea se sociarunt. Sed a Paczinacitis victi, in duas partes divisi sunt. Pars ad occidentem secessit, et Daciam occupavit, electo *Arpado*, qui toti genti praeesset. Altera pars Persidis partem colendam accepit, atque ab his hodiernos Turcos ortos esse, valde vero-

verosimile est. Repetit etiam Auctor p. 317. sq. ex *Descricio* memorabilem illam de Hungaris ad Volgam colentibus narrationem, quam nuper quoque Ill. *Belius* ex eodem, in hac urbe iterum formis describendam curavit. Annum deinde, quo Hungari in Daciam advenerint, definire conatur Noster, colligitque ex Annalibus Bertinianis, eos ante annum 862. eam provinciam occupasse.

Haec postquam Dissertatione praevia uberius eruisset Auctor, ipsas Hungarorum res gestas a pag. 323. investigat. Ac primum quidem de iis Librum ab a. 889 exorditur, quo illi a Paczinacitis, et ipsis Turcico seu Hunnico genere, Transilvania electi fuerunt. Tum vero plagas ad Tibiscum occuparunt, et mox a Graecis contra Bulgaros in subsidium vocati sunt, quos etiam Hungari profligarunt. Hinc Bulgari cum Paczinacitis foedus adversus Hungaros A. 890. ineunt. Hi contra ab *Arnulfo* adversus Slavos Marahanos A. 892. evocantur. Processu temporis in finitima irruerunt, et A. 896. quod intra Granum et Vagum fluvios est, subegere; Carinthiam A. 899. invaserunt, mox et Boioariam et Italiam. Sequuntur latissimae eorum per Germaniam populationes et bella, donec ab *Henrico Aucupe* A. 934. celebri clade affecti sunt. Quae quidem copiose et accurate persequitur Auctor, qui etiam p. 354. commentum appellat, quod *Aventinus* narrat, tributi loco canem scabiosum ab *Henrico* Hungaris datum fuisse, plus tribuens *Witichindo*, qui Dalemincios potius Hungaris contra Saxones festinantibus, pinguissimum canem, quasi pro munere, sed re ipsa in contumeliam, proiecisse tradit Librum II. pag. 357. inchoat a procursione Hungarorum per Alemanniam in Lotharingiam usque, quam A. 935. suscepерunt. Pace tandem cum Graecis, quos et ipsos vexaverant, inita, duces eorum, *Bolosudes* et *Gylas*, medio Seculo X. Constantinopoli sacris Christianis initiati sunt. Hic cum *Schwarzius* V. Cl. ostenderit, conversae Hungariae gloriam Graecae Ecclesiae deberi, eumque refutandum suscepерit *Stil-*

tingius in Actis SS. Antverp. huius argumenta in compendium mittit Noſter, quae nobis profecto parum ſatisfecere. Reliquas deinde res memorabiles Hungarorum ad a. usque 997. quo *Geiſa* vita functus eſt, ita enarrat, ut maxime de huius et filii *Stephani* baptismo, quae fidem maiorem mereantur, colligat et excutiat. Tum vero veteri Hungarorum hiſtoriae coronidem imponit. Ipſos Regum Hungariae Annales alio opere ſcripſit Vir Doctiſſ. de quo propediem narrationem in his Commentariis inſtituemus: gratulati interea Hungariae diligentem, eruditum, et accuratum rerum ſuarum Hiſtoricum.

PHILOSOPHIAE NATURALIS SIVE PHYSICAE dogmaticae TOM. III. continens Geologiam, Biologiam, Phytologiam generalem, et Dendrologiam; vel terrae, rerum viventium, et vegetantium in genere, atque arborum ſcientiam. Tamquam continuationem ſyſtematis Philoſophici CHRIST. L. B. de WOLFF. Auctore MICHAELE CHRISTOPHORO HANOVIO, Gymnaſii Academ. Gedan. Prof. Philoſoph. eiusdemque Bibliothecario.

Halae Magd. proſtat in officina libraria Rengeriana in 4to, pag. 806. una cum indice eiusdem.

Eandem, quam in recenſendis Tomo I. et II. elegantis huius, rerum copia et ſelectu non minus, quam admirabili earum nexu ſe commendantis Phyſicae, ſecuti ſumus rationem obſervaturi, brevem lectoribus totius huius Tomi, III. eamque luculentam ideam exhibebimus. Animus Cl. Auctori fuerat, Geologiam Tomo II. inſerere, quare in praefatione eiusdem, de terrae propria vi elementari, ob quam

quam nulla eius in aliud elementum transformatio dari poteſt, docte diſſeruit: ſed cum Tomus ille nimium excreviſſet, ita ut reliqua Geologiae capita in eo locum reperire non potuerint, ab iis pertractandis orditur Tomus III. in duas ſectiones tributus. Harum prima tria continet capita. In primo occurrit Geologia et Geometria generalis, in ſecundo Oryctologia vulgaris, ac in tertio Cimeliologia ſ. doctrina de gemmis ac metallis. Ut terrae, h. e. illius partis telluris, quam pedibus calcamus, quae circiter alterum eius ſuperficiei dimidium, quantum adhuc liquet, occupat, ubi aqua non eſt, indolem, intimioremque naturam accuratius declaret Auctor Cl. omnium primo ſollicite evolvit notionem ſiccitatis, eamque a confuſione, qua, quid ſit utcunque ſentitur, ſed non intelligitur, liberat, eiusque diſcrimen tum ab ariditate, tum ab aqua, vel gelata in glaciem, vel fixa in corporibus, et aëre fixo, tartaro, nitro, calculis, etc. evidenter quantum fieri poteſt conſtituit, indeque conſequi docet, terram per ſe non eſſe humidum, ſed potius ſiccum elementum, impenetrabile, ſtabile, fixum, non minus in aqua, quam in igne, eaque in re plane eam recedere a natura fixae aquae, aërisque fixi, adeoque et ab aethere fixo, per ſe lucendi vis exſortem; meritoque dividendam eſſe terram in puram, ac impuram. Pura ac ſincera terra, definiente auct. Cl. ſeiuncta eſt et liberata ab alienis admixtis, ideoque et ſegregata ab aliis elementis. Unde et terra virgo appellatur. Impura autem vel mixta ei audit, quae coniuncta eſt cum aliis elementis, ſive illa iis adhaereat, ſive alia inhaereant illi. Terram puram generalemque mixtae indolem excutit et pertractat Geologia; quae cum indigeat mathematica cognitione, in ſubſidium vocanda eſt Geometria, non illa ſtrictior, Mathematicis tantum uſitata, et hoc nomine inſignita, ſed latius dicta, prout omne genus adhibendarum dimenſionum, et ſtaticarum, mechanicarum, cohaerentiae, frictionis, etc. involvit. Inter praecipuas terrae purae proprietates has referendas docet Auct. Cl. Terra pura eſt alba, inſipida, inodora, in ſtatu ſeparato facile diffluenda, mollis,

mollis, gravior tamen aqua, ut recte dicatur elementum graviſſimum, continens rationem maioris, quam caetera elementa denſitatis, cohaerentiae, opacitatis, duritiei, habilitatis praeſtandi corpora asbeſta, ſuperficiei aſperae, menſurabilis frictionis, firmitatis inſignis montium valliumque. Hinc deprehenditur mater corporum ſiccorum, et materia trium naturae regnorum caducorum, ſpecuum, cavernarum, eſtque capax concuſſionum ac tremorum. Occaſione harum quaſi ſub oculos breviter poſitarum terrae purae proprietatum maxime memorabiles meditationes tradit auct. Cl. partim conferendo ſententias ſuas cum antiquiſſimorum non minus quam recentiorum Philoſophorum opinionibus, partim docendo diverſos praeſtandi terram puram modos ac vias, partim aſſerta aliorum adverſa ſuis diudicando ac deſtruendo, (ut Rüdigeri, precario ſtatuentis, terram conſtare ex bullula aëria omni aethere orbata; Newtoni, ſimiliter precario aſſerentis, aetherem eſſe terram; nec non Carteſii fictiones, et Boylei experimenta, quibus demonſtratum ire voluit, aquam mutari in terram:) partim tandem colligendo Bourhavii, Crameri, aliorumque Virorum in arte chemica inſignium chemica experimenta, quibus pleraeque proprietates terrae purae in luce poſitae ſunt. Impura terra peregrina continet, i. e. varie admixta cetera elementa. Ampliſſimam itaque Auct. Cl. inſtituit disquiſitionem, de geneſi mixtionis, indole et varietate; ut explicari mixta terreſtria melius poſſent, ex arte combinatoria univerſali non ſine acumine colligens, generatim ex mixtionibus ſimplicibus, quando uni tantum heterogeneo ex elementis iuncta ſpectatur, et ex compoſitis, quae plurium, h. e. vel duorum vel trium homogeneorum adiunctionem requirit, oriri decem mixtorum genera, quae ſuperiora vocat; porro mentis acie directa vel in aequalitatem miſcibilium, unde primaria mixta, vel inaequalitatem eorum, unde ſecundaria mixta oriuntur, triginta quinque mixtorum inferiorum colligit dari. Tandem vero concipiendo aliam praeterea differentiam mixtorum, non minus ſenſibilem, quae e mixtorum primariorum et ſecundariorum com-

Digitized by Google

compoſitione ortum ducit, docet, infinita mixtorum genera prodire: unde non mirum, cum tanta prodeant mixtorum genera, fieri poſſe, ut non tantum mixta terreſtria communia, ſed et peculiaria ordinari, et extraordinaria, ſuperiora et inferiora, explicari poſſint. In ſuperficie telluris firma occurrit orbis antiquus, conſtans Europa, Aſia, et Africa; et novus, Americam meridionalem et ſeptentrionalem ſiſtens, praeterea inſulas, peninſulas, iſthmos, clivos, colles, montes, rupes, promontoria, littora, valles, fundos, foſſas, et abyſſos. Quemadmodum in his declarandis non vulgaris eruditionis copia et apparatu A. utitur, ita deveniendo ad terram, qua ſterilem, docet eam non eſſe inutilem cenſendam, ſed ſuorum finium cauſa neceſſariam; ſive mollis qua ſtatum deprehendatur, uti creta, marga, argilla, ſive dura, ut arena, ſabulum etc. Qua vero fertilem, docet, eam reſtare vel oriri e deſtructis viventibus, eorumque alimentis, teſtibus experimentis Külbelianis, in ea diſſertatione de fertilitatis cauſis, quae Burdigalae A. 1741. praemio decorata eſt, eſſe admodum ſubtilem, teneram, et propemodum elementarem, ſale diverſae indolis intermixtam, h. e. vel nitroſo, vel alcalino, vel mediae formae, neque eidem deeſſe principium oleoſum, empyreumaticum, volatile, et oleoſum fixum, pluraque ad theoriam foecunditatis terrae declarat. Tandem curioſae disquiſitiones ſequuntur de omni terrea maſſa, qualis et quanta ſit ſtatuenda, cava ſit an ſolida? Solida, ex placitis phyſicis et aſtronomicis, praefertur cavae ac fornicatae. Denique aſſeritur, inferiorem eſſe officinam innumerorum mixtorum, diverſorumque ſtratorum, ſpecuum, cryptarum, finibus divinis reſpondentium. Capite huius ſectionis primae ſecundo Nevterologia, quam vocem Micraelius in Lexico Philoſ. pro Oryctologia uſurpat, dividit mixta ſubterranea vulgatiora in concreta ſeu glebas, et compacta ſive maſſas. Occaſione foſſilium queritur Auctor Cl. ea, ob defectum nominum uſitatorum, plerumque in multa genera haud accurate a Phyſicis diſpeſci, ita ut nemo ſcire poſſit, cur ſic nec aliter fiat, indeque eſſe, quod alii aliter de mineralium claſſibus praecipiant, et

quis-

quisque recentiorum, ut Bourhavius, Linnaeus, Wallerius, Wolterdorfius, fuo ſenſu abundet, nulla idonea ratione ſuffultus. Hinc rationes uberius declarat A. quare omnia foſſilia in concreta diſpeſcuerit, et compacta ſeu maſſas. Concreta ſapida eſſe docet, ſalia, olentia autem ſulfura, ſaliumque ex aethere, aqua, et terra compoſitorum, alios eſſe ſimplices, alios compoſitos. Simplex ſal, iudice Cl. Auctore, vel acidus eſt, vel acris vulgo alcali, et ex utroque mixtus vocatur medius, ſive neuter, aut enixus; hos vero vel nativos eſſe docet, vel factitios: ambo aut volatiles, aut fixos, attamen ex his illos fieri poſſe: docet praeterea A. acidum fixum impuriorem, vel adſtringentem alumen eſſe, vel vitriolum, ſeu acerbum, internoſcique proprietatibus aliis, uſibus cryſtallisque. Enodatis alcali nativo et lixivo, volatili et fixo, aphronitro et natro, ad ſalia neutra, h. e. ad ſalem culinarem et nitrum, nec non ſales compoſitos declarandos, ut arcanum duplicatum, ſal ammoniacum, digeſtivum etc. progreditur, quorum ortus, notae, varietates, uſus, magno eruditionis apparatu illuſtrantur. Olentia dari oſtenditur et humida et ſicca, volatilia et fixa, eſſeque halitus e ſale volatili, aqua et terra inflammabili conſtantes, ſeu odores vel per ſe manifeſtos, vel eliciendos e. g. attritu, igne; alios conſtantes ac fere perpetuos, quales ſunt moſchi; alios minus, vitro includendos, ne diſſipentur; darique eos in ſpiritibus, oleis, naphta, petroleo, *maltha*, aſphalto, bitumine, lithantrace, ambra, gagate, ſuccino, ſulfure vivo vel facto, unde ratio pendeat acidularum thermarumque. Ad compactiora iam tranſit Auctor Cl. robora, h. e. lapides, quorum hoc loco gregarios tantum tractat, tanquam arenarias maſſas. Dividit eos in puros, ſeu homogeneos, quos petras dicit, et impuros, heterogeneis mixtos, quos mineras adpellat. Petrae in igne immutabiles, lapides apyri, mutabiles vero vel in vitrum tranſeunt, vel in pulverem, qui farinarii dicuntur, ut illi liqueſcentes. Apyri vel communes ſunt, vel peculiares. Priores ſunt petrae corneae, molliores durioresve. Poſteriores vel pingues attactu viden-

videntur, ut talcum, vel fibroſi, ut micae, ollares, asbeſtus, amiantus. Farinoſi lapides vel calcarii ſunt, vel gypſei, ut alabaſtrum et ſelenites. Calcareis accenſentur marmora, ſpatum, oſteocolla, tophus, et belemnitae. Liqueſcunt in vitrum cotes omnis generis, ſiltra, fuſiles, pyromachi gregarii, ſilices, quarzum, pumex, porphyrites, ſaxa, lateres, teſtae, murrhina. Digna ſunt lectu, quae de his ſingulis differit auctor Cl. inprimis vero quae his ſubiungitur de ortu uſuque lapidum disquiſitio. Tertium huius Sectionis caput eſt cimeliologicum. Cimelia vocantur in hac Phyſica corpora egregia, quibus homines, ob eximiam naturae praeſtantiam, raritatemque, ingens pretium ſtatuerunt; quaeque ſola vi corporea procreantur, ac merito dicuntur naturalia cimelia; cum eorum non niſi pauca dentur in regno animali ac vegetabili, hic potiſſimum foſſilia cimelia ſuum locum ſortiuntur. Ad ea referuntur metalla ac gemmae: ubi generatim agit auctor Cl. de mineris matricibus cimeliorum foſſilumve, metallorum ac gemmarum, de notis communibus ac perfecta mixtione metallorum, eorumque ortu ac interitu. Curioſe deinde diſquirit, anum hodie metalla oriantur intereantque? poſſit ne aliud quoddam in aliud mutari? Neminem has diſquiſitiones legiſſe poenitebit, una cum aliis de indole terrea metallorum; de ratione, qua ea liquantur ac funduntur; de raritate, praeſtantia, varietate, ac utilitate, et inprimis de proprietatibus eorum; de terra ac natura metallica; de glutine metallico; de cohaerentia ac ductilitate metallorum etc. Acerrimo hic auctor Cl. iudicio aliorum ſententias de his omnibus diiudicat, veraque ac probabilia a falſis ac improbabilibus diſcernit; iisque generatim explicatis, ex parte tantum metallica, ſemimetalla in ſtatu ordinario, vel illiquida, vel liquida. Illa vel duriora ſunt, ut Arſenicum, Antimonium, Cobaltum; vel molliora, ut bismuthum, Cincum etc. Liquidum unicum eſt, hydrargyrum. Metalla nativa alia ſunt nobiliora, alia ignobiliora. Horum molliora ſunt ſtannum et plumbum, duriora aes et ferrum. Nobiliora ſunt aurum, Chryſargyros vulgo Platina, et argentum.

tum. In quorum matricibus, mineris, ſegregatione, purificatione, docimaſia, materia, diverſitate, et praeparatis inde cum aliis, tum et metallis factitiis ſeu mixtis, ut tuttanegine, aere albo, orichalco, calario, campano, principe, tombaco, auro ſophiſtico nequam, et bene multis aliis declarandis et enucleandis tantam diligentiam adhibuit auctor Cl. ut ſi omnia pulcro illo ordine, quo illic meditationes ſibi ſuccedunt, exhibere vellemus, limites recenſendi et ſcopum tranſilire nos oporteret. Ultimo huius capitis loco agit de gemmarum materia propria, generatione, diviſione in genuinas et ſpurias, naturales ac factitias. Genuinae vel ſunt animales, ut bezoar et margaritae; vel minerales, quaſi gemmae et gemmae. Quaſi gemmae ſunt corallia, iisdemque affinia, et cryſtalli. Gemmae opacae ſunt boreae, vulgo turcoides, iaſpides, camei, Iacobinae, achates, opali, chalcedonii, onyches, ſardonyches, carneoli, berylli. Gemmae pellucidae ſunt Rubini, et in his carbunculi, Hyacinthi, Topazii, Smaragdi, Sapphiri, Amethyſti, Granati, et Adamas. De earum notis, adulteratione, pretio aeſtimando, ita A. praecipit, ut lectori optima, quae de iis quidem nunc reperiri poſſunt, proponat. Abſoluta ſectione prima, in ſecunda Biologiam, h. e. res vita praeditas, pertractandas ſibi ſumit, eiusque primo capite de vita corporea agit, praemiſſa in anteceſſum brevi diatribe de ſapiente vivorum et non viventium nexu, duplici nixo principio, cauſali coexiſtentiae et ſucceſſionis, et finali, deſcripta dein communi vivorum et non viventium indole, accedit ad organa viventium explicanda, unde corpora vocentur organica, eorumque functiones atque ſtructuram. Hic demonſtrat, ſtructuram organicam non ſufficere ad vitam, ſed neceſſum eſſe ut organa ſint *viva*: concipi ergo et dari nulla poteſt vita ſine eſſentia natura vitali praedita, quae niſi a Deo haberi nequit, cuilibet viventi eam tribuente et conſervante. Quodſi itaque adfuerit in corpore organica ſtructura, cum vi vitali ſe formandi et nutriendi, ſenſui quodammodo in obſcura perceptione principii vegetantis analoga, regulam ſui generis obſervans, adeſſe tum in

eo

eo corpore vegetationem docet auctor Cl. Inque hac vi consistere infimum vitae gradum, et ex ea, in statu maturo, sequi propagationem subolis, legi naturali suboleſcendi sibi convenientissimae conformem, eamque fieri et absolvi vel vi solitaria, vel sexus diversi socia. Notatu dignae sunt leges viventium generales, primum a nostro auctore in Physicis prolatae, solidaque valetudinis, invaletudinis, mortalitatisque explicatio, et distributio viventium in animata et inanimata: unde oritur divisio in Phytologiam, seu scientiam vegetabilium, et Zoologiam, i. e. animantium. Multa, occasione harum idearum, auctor Cl. alias multis atque densissimis tenebris obruta, in egregia constituit luce, subiunctis lucidis notionibus de motu vegetantium, de fermentatione, acescentia, putrefactione, et destructione, quibus ea mutantur et intereunt. Capite IIdo Phytologia generalis communem plantarum et essentiam, et naturam, vitalium organorum vegetationis expendit, eorumque functiones. Spectat huc universum regnum vegetabile, cuius Deus est rex supremus, illiusque veiut cives sunt omnes vegetantium classes, ordines, et genera universa. Vegetationem ipsam incipit auctor Cl. deducere a simplicioribus vesiculis, inde pergere eam demonstrat ad composita, utriculos ac fibras, quibus praeparatur, miscetur, filtratur, secernitur, et distribuitur succus nutricius, qui sapa vocatur, pulpa, item medulla et germen, que sunt novarum plantarum rudimenta. Ubi et venae et tracheae, seu fistulae aereae, et vasa seminalia, atque organa genitalia consideranda docet, et dividenda, uti naturaliter differunt. Ex quo considerandi modo enasci demonstrat tandem divisionem inter plantas molles vel herbas, et duras seu arbores: ipsam adeo Phytologiam abire in Dendrologiam et Botanologiam; posteriorem iterum dispesci in generalem ac specialem. Dendrologia generalis traditur Capite III. quod proinde ea explicat, quae omnibus arboribus sunt communia, ut partes eorum proprias, et communes, et genera. Exponuntur itaque hoc loco radices, stipites, scapi, truncus, rami, folia, horum petioli, flores cum suis partibus,

cortex, nodi, furculi, ſtolones, turiones, termites, frondes, ſemina nuda et pericarpia, fructus et ſemina, veluti capſulae, nuces, baccae, poma, drupae. Quibus ex Ludwigi, Linnaei, aliorumque doctorum virorum ſcriptis propriisque experimentis uberrime declaratis, tandem exhibetur Dendrologia ſpecialis arborum praecipuarum, capite IV. praeter traducem, ſexu vel ſeiuncto in diverſis diſſitisque ſtipitibus, vel coniuncto in eorum ſtipite, floribus maſculinis et femininis, aut ſeparatis, aut in unum florem coaleſcentibus, propagandarum. Quarum iſtae dioeciae, illae monoeciae, dicliniae, hae hermaphroditae vel monocliniae dicantur. Proceritate et magnitudine ſua principatum tenentes merito praecedunt. Inter dioecias eminent palmae, cedri, larices, terebinthi, lentiſci, ſalices, populi, fraxini, hisque affines. Monoeciarum praecipuae ſunt caſtaneae et caſtaneta, betulae, quercus variae, iuglandes, coryli, carpini, pini, fagi, platani, cupreſſi, aliaeque nuciferae. Hermaphroditarum tandem ſequitur ſeries, pomiferarum, drupiferarum, bacciferarum, et exoticarum variarum nondum ſatis notarum. His ſubiunguntur frutices, et cavae arundines, tandemque marinae.

COMMENTATIONES SOCIETATI REGIAE Scientiarum Göttingenſi per Annos 1758. 1759. 1760. 1761 et 1762. oblatae a IO. DAV. MICHAELIS, eius Societatis Directore.

Bremae, ſumtibus Georg. Ludov. Förſteri, MDCCLXIII, 1 Alph. 2. pl. in 4to.

In ea, quam celeberrimus auctor huic collectioni praemiſit, brevi praefatione, ait, ſe iure, quod Superiores ſodalibus Societatis regiae conceſſerint, uſum, novem illas commentationes, dictos per annos recitatas, ſeorſim hic edidiſſe. Nos quidem optamus, ut caeteri illius Societatis cives dignisſimi, inter quos honoris cauſa nominamus illuſtr. Kaeſtnerum, doct. Hey-

Heynium, virorum ſummorum, Hollmanni atque Michaelis, ſequantur exempla, inque edendis praelectionibus curam diligentiamque ponant. Etenim iniquum fere eſt, ſaltem dolendum, quod eruditorum res publica, quae priora commentariorum volumina, laeto animo accepta, continuata non vidit, novam eorum partem in hunc usque diem fruſtra exſpectat, cauſamque iſtius morae non membris Societatis celeberrimis, ſed infelici cuidam cum bibliopola liti, adſcribere cogatur. Speramus autem, nos brevi tempore totius collegii ſcripta aliqua lecturos, (memoriamque b. Gesneri inprimis grata cum mente renovaturos eſſe,) quemadmodum nunc unius ſolum membri, celeberrimi Michaelis, perlegere diſſertatt. aliquas licet. Gravem vero adeſſe gratulandi nobis de foetu hoc novo Cl. Göttingenſium Philologi cauſam, omnes, qui aut librum ipſum iam evolverunt, aut noſtram percurrere velint recenſionem, aut lecta iſta demum excitentur ad illum accuratius perluſtrandum, uno ore confitebuntur. Omnino enim hae IX. commentationes dignae ſunt, quae diligentius perlegantur, non modo ob novas, quas in iis ſaepius invenimus opinationes, aut mutatam dicendi tractandique rationem; ſed etiam ob refutatas, quae viro Cl. displicuere, aliorum opiniones, vel, ſi arriderent, confirmatas, novisque argumentis, iisdem quidem gravioribus, fultas atque illuſtratas. Antequam vero ipſam adgrediamur iſtorum libellorum uberiorem paullo deſcriptionem, neceſſe eſſe credimus, ut primo argumenta commentationum indicemus, quo magis appareat, ne materiam quidem, cui tractandae Cl. auctor operam ſuam impendit, vulgarem eſſe; deinde lectoros noſtros moneamus, id compendii, quod auctor ipſe adhibuit, ſingulis paragraphis ſingula adſcribens argumenta, in uſum quoque noſtrum nos converſuros, atque ea, quae prae ceteris memoratu digna nobis videntur, addituros. *Prima* igitur harum commentationum *de Theraphis* agit, inde a pag. 1-11. *Secunda*, de cenſibus Hebraeorum, a p. 12-30. *Tertia*, de exſilio X. Tribuum, a p. 31-49. *cum epimetro*, de numero exſu-

lum Iudaeorum a Nabuchodonoſore deportatorum, a pag. 50-59. *Quarta*, de natura et origine maris mortui: Commentatio prior a p. 60-68. *Quinta*, de eodem mari Commentatio poſterior, a pag. 87-124. cum epimetro a pag. 124-133. *Sexta*, de Nitro Plinii, a p. 134-150. *Septima*, de Nitro Hebraeorum, ſeu בורית, a p. 151-165. *Octava*, de Syrorum vocalibus ex Ephraëmo, a p. 166-175. *Nona*, de paradoxa lege Moſaica, ſeptimo quovis anno omnium agrorum ferias indicente, a p. 176 194.

Iam pergimus ad uberiorem commentationis primae de Theraphis expoſitionem, viſuri quodnam ſingulis paragraphis inſit argumentum, quaque ratione illuſtratum. (§. 1.) *Iudaeorum de Theraphis ſententiae cur non colligantur?* Nempe, nulla in re minorem eſſe Iudaeis fidem habendam, quam in Idololatriae hiſtoria, ex his inprimis apparere cauſis, quod primo deorum peregrinorum veneratio et legi moſaicae contraria, et Iudaeis ipſis abominationi fuerit; deinde vero etiam huic populo, praeter codicem ſacrum, nulli relicti ſunt libri antiqui, ideoque omnia, quae ab illo narrentur, traditione orali eademque ſuſpecta et mendaci nitantur. Accedit huius gentis exigua, aut plane nulla graecarum litterarum ſcientia, quae tamen fons quaſi ſint, ex quo in hac doctrinae parte hauriendum ſit. (Miramur, ab auctore nimis reiici Iudaeorum narrationes: nam ut taceamus de uſu, quem ex eorum traditione habere nos poſſe in illuſtranda Michalae hiſtoria cenſet Cl. Michaelis ipſe p. 6. (fac quoque, veram eſſe eius de hac re ſententiam,) cur non liceret nobis, in exquirendis eorum opinionibus, dictis, forte et fabulis ac traditionibus, eadem uti libertate ac cura, quam auctor §. 6. adhibuit, arbitratus, *et fictis ineſſe aliquid veri.* (§. 2.) *Theraphi eſſe videntur Sileni Graecorum.* Pauſanias in Graeciae deſcriptione l. VI. c. 24. ita: Θνητον εἶναι το γενος των Σιληνων, inquit, ἐικασαι τις ἀν μαλιστα ἐπι τοις ταφοις αὐτων. Ἐν γαρ τῃ ἑβρεαιων χωρᾳ Σιληνω μνημα. Quo loco adducto praeſertim nititur V. Cl. ita concludens: ſi vel Moſe auctore conſtet, *defoſſos* ſaltem eſſe in quadam Palaeſtinae regione deos, non ſepul-

ſepultos, ſequi hoc, ut Pauſanias aut ſpectarit eos, aut in ſuſpicionem abſurdi mendacii veniat. In diis vero, quos Iacobus Sichemi defodit, Geneſ. XXXV, 4. ſine dubio fuerunt Theraphim, hos enim Rahel furata eſt, Gen. XXXI. etc. Iam E. A. Schulzius, in exercitatione de Silenolatria Samaritanorum putavit, licet de Theraphis non cogitaret, illam Hebraeorum terram Pauſaniae, quae ſepulcra Silenorum habere credebatur, Sichemum videri et Garizim. (§. 3.) *Etymon hebraici nominis Theraph. formae Silenorum convenit.* Arabice תרף τὸ non ſolum lautiorem vivendi rationem, ſed etiam vultus aliquam turpitudinem, praecipueque labiorum naſique deformitatem ſignificat. Utraque vero huius vocis interpretatio in Silenos quadrat, atque omnino coniungi poteſt; poſterior tamen aliqua ex parte erit anteferenda, ſi traditionem Hebraeorum ſpectes, quae Theraphis formam humanam tribuit, nec ab auctore reiicitur, ut ſupra diximus. Quum ergo Theraphi iidem ſint qui Sileni, hi vero humana forma fuerint, ſequitur, et Theraphos hominibus ſimiles fuiſſe. (Haud accurate aſſerit auctor, alios coniecturis, detorſionibus, litterarumque mutationibus indulſiſſe, in inquirenda verbi huius interpretatione verſatos. Licet enim fuerint, qui ita agerent; tamen iam Pfeifferus priorem ex Arabia deſumtam ſignificationem τῷ תרף adduxit, et ex Syria meliorem poſteriore auctoris, ex noſtra quidem ſententia, dedit. In idiomate Syriaco nimirum Theraph modo percontari eſt, modo indicare. Spectare hoc ad vim Theraphorum, edendi oracula, perſpicuum eſt, quam denegare iis diſerta Scr. S. loca vetant.) (§. 4). *Theraphi Hebraeorum, prorſus ut Sileni Graecorum, ad Satyrorum genus referuntur.* Neque enim Levit. XVII, 7. שעירים piloſos hircos interpretari vult Cl. auctor, (quam ſignificationem haec vox nude poſita non habet, licet cum עזים coniuncta eam accipiat,) neque credere, Iſraelitas, vitae paſtoritiae deditos, capris divinum honorem habuiſſe. Iam quis eſt qui putet, genti ulli idem numen et ſacrificium fuiſſe, aut potius eam tanta fuiſſe perverſitate, ut caprum capro immolaret. Piloſi ergo hi non hirci videntur eſſe, ſed ex

ſimia-

ſimiarum maiorum, poëtarum pictorumque arte nonnihil mutatarum, genere; atque, Vitringa ad Iesſ. XXXIV, 14. docente, Graecorum Satyri. Hos pro diis coluerunt Iſraëlitae. Suſpicatur adeo Cl. M. defoſſos Sichemi Theraphos a ſcriptore Chronicorum vocari Satyros, 2 Paralip. XI, 15. (§. 5.) *Coniectura Hurdtii, de origine nominis Silenorum, non omnino repudianda:* Deum ſcilicet, quem X. Tribus, earumque poſteri Samaritani, colere credebantur, a Silunte nomen אלהי שילה Dei Silani vel Siluntici accepiſſe, ut Iudaeorum Deum a Sione. Sed eſt coniectura. (§. 6.) *Unde fabula de Satyris, Silenis, Theraphis orta?* In fabulis non omnia ficta cenſenda ſunt, veritati potius aliquid dandum eſt; igitur inquirere quoque paulo diligentius in diſcrimen utriusque eum oportet, qui rem non ſatis perſpicuam illuſtrare cupit. Sic Cl. Mich. de Theraphis, ad maius ſimiarum genus a ſe relatis, agens, ficta a veris ſecernit, ſimiasque illas accurate deſcribit, quo magis pateat ſuperſtitionis illius, divinique iis habiti cultus cauſa et fundamentum, creſcens quoque paulatim magnitudo. (§. 7.) *Deſiderata.* Theraphos fatidicos fuiſſe, quanquam non ſimpliciter neget Cl. M. nimis tamen late affirmat. Quod porro ad imagunculas Theraphorum attinet, de quibus Iudaei multa loquuntur, quarum vis inſuſurrandi futura praedicatur, auctor modeſte ignorantiam ſuam confitetur. Ceterum, multa in hac diſſertatione ſpeciem veritatis tantum prae ſe ferunt, argumentisque hiſtoricis deſtituuntur.

Sequitur II. *de cenſibus Hebraeorum commentatio.* (§. 1.) *Cui bono de hoc argumento diſputetur?* 1) ut neceſſitas inſtituendi cenſus appareat, plebisque de eo perverſa ſententia evaneſcat. 2) Intricatum illud ac veri diſſimile, quod in cenſibus Hebraeorum ineſt, cognoſcatur. 3) Ad veram de Polygamia ſententiam deducamur. (§. 2) *Cenſus Iſraelitarum agi voluit Deus.* Bis enim a Moſe inſtitutus eſt: nimirum primo et ultimo commorationis in Arabia anno, et leges per eum latae, cenſus populi ſaepius actum iri, pro certo ſumunt, Exod. XXX, 12. Ex eo, quod Iudaei, poſt exſilium Babyloniicum viventes, quamvis eorum decreſceret numerus, dimi-

dium

dium tamen ſiclum quotannis Deo deberi ſanxerunt, ſequitur, eos credidiſſe, ſingulis annis populi cenſus eſſe inſtituendos. Eadem, qua iſti Iudaei, ſententia fuiſſe Ioaſum, colligitur ex Paralip. XXIV, 6. Rara cenſus acti mentio non tollit annuam ipſius celebrationem: quae enim quotannis fiunt, ut nota ab hiſtorico omittuntur. Populum vero ſaepe numeratum eſſe, locutiones inde ortae probant, quae cum ſaepius repetitae in Sc. S. occurrant, nonniſi a rebus conſuetis peti ſolent. Huc pertinet liber ſeu cenſus viventium apud Moſen, aliosque Scriptores ſacros, Exod. XXXII, 32. Pſ. LXIX, 29. Ezech. XIII, 9. (Pradus, Geyero ad Pſalmum illum commemoratus, in explicatione Ezech. ita: adſcendentes ex Aegypto et Babylonia Iſraelitae ſuperſtites, relati ſunt omnes in catalogum, qui dicebatur Scriptura domus Iſrael, aut liber vitae ſeqq. Quae ideo addimus, ut appareat, iam aliis comparationem ipſam quidem non ignotam fuiſſe, neque vero in mentem veniſſe ab iſta uſitata formula ad cenſuum inſtitutorum multitudinem concludere, quemadmodum auctor fecit: neſcimus, an bene?) (§. 3.) *In cenſu Davidis quid peccatum ſit?* Neque enim ſacrilegium, ſ. non ſolutum dimidium ſiclum, ex Ioſephi ſententia; neque, ut recentiores volunt, ſuperbia regis Davidis, cauſae divinae irae fuerunt: ſed conſilium, omnes Iudaeos ad militiam et ſervitutem perpetuam obſtringendi; quod regis conſilium deteſtandum, vel Ioabo, ut bono civi, licet alias homini nequam, diſplicere potuit. Haec eſt auctoris ſententia, quae ſine dubio multis placebit. (§. 4.) *Nodus in cenſu Moſis, incredibilis primogenitorum paucitas.* Ex Numer. III, 43. patet, numerum primogenitorum fuiſſe 22, 273. Cl. auctor cenſos et non cenſos in has intulit tabulas: fuerunt nimirum

cenſi - - -	603550
non cenſi - -	301775
ſeorſim cenſi Levitae - -	22000
	927325.

Habemus ergo, posteriori numero cum priori comparato, ex 42. Israelitis singulos tantum primogenitos, et in singula coniugia medium natorum numerum quoque 42. Tali vero matrimoniorum felicitati haec tria obstant: 1) Neque anni quidem uxorum, ad partum apti, sufficiunt. 2) Lactatio apud Hebraeos ad XXX. menses durabat, quo tempore lactantibus abstinendum erat a Venere. 3) Medio hoc numero assumto, alia coniugia, aliis foecundiora, 90 vel 100 liberis abundent necesse est. Manifestus ergo error videtur hic deprehendi posse; qui ut evanesceret, auctor olim significationem τῦ בכור restrinxit. Verum haec erroris solutio ei, aliam eandemque meliorem instituturo, displicet, (§. 5.) *Indicium enim est illa primogenitorum paucitas polygamiae frequentissimae*, ex lege Mosaica et consuetudine valde usitatae. Quare et numerus ille in singulas familias medius non incredibilis videtur, tot enim liberos ab homine robusto ex pluribus foeminis suscipi posse a veritate non abhorret. Accedunt aliae foecunditatis causae ab auctore commemoratae, a nobis omissae, ne nimis longiores essemus. In familiis vero Hebraeorum polygamis non nisi unum habitum fuisse primogenitum, assertio est, cui, inter alia Iacobi exemplo nixae, obiectio e פטר רחם desumta obesse minime potest. (§. 6.) *Corollaria*. Premontvallus, polygamiam et lege civili illicitam, et minus frequentem Israelitis Mosis tempore fuisse, ostendere voluit. Prius in alio libello impugnavit ill. M. posterius, quamquam olim crediderat, nunc tamen quoque reiicit. In Aegypto certe celebrata plurimum fuit polygamia, cui et tribuenda erit primogenitorum in deserto paucitas. Neque porro incredibile videbitur, qui populus Israëliticus, intra CCXV. annos, ex LXX. capitibus in tantam exsurgere potuerit multitudinem, quantam tempore exitus ex Aegypto fuisse constat. Ceternm non in omnibus Tribubus aeque viguit polygamia.

III. Observatio. *De exsilio X. Tribuum.* (§. 1.) *Multi gravesque errores orti sunt ex alio errore de exsilio X. Tribuum.*

Magnae

Magnae gentes his Tribubus, in exſilio multiplicatis, ortum ſuum adſcribunt: argumenta vero, e. c. linguarum morumque cum Iſraëlitarum conſuetudine conſenſus, ſatis levia ſunt, magisque late patent. Alii ad easdem Tribus Synagogas illas referunt, quas ubique in remotiſſimis Aſiae aut quaerunt, aut inveniunt. Alii liberationem, ab Hoſea inprimis et Ieremia Ephraëmitis, (ſic auctor X. tribus a tribu imperante appellat,) promiſſam, huc usque vero non impletam, olim in regno demum millenario impletum iri arbitrantur, Iſraelitas neſcimus in quae incognita loca deducentes. Cadente ergo errore de exſilio X. tribuum, et caeteri cadant neceſſe eſt. (§. 2) *Reliquiae populi poſt graviſſimum bellum non magnae eſſe potuerunt, nec multi in exſilium rapi.* Bella interna ſ. civilia, crudelia deinde externa cum Syris aliisque gentibus geſta, coniunctaque cum iis matrimoniorum raritas, Samaria per tres annos obſidione clauſa, refugium Ephraëmitis in terra Iudaea patens, quo aliqui certe, ut exſilium effugerent, uſi ſunt: magnae ſane fuerunt cauſae diminuti populi, ab Aſſyriis in exſilium deportati. Non igitur integrae X. tribus in Aſſyriam migrarunt, ſed earum quaſi reliquiae, numerum vix 12,000 implentes; quod poſterius e collatione Ierem. LII, 28-30. et 2 Reg. XXIV, 14. 16. in epimetro p. 50. oſtenditur. (§. 3.) *Nec ſolebant integri populi in exſilium duci, ſed ditiores, aliique, qui rebellaturi videbantur, relicta in agris patriis imbelli plebecula*, quae ſine duce et armis minime metuenda, augendae potius et propagandae ſoboli inſervit. Omnia haec uberius ab auctore pertractata (§. 4.) *ex hiſtoria exſilii Babylonici confirmantur.* Iam (§. 5.) concluditur: *multos ex decem tribubus Iſraëlitis in patria videri remanſiſſe*, nempe in agro Samaritano. (Ipſi enim Samaritani et volunt eſſe poſteri Iacobi, et olim voluerunt, Ioh. IV, 12.) eiusmodi vero reliquiarum indicia ſatis clara habes in nimis illo neglecto Chronicorum libro, 2 Par. XXXIV, 33. XXXV, 17. 18. (§. 6.) *Reliquiae decem tribuum*, ſi quae gentibus barbaris non commixtae fue-

runt, *sub Cyro* cum Iudaeis videntur in Palaestinam *rediisse*. Cyri enim edictum omnes spectabat, non Iudaeos modo, sed et Israelitas, nec Ephraemitarum sedes extra Cyri, Assyriae etiam heredis, regnum quaerendae nobis sunt. Numerus Iudaeorum in Palaestinam redeuntium (Ezr. 2, 64.) fuit 42. 360. qui tantus non fuisset, nisi Iudaeis multi ex Ephraemitis se adiunxissent. (§. 7.) *Dubia diluuntur.* *Primum* ex 1 Par. V, 26. ducitur, sed locutione ista, *in hunc usque diem*, recte intellecta, et illud solutum est. Neque enim pleonasticam solum esse auctor putat, sed pluribus, quos liber Chronicorum habuit, auctoribus communem, quorum quisque res sui temporis in hoc libro enarravit. *Alterum* dubium inde oritur, quod in Ezrae et Nehemiae libris, cum census instituitur reducum in Palaestinam, etc. nulla reliquarum X. tribuum mentio fit. Solutionem auctoris lectores nostri perlegent. (§. 8.) *Si qua decem tribuum progenies remansit in exsilio, non ubivis illa terrarum quaerenda, sed in Media, Assyria, et Mesopotamia.* Locus disertus, quo auctor nititur, est 2 Reg. XVII, 6. Media scilicet ad Caspium mare, et ad Cyrum fluvium pertingit. Chalach urbs est Assyriae. Chaboras vero fluvius cum duplex sit, alter notior in Mesopotamia, alter in Assyria; prior ab auctore posteriori (et recte quidem) antepositus, contra Schultensium defenditur. (§. 9.) *His vero in regionibus reliquiae X. tribuum non inventae sunt.* Quae enim in Mülleri collectaneorum Russicorum T. *IV.* de Iudaeis, ad occidentem maris Caspii, et circa Cyrum fluvium sparsis, leguntur, non admodum placent auctori; sed sunt tamen aliqua attentione, accuratiorique inquisitione digna. (§. 10) *Zasse Ibrahim in Madagascara non sunt Israëlitae, sed Arabes;* multo minus reliquiae X. tribuum, quemadmodum ex Flacurtii historia Madag. colligi posset. (§ 11.) In isto ad §. 2. epimetro auctor conciliationem Ier. 52, cum 2 Reg. 24. tentat, veramque textus horum locorum lectionem (§ 12.) contra Zwinglium (§. 13) contra Kennicotum, qui uterque librariorum putat adesse errorem, defensam sistit. De priori inter alia (p. 55.) ita M. „hunc eius (quem puto)

„erro-

„errorem malim ante duo ſecula commiſiſſe, quam omnia „iſta diſputare, quae hac in commentatione leguntur, mihi„que videntur vera.“

IV. et V. *De natura et origine maris mortui.* (§. 1.) Deſcriptione huius maris auctor et antiquitati iudaicae, et ſcripturis lucem affundere, ſpicilegium poſt Relandi Palaeſtinam ſcribere, neque vero omnia, quae ad illud ſpectant, recenſere vult aut repetere. (§. 2.) *magnitudo maris mortui incerta.* Diſſident enim inter ſe veteres et recentiores. Et ex his quidem Maundrellum et Pocokium nominat, allatisque eorum verbis, aut ſi mavis teſtimoniis, nonnulla addit attente obſervanda: ſcilicet, Maundrellum excerpere videri Plinium, non in oriente audita repetere. Cauſam vero huius diſſenſus auctor in credulitate iter facientium ponit, quorum nemo arte ac ratione mare illud emenſus ſit, ſed oculis modo quivis illud, incolarum narratione fretus, perluſtrarit. Oſtendit porro, et Shawium in errore mathematico fuiſſe verſatum. (§. 3.) *Mera pene ſalſugo Aſphaltites, unde eſt quod vivi nihil in eo ſubmergitur.* Mare mortuum Hebraeis quoque dicitur mare ſalſum (ים מלח), quia ſale abundat, vel, Galeno docente mera ſalſugo eſt; quo fit, ut nec ſal in eius aquam coniectus liqueſcat, nec vivi quidquam ob eius gravitatem in ea ſubmergi poſſit. Cum Galeno recentiores illi conſentiunt, qui et ipſi natandi periculum fecerunt, non ſubmerſi, ſed in altius ſublati. Fere idem narratur a Strabone: quae enim de lacu Sirbonide loquitur, ad mare Sodomiticum referenda ſunt, ut dudum obſervarunt interpretes. Pondus ſalſae huius aquae ad aquam dulcem, eſt ut 5. ad 4. (§. 4) *Sale maris mortui Palaeſtina utebatur;* ſuppeditabatur enim nullo pene ſumtu et negotio. Nihilominus hoc naturae donum plerisque recentiorum Sc. S interpretum ignotum fuit, quare ab auctore noſtro, Pocokio praeeunte, deſcribitur. In valles ſcilicet, quibus Aſphaltites cingitur, Iordanes, verno tempore vehementior factus, incurrit; a quibus recedens aeſtate, tenui ſtrato ſalis veſtitas valles relin-

quit. Tum accolae foſſas in littore excavant, in quibus reſidua aqua ſole aeſtivo coquitur, ſalemque iis relinquit. Zeph. II, 9. hae ſalis foſſae commemorantur. Cur vero vallis circa Aſphaltiten *vallis ſalis* ſaepius in ſacro codice appelletur, ex antea dictis facile apparet. Ezech. XLVII, 11. ita ab auctore explicatur: „paluſtria ac foſſae maris mortui non ſanabantur, ſed ſali deſtinabantur.“ Tam neceſſarius Palaeſtinae fuit huius ſalis uſus. Qui tamen num guſtu bonus, et cibis condiendis aptus fuerit, dubitat Carpzovius, Lubecenſium praeſul; contra quem diſputans auctor, oſtendit, ſalem maris mortui verum ſalem culinarem fuiſſe, et eſſe. (§. 5.) *Sal Sodomiticus Rabbinorum eſt verus ſal communis, non bitumen.* Illum enim adhibitum fuiſſe tam in ſacrificiis, Levit. 2, 13. quam in ſuffimento ſacro, Exod. 30, 35. Rabbinorum eſt ſententia; eſſe vero bitumen, Lightfootus inprimis, van der Hardt, et Schöttgenius affirmarunt, Michaele negante. Et auctor quidem noſter rationes pro ſua ſententia affert, in quibus hae praeſertim notandae. Bitumini nulla omnino ſimilitudo eſt cum ſale; incredibile videtur, utramque rem tam diverſiſſimam eodem fuiſſe dictam nomine; non ſoli exteri bitumen ſalem non vocant, ſed ipſi illud Hebraei חֵמָר dixerunt; quas enim p. 75. affert praetermittimus. Nulli, praeter Hardtium, eandem bitumini quam ſali tribuerunt ſalſuginem. In nota quadam Cl. Mich. b. Gesneri, qui aliquando e Schöttgenii, poſtea ex auctoris parte fuit, *dubia* ſolvit. Quae Hardtii et Schöttgenii argumenta refutatione digna cenſuit, haec fere ſunt: 1) Hardtius dixit *bitumen ſuavem ex ſe ſpargere odorem:* certe autem ſuccinum cum bitumine confudit; poſterius enim triſti eſſe odore, tam ex experientia, quam Linnaei de bitumine definitione oſtendit auctor. Bitumen iudaicum veterum medicorum Aegypti eſt, non Aſphaltitis munus, utrumque tamen moleſto odore. (Hillii hiſt. foſſ. p. 414.) quare ſi illud ſpectaſſet Hardtius, argumentum eius nihil ex eo acciperet roboris. 2) Idem aſſerit: *cornem adipemque citius ab igne conſumi potuiſſe bitumi-*

ne

ne adſperſo; conceſſa vero hac eius ſententia tamen noſtra non tollitur, aut מלח bituminis nomen eſt, aut victimae ſaliendae bitumine conſpergendae ſunt. 3) *Deſperat, locum Marc. IX, 49.* explicare poſſe, niſi ſal, quo victimae ſaliendae ſunt, bitumen ſit. Michaelis vero πυρὶ caſu tertio, non ſexto ſumit, atque ita interpretatur: igni ſeu flammae victimae ſaliuntur; aut, totus flammae ſalietur, ut omnis victima ſale conſpergi ſolet. 4) *Schöttgenius* urget, *ſalem Sodomiticum* Rabbinorum *nec ſabbato quieſcere*, quoniam *mare*, unde ſal conficitur, omnibus diebus *exundet*. Sed Sch. ignoravit, quomodo in foſſis ſal oriatur, (cf. §. 4.) alias cognoviſſet, verum ſalem communem deſcribi ex iſto mari paratum. 5) et 6) Argumenta ſatis levia ſunt, ut moleſtos lectoribus fore nos credamus, ſi in iis adducendis laborem ac tempus terere velimus. (§. 6.) *Chriſti ſimile, de ſale fatuo facto, non a bitumine petitum, ſed a ſale communi.* Hardtius et Schöttgenius bitumen inſipidum fieri poſſe. fuiſſeque in plateis acclivioribus ab Hieroſolymitanis ſparſum, ne euntes caderent, crediderunt. Verum 1) bitumen natura ſua iam eſt inſipidum, ergo non poteſt μωρανθῆναι. 2) Dicit, non probat Schöttgenius, plateas Hieroſolymae fuiſſe *bitumine* conſperſas, igitur adeſt petitio principii. 3) Ad verba Chriſti nihil facit, ſive ſalem, ſive bitumen in plateis acclivibus ſparſum eſſe putes. Vult enim Redemtor, ut ſal inſipidus omni prorſus utilitate careat; haberet vero aliquam in plateis ſparſus. Auctor communem ſalem, ſorditiemque tabidam (germanice, das Salz wird ſchmierig), quae illum ſaliendis cibis ineptum reddit, intelligit: (§. 7.) ex Rabbinorum ergo ſententia ſal marinus, ex lacu Aſphaltite excoctus, et ſacrificiis ſaliendis, et ſuffimento parando, adhibendus fuit. (§. 8) *Piſceſne alat Aſphaltites?* Carere piſcibus et cochleolis mare mortuum, Hieronymus, aliique veteres crediderunt; poſterius Maundrelli, qui conchylia in littore huius maris vidit, tollitur teſtimonio, et prius incertum eſſe, Ezech. XLVII, 9-11. docet. Ex eo enim, quod inter miracula et hoc commemoratur, piſces

in

in mari mortuo captum iri, sequitur: Asphaltiti ex more pisces non inesse. Accedit salsugo huius maris, propter quam pisces in eo submergi nequeunt. (§. 9.) *Exitu caret Asphaltites, ideoque verno Iordane supra solitum auctus exundat.* Credit auctor, vapores quotidianos, aquae, quam Iordanes devehit, exhauriendae sufficere; ostendit, magnitudinem huius maris a Shawio duplicatam, plus vero aquae Iordani tributum esse, quam ad mare illud deferat. Etenim Iordanes Martio et Aprili mense acerrime fluit, aestivo et autumnali tempore tardius. Illis autem dictis mensibus, in quibus vere exundat mare mortuum, quum ad Asphaltiten accesserat Shawius, nec tardioris, qui alio tempore huic mari est, cursus rationem habuerat, in determinanda illius celeritate et latitudine erravit. Ceterum, Asphaltiti subterraneos in alia maria meatus auctor nullos tribuit. (§. 10.) *De Bitumine.* Michaelis nec bituminis Sodomitici naturam, nec ortum, colligendique rationem, explicare vult, certos huius rei testes desiderans. Strabo fabulosa admiscet; Shawius, quas e mari erumpentes bituminis bullas enarrat, non ipse vidit, sed ab aliis, de quorum dubitatur auctoritate, accepit; quae tamen, si verae essent, locis Sc. S. quibusdam, e. c. Sap. X, 7. Iudae v. 7. lucem afferrent. Bitumen maris mortui, iudaico vetere, medicis commemorato, inferius est, et Shawio teste nigrum, talique splendore, quali gagates. Verum et Hillii et Shawii testimoniis, aliqua saltem ex parte, A. diffidit. (§. 11.) *Naphtha in vicinia maris mortui.* Nec enim bitumen sine Naphtha nascitur, cuius ergo fontem et in vicinia Asphaltitis fuisse, et esse, licet iter facientibus non commemoratum, auctor putat, et ex Ies. XXXIV, 9. 10. colligit: quo in loco interpretes de Naphtha minime cogitarunt; qua tamen cognita, et Kaempferi testimonio collato, dictum Prophetae clarum est. Montes in vicinia maris Sodomitici ex se bitumen edere, Strabo iam testatur. Ipsum Naphthae nomen facit, ut eam in Arabiae aliqua parte fundi auctor existimet; est enim ab Arabibus, apud

apud quos نَغَطَ ebullire ſignificat, ad Medos, ab his vero ad Graecos translatum. (§. 12) *Vapores Aſphaltitis quales? aeruginemne auro inducant?* Strabo, cuius latinum interpretem merito arguit auctor, et Baruch. VI, 24. de aerugine auri loquuntur; huc pertinet etiam Iacob. V, 2. 3. Thren. IV, 1. Diodorus Siculus autem mutatum auri colorem, brevi poſt redeuntem, commemorat. Utra ergo eligenda eſt ſententia? difficile eſt, certi quid ſtatuere. Fortaſſe halitus cum fumo naphtheo erumpentes triſtem auro colorem afferre potuerunt, quem accolae poſtea aeruginem nominarunt. Halitus certe ac fumus naphtheus eruptionem bituminis annuntiarunt. Iſto vero tempore, et XX. dies ante illam bituminis eruptionem, maxime noxius aëri fuit halitus etc. (§ 13.) *Pentapolis ſita in valle, quam nunc Aſphaltites implet.* Relando contradicens, quatuor pro ſua ſententia Auctor adducit rationes: 1) Geneſ. XIV, 3. 10. 2) Moſes vallem iſtam admodum fertilem deſcribit c. XIII, 10 quae fertilitas in aliam vallem, mari mortuo vicinam, non quadrat. 3) Si in illo ſtabili littore ſita fuiſſet Pentapolis, difficile dictu eſt, cur effugium incolis nullum patuerit. 4) Non urbes modo vaſtatae dicuntur, ſed tota circumiecta planities, Geneſ. XIX, 25. Quae Relandus contra auctoris adducere poteſt ſententiam eo fere redeunt: nullibi in ſacris litteris inundationem Sodomorum, ſed conflagrationem commemorari; nec autem vere opponi ei poſſunt. Michaelis enim, negans ſubmerſas eſſe has urbes, igne coelēſti tactas conflagraſſe dicit. Qui Ioſephum priori teſtem eſſe arbitrantur, ignorant quam diverſa ſint, quae Antiqu. Iud. l. I. c 8. § 3. narrat, ab iis, quorum de B. I. l. IV. c. 8. §. 4. mentio fit. (§. 14.) *Ante excidium Sodomorum palus iam ſub terra ſtagnabat, ſtrato bituminis aliud glebae fertilis ſtratum, ipſasque urbes continens.* Vel in Germania, in nonnullis locis, in quibus olim terra agrique erant, paludes tibi occurrunt; ecquis eſt qui inſulas natantes ignoret? Praeterea duo haec addit Cl. M. 1) Aqua

maris mortui, caeteris aquis gravior, maius imponi sibi onus pati potest. 2) Fundus maris bitumen eructat, quod, aqua Sodomitica levius, modo ei innatat, modo in dies crescens stratum bituminis fit etc. (§. 15.) *Quo devenerit aqua Iordanis, antequam palus ista subterranea incendio detegeretur.* Sciendum est, multum aquae exhalationibus quotidianis absumi; plus autem aquae eius, quae terrae commiscetur, quam quae pura restagnat. Fortasse porro Iordanes, rivique alii, non toti subierunt terram, sed canalibus multis per totam vallem divisi sunt, quo facilius fluvii illi in vapores abirent. (§. 16.) *Vallis illa ante incendium innumeris rigata canalibus*, probatur ex Genes. XIII, 10. auctorque משקה ex arabico idiomate vertit, terram canalibus fossisque rigatam; quam significationem et LXX, et Syrus Onkelosque videntur spectasse, atque alii Sc. S. loco, huic simili, nempe Ezech. XLV, 15. licet paulo mutatam, adscribit Cl. Mich. (§. 17.) *Fontes bituminis et naphthae in valle Siddim*, qui victis regibus effugii viam, abscissa tanquam planitie, negarunt, Genes. XIV, 10. Naphthae enim fontes, quales a Kämpfero describuntur, fragili et intuto lapide marginem incrustantes, accedentem fallunt, aut hausturi illum, aut prodituri persequentibus. (§. 18.) *Fulminum ictu, non pluvia sulphurea proprie sic dicta, urbes deletae.* Praeter Iosephum et Clericum, pluviam hanc proprie intellexerunt interpretes, de fulmine autem in illo loco Genes. XIX. sermonem esse auctor putat: 1) Quia phrasis mosaica, *igne et sulphure pluit*, non priva est Sodomitico exitio, sed et alibi occurrit, e. c. Ps. XI, 6. Ezech. XXXVIII, 22. 2) Quia, accepta fulminis explicatione, cum iis, quae a Mose narrantur, et alii v. c. Iosephus et Tacitus, congruunt. (§. 19.) *Stratum bituminis, quod agros fertiles sustinebat, cum fulminum ictu exarsisset, necesse fuit agros in subiectam paludem descendere.* Etenim bitumen, in fodinis latens, neque expositum aëri, multo inflammabilius est eo, quod ad nos deferri videmus: quanta porro est vis fulminum! quanta naphthae fontibus ignem arri-

Digitized by Google

arripiendi celeritas! quam apta denique salsugo maris mortui ad alendum propagandumque ignem! Ex his omnibus patet, qui fieri potuerit, ut tam pauci, et Lothi solum familia, istud effugerent periculum. (§. 20) *Quid in Clerico, pleraque vera habente, reprehendendum?* 1) Quod multa de terrae motu disputet; nec noto mosaicae historiae, nec ad urbium submersionem necessario. 2) Quod ante hanc exustionem nullam habet voraginem subterraneam, aquas a Iordane devectas haurientem. (§. 21.) *Strabonis locus* p. 764. al. 1108. *de ambitu LX. stadiorum reliduo, qui de urbis Sodomorum magnitudine, conspicuisque eius in mari ruderibus intelligi solet, explicatur*, et quidem ita: „unde facile credo accolarum narrationi, XIII. ibi olim urbes habitatas fuisse, quarum Sodoma metropolis; huius ex circumiecta regione X. circiter stadiorum ambitum supereſſe." Κυκλος est secundum auctorem ambitus agri, σωζεσθαι vero servari. Vulgarem Strabonis latinam interpretationem in hoc certe loco inferiorem esse ea, quam auctor dedit, statim patet ex utriusque collatione. (§. 22.) *Omnino veri dissimile, ruinas Sodomorum sub mari mortuo conspici, nec certi huius rei testes;* Strabo enim nihil de ruderibus sub mari visis habet. Iosephi quod afferunt testimonium, haud satis clarum est, nec perspicuum. Qui vero Maundrello tale quid narrarunt, duo patres Hierosolymitani, fide indigni, nec a pio mendacio, quo in Palaestina nihil usitatius, alieni censendi sunt. (§. 23.) *De uxore Lothi.* Auctor נצִיב monimentum ex sale Sodomitico, a posteris uxoris Lothi in eius memoriam erectum, ac conservatum, interpretatur, nec נצִיב statuam potius esse, quam cippum, ex rabbinica et arabica linguis patere dicit. Dubitamus, num Arabem Erpenii recte interpretatus sit Cl. M. credimus nos, illum sententiae huius magis accedere, quam ipse quidem putet; quum vero coniecturam nostram, ex eodem fortasse, quo auctor usus est, fonte hauſtam, firmis satis argumentis fulcire nequeamus, quaerimus saltem: possitne arabicum illud بوكانه etiam *cippum* significare?

Ceterum optamus, ut lectores *Ienischenii* de hac re scriptum, ab auctore, ut aequum erat, laudatum, perlegere velint.

VI. *De Nitro Plinii.* (§. 1.) *Instituti ratio.* Salem, quo Moses in victimis conspergendis uti iussit, non bitumen esse, contra triumviros, Lightfootum, Hardtium, Schöttgenium disputare, de nitro veterum copiosius agere, atque ad Plinii l. XXXI. c. X. §. 46. commentari vult Cl. auctor. (§ 2.) *Plinius nitri nomine, nitrum, natrum, et Alcali complectitur.* Duo salia uno nitri nomine apud Latinos continentur, nempe nitrum nostrum, et sal lixivii, h. e. Germanorum Salpeter et Potasche. Posterioris salis duplex est genus: 1) Soda s. solida Hispanica, e frutice Kali aliisque herbis in cinerem redactis parata. 2) Germanicum nostrum Potasche. Accedit his alkali fossile s. naturale, frequens in Aegypto. Haec tria salis alcalini genera, a Plinio descripta, cum vero nitro uno communi *nitri* nomine comprehendi, auctor arbitratur, neque tamen aliis persuadere vult, Plinio nihil praeter haec tria genera dici nitrum. Qua de re ut accuratius magisque distincte ageret, (§. 3.) totum Plinii locum de nitro descripsit, explicuit, illustravit. Neminem poenitebit, has ad auctorem latinum difficilem animadversiones perlustrasse, et ad eas quidem legendas lectorem remittimus; hoc unum addentes, Plinium ab auctore passim nitri naturae ignarum appellari.

VII. *De Nitro Hebraeorum s. Borith.* (§. 2.) *Quid de Borith Malachiae meliores habeant interpretes, exponitur.* Locus ille Malach. III, 2. clasicus quasi est in determinanda בֹּרִית significatione; quem interpretes, raro rei metallurgicae guari, non intellexerunt. Hieronymus huic herbae Borith eandem, quam nitro, vim tribuit; verum nitrum Hieronymo non idem est, quod nobis, sed sal lixivii, ut Plinio. Io. Mich. Langius, Theologus Altorfinus, suam de herba Borith in tribus dissertatt. exposuit sententiam, (qua assumta haec herba eadem est, quae Kali, ex qua solida Hispanica paratur,) ibique ex Rhauwolfio docuit, a Syris lixivii salis magnam

gnam copiam vendi. Iam ante Moſis tempora, ſal lixivialis Phoenicibus ingentis mercaturae materiam praebuit. Nec vero Langius aliquid de ſolida Hiſpanica, ſub nomine Borith, ſuſpicatus eſt. Rudbekius, quem b. C. B. Michaelis iam confutavit, purpuram male intellexit. Olaus Celſius autem Kali, Arabum herbam, indeque paratum ſinegma, aſſumit. (§. 3) *Borith Malachiae eſt ſolida Hiſpanica.* De eo alcali apud Malachiam agitur, quod metallis fundendis adhibetur. Salis vero lixivialis ope, et flamma miniſtra, quae metallum non ſunt vitrescunt, fiuntque ſcoria; atque metalla nobiliora ab ignobilioribus ſunt ſeparanda. Sic igitur Malachiam auctor interpretatur: „Severum eccleſiae ac terribilem reformatorem fore, legatum Dei, cuius adventus aeque ſit malis extimeſcendus, ut ſcoriis ignis metallurgi addita ſolida. Hinc futurum, ut ſcoriis purgata eccleſia, auri inſtar ſinceri prodeat.“ Quam plurimi a veſtibus abluendis deſumtam eſſe ſimilitudinem putarunt, eam contextui minime convenire, conſtat. (§. 4.) *Ieſ. I, 25. explicatur:* liquabo tanquam ſolida ſcorias tuas. Ex quo loco patet, alcali non ſolum feminine בֹּרִית, ſed et maſculine בֹּר dictum fuiſſe, eodem modo Iob. IX. 30. exponitur. (§. 5.) *Ieſ. XLII, 6. XLIX, 8.* בְּרִית *legendum, ubi editiones maſorethicae habent* בָּרִית. Plerumque locus uterque ita vertitur, ut Meſſias conſtitutus ſit in foedus populi; melius: reddidi te alcali, ſeu ſalem lixivialem populi. (§. 6.) *Triplex* (non duplex) *ex loco Ieſaiae conſectarium.* Quae hactenus dicta ſunt, faciunt 1) ad hiſtoriam artium, ſuntque argumento, diu ante Romam conditam notum fuiſſe uſum ſalis alcalini in depurandis metallis. 2) Punctorum vocalium errorem inculenter demonſtrant. 3) Suadent, eodem modo, quo duobus Ieſaiae locis, et aliis mederi nos oportere. (§. 7.) *Levit. II, 13.* מלח ברית *non eſt ſal foederis, ſed ſal nitri, ſacris purior habitus. Idem Exod. XXXVII 35. ſal purus ſuffimenti.* Moſes ſalem purum elegit, altaribusque deſtinavit, nactus fortaſſe hunc morem ab Aegyptiis, quibus diſtinctio fuit ſalem purum inter atque

impurum, priori tantum in ſacros uſus adhibito. (§. 8.) *Forte et ſal purus Latinorum nitrum.* (§. 9.) *Quid ſit* ברית מלח *Num. XVIII 19. et 2 Paral. XIII,5.* ברית מלח interpretatur auctor ſalarium purum, ut Latini a ſale ſalarium dixerunt, ita et orientales: Chaldaei certe, ſtipendia ſalem appellarunt, Ezr. IV, 14. ſed 2 Par. XIII, 5. cum Syro legit בְּרִית מֶלֶךְ foedus regium. (§. 10.) *De* נתר *Ierem. II, 22. Prov. XXV, 20.* Iſtud in utroque loco auctor vertit alcali, atque hanc נתר ⁊s ſignificationem e Syriaca dialecto contra Schultenſium probat.

VIII. *De Syrorum vocalibus ex Ephraemo* (§. 1.) *De Syrorum vocalibus cur diſputetur?* Quia cum iſta quaeſtione alia coniuncta eſt, nimirum haec, fuerintne antiquis Hebraeis vocalium ſigna, et quo tempore inventa? (§. 2.) *Syri quo tempore vocales Graecorum ſuas fecerint, ex Aſſemanno exponitur.* Ex huius enim Biblioth. Orient. I. 477. 478. et p. 64. diſcimus, Iacobum, Seculo VII. eccleſiae Edeſſenae epiſcopum, ſeptem tentaſſe vocalium figuras, nec tamen uſu vulgatas; Theophilum vero Edeſſenum, quum Homerum verteret, primum auſum eſſe, ambiguas voces quinque vocalibus Graecorum, civitate Syriaca deinde donatis, notare. (§. 3.) *Iam ante has graecas vocales Syri puncta habuerunt vocalia, ſed ut Arabes nonniſi tria*, nempe a, i, et o ſignificantia, ſed et nonnunquam ut e et u pronuntiata. Syri, Arabum in ſcribendo magiſtri, initio nonniſi tres habuiſſe vocales videntur. Büttneri de litteris Mendaeis obſervatio attentione lectorum digna omnino eſt, ac facit ad probandam auctoris ſententiam. (§. 4.) *Haec puncta, tempore Ephraemi Syri, ſub Conſtantino M. nati, iam erant antiqua*, nempe tria illa, ut apud Arabes. Alioquin Theophilus Seculo VIII. vocales a Graecis non mutuatus eſſet. Locus, de quo ſermo eſt, in Ephraemi Opp. T. I. pag. 184. deprehenditur, ſpectatque Geneſ. XXXVI, 24. Vertitur ita a V. Cl. „Sciendum eſt, quod in utroque huc usque teſtamento ſemper ܒܶܡܟ (Chemre) invenerimus, non autem ܒܡܟ (Chmore) ut

putant

putant aliqui ex inſcitia. " Ephraemi ergo tempore Syri iam habuerunt puncta vocalia. Obiter obſervamus, latinam Ephraemi verſionem haud eſſe accuratam: noſtrum e. c. locum Cl. Mich. melius interpretatus eſt romano interprete, qui modo addit aliqua, modo detrahit, etc. (§. 5.) Conſectaria: 1) *Ergo et Iudaei videntur iam ante Seculum IV. puncta vocalia habuiſſe.* (§. 6.) 2) *Ergo videntur Hebraei antiquitus tres tantum vocales habuiſſe*, a, i, o, nonnunquam tamen ut e, u, et y pronunciatas. Neque haec mera coniectura, ſed in Conri libro tres modo vocales numerantur, Kamuts, Peticha, et Scheber, h. e. O, A, I. (§. 7.) 3) *Ergo eo ipſo tempore, quo puncta vocalia habebant orientales, in lapidibus illis non utebantur: nec lapides et numismata Phoenicum et Hebraeorum quidquam ad quaeſtionem de antiquitate punctorum faciunt.* (§. 8.) 4) *Ergo vocales, quas in maſorethica bibliorum editione legimus, non ſunt antiquae, licet Hebraei vocales antiquitus habuerint.* Additur neceſſaria de cavendo abuſu Grammaticos in illis vocalium mutationibus etc. admonitio.

IX. *De paradoxa lege Moſaica, ſeptimo quovis anno omnium agrorum ferias indicente.* (§. 1.) *Lex de anno ſabbathico, Lev. XXV, 2-7. paradoxa*, et multorum quoque ſententia a reipubhcae ſalute ſeiuncta eſt. (§ 2.) *Feriae agrorum legitimae non peregrinae nobis; at id novum, omnium agrorum eodem anno ferias indici.* Apud nos quidem in orbem eunt illae agrorum feriae, unde nullus ſine meſſe annus; qua cum annus Moſis Sabbathicus per univerſam Palaeſtinam careat, fames ſeptimo quovis anno apud Iſraelitas metuenda videtur. (§ 3.) *Promiſſio de eximia ſexti anni ubertate, Levit. XXV, 18-22 nodum non ſolvit*, addita enim eſt conditio, ſi populus legibus divinis obedierit. Quoties ergo publice peccatum eſſet, anno ſeptimo fames imminebat, totiusque populi, meſſe carentis, aut diſperſio, aut interitus. Quae omnia in ſapientem non cadunt legislatorem. Stata, certisque temporibus adſtricta miracula, in Sc. S. non commemorantur; ſexto autem quovis anno incidens inſolentior agrorum ubertas eſſet

ſet miraculum, etc. Fortaſſe non ſexto anno tantam Moſes fertilitatem promiſit, ſed ſex annis integris. Quam auctor de librariorum errore tulit ſententiam, omittimus. (§. 4) *Non audiendi, qui ex huius legis a prudentia civili ſeiunctione efficiunt, Moſen divinum hominem fuiſſe.* Quod quidem, auctor pergit, ut breviter dicam et candide, quid eſt aliud, quam divinam legationem Moſis ex incredibili legum moſaicarum probare ſtultitia. (§. 5.) *Annus ſabbathicus potentiſſimum contra famem remedium, cogens patres familias, aliquid ſemper frumenti ſervare,* etenim vel lucri ſpe, vel inopiae metu, omnes patres familias, qui rem curarent, nec eſſent valde inopes, ſeptimi anni neceſſitatibus partem proventuum ſervabant; ideo accidere vix unquam potuit, ut Palaeſtina, tot plenis horreis, fame laboraret. (§. 6.) *Hoc famis remedium potentius eſt regum granariis.* Multis Ioſephi et Pharaonum, ubertatis tempore de fame cogitantium, atque granaria inſtruentium, futurae ſterilitati ſubventura, placet exemplum: verum auctor oſtendit, praeſtare ſingulorum patrumfamilias curas in hanc rem collatas. (§. 7.) *Dardanariorum beneficio, utiliſſimorum civium, a famis metu tuta plerunque Germania. Sed his carere potuit respublica Iſraelitica, omnibus patribus familias annonam ſervantibus.* In iſta enim republica quisque paterfamilias frugi futurae ſterilitati proſpexit, dum anno ſe ſabbathico proſpicere arbitraretur, omnes enim ſciebant, ſeptimo anno meſſem non fore. (§. 8.) *Aliae legis utilitates:* ad feras, greges, et ſervos ſpectantes, e Levit. XXV, 6. 7. cognoſcuntur. (§. 9) *Lex ab Iſraelitis neglecta,* et Iudaeorum avaritia in deſuetudinem abiit. Iam id veritus Moſes videtur, Lev. XXVI, 35. nec fruſtra. Neque enim in omni regum Iſraeliticorum hiſtoria ulla anni ſabbathici rite acti mentio fit. Quare auctor, neglectae legis initium in tempora Sauli regno proxima incidere putat, atque ex 2 Par. XXXVI, 21. probat, legens רָצְתָה, ac vertens, terra ſabbata usquedum ſua rependiſſet.

NOVA ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipſiæ

Calendis Ianuar. et Februar. Anno MDCCLXV.

NOVI COMMENTARII ACADEMIAE SCIENTIARUM Imperialis Petropolitanae. TOMUS IX. pro annis MDCCLXII. et MDCCLXIII.

Petropoli, typis Academiae Scientiarum MDCCLXIV.
Alph. 3. plagg. 3. cum tabb. aen. XI. in 4.

Quod ſaepenumero in his Eruditorum Actis profeſi ſumus, magnam adferri rei mathematicae inprimis et phyſicae, his Acad. Petropolit. Commentariis utilitatem, ſed geographiae etiam atque hiſtoriae, id, perlecto hoc nono Volumine, iterum grati profitemur. Neque poteſt aliter fieri, in tali doctiſſimorum virorum Societate, tanta auguſtiſſimae Imperatricis munificentia ornata atque nutrita. Igitur operae pretium facturos nos credimus, ſi, quae hic proponuntur Commentationes, earum Lectoribus noſtris Synopſin, quam ipſe Editor Volumini praepoſuit, tradamus. Sunt autem primum MATHEMATICA. In his

I. De reſolutione formularum quadraticarum indeterminatarum per numeros integros, Autore *Leonh. Eulero*, ſubtilis diſputatio. Conſideratio numerorum, etiamſi ple-

risque omni usu carere videatur, tamen per se non solum admodum est iucunda, sed etiam animum ad veritatis indagationem non mediocriter acuit, eiusque vires quasi magis intendit. Maxime enim abundat doctrina numerorum veritatibus abstrusissimis, quarum investigatio et demonstratio tantam ingenii penetrationem postulat, ut nunquam cuncta, quae involuit, mysteria erui et explicari posse videantur. Hoc certe eo magis mirum videri debet, quod numeri nusquam per se revera existunt, sed per solam abstractionem in mente formantur, qua primo quidem series numerorum naturalium ab unitate in infinitum progredientium constituitur, tum vero ad intervalla implenda numeri fracti et surdi, atque adeo transcendentes, introducuntur. Quorum generum tractatio etsi ad Arithmeticam referri solet, tamen in hac scientia insignes proprietates, quibus numeri sunt effecti, vix attinguntur, quippe quae vulgo tantum ad usitatas numerorum operationes restringitur. Accuratius autem numerorum natura investigatur in ea Analyseos parte, quae ab antiquissimo auctore methodus Diophantea vocari solet, ubi eiusmodi problemata perpenduntur, quae in se sunt indeterminata, atque infinitas solutiones admittunt, ex quibus autem eas elici oportet, quae numeris vel saltem rationalibus, vel integris tantum contineantur. Cuius methodi vis per exemplum clarissime perspicietur. Sumamus, eiusmodi numeros quaeri debere, quorum quadrata duplicata unitate aucta iterum fiant quadrata, seu ut forma $2xx - 11$. extractionem radicis quadratae admittat. Quodsi fractiones non excludantur, huic quaestioni facillime satisfit, aequando formulam $2xx - 11$ huic quadrato $(xy - 1)^2$. Quia enim aequatio $2xx - 11 = xx\,yy - 2xy - 11$, unitate utrinque deleta, per x divisionem admittit, prodit $2x = x\,yy - 2y$, hincque $x = \frac{2y}{yy - 2}$, ubi quicunque numeri pro y accipiantur, sive integri, sive fracti, pro x semper eiusmodi numeri rationales resul-

reſultant, quibus formula $2xx - 11$ evadit quadratum, quippe cuius radix quadrata futura $xy - 1$. Qui numeri quo facilius obtineantur, loco y ſcribi poteſt fractio $\frac{+p}{q}$, unde prodit vel $x = \frac{2pq}{pp - 2qq}$, vel $x = \frac{2pq}{2qq - pp}$. Hic igitur ſufficit, pro p et q numeros quoscunque integros accipi, veluti ſi capiatur $p = 5$ et $q = 3$, prodit $x = \frac{30}{7}$ qui eſt huiusmodi numerus, ut eius quadratum $\frac{900}{49}$ ſi duplicetur $\frac{1800}{49}$, et unitas adiiciatur $\frac{1849}{49}$, ſumma haec ſit quadratum radice exiſtente $\frac{43}{7}$. Verum ſi pro x tantum numeri integri deſiderentur, qui hac proprietate gaudeant, ſolutio modo data nihil utilitatis adfert, cum pro p et q eiusmodi numeri aſſumi deberent, ut $2pq$ diviſibile fieret per $pp - 2qq$, quod non minus eſt difficile, quam ipſum problema, de quo agitur. Interim tamen hac conditione adiecta, problema etiamnum recipit innumeras ſolutiones, et numeri pro x aſſumendi hac lege procedunt: 0, 2, 12, 70, 408, 2378, 13860, etc. ubi continuo ſequens aequatur ſextuplo ultimi demto penultimo, cuiusmodi ſeries vocari ſolent recurrentes; unde evidens eſt, harum ſolutionum multitudinem eſſe infinitam, etiamſi continuo rarius occurrant. Ideoque facile intelligitur, earum inventionem multo magis eſſe arduam. Cel. Auctor huius diſſertationis methodum peculiarem exponit, huiusmodi problemata facile reſolvendi, quibus in genere omnes numeri integri pro x aſſumendi quaeruntur, ut haec formula $\alpha xx + \beta x - \gamma$ evadat numerus quadratus, dum α, β, γ denotant numeros quoscunque datos. Ubi primo quidem obſervat, ſolutionem non ſuccedere, niſi α ſit numerus poſitivus, non quadratus; tum vero neceſſe eſſe, ut una ſaltem ſolutio iam aliunde ſit cognita, cuiusmodi ſolutio unica ſtatim ac ſi praeſto fuerit, quemadmodum inde omnes reliquae in infinitum inveniri queant, perſpicue docet. Cum autem hoc pro-

blema iam alibi ſit pertractatum, etſi methodo minus commoda, Auctor hic inprimis naturam talium problematum accuratius perſcrutatur, et criteria elicit, quibus problemata huius generis impoſſibilia a poſſibilibus diſtingui poſſunt. Denotante ſcilicet α numerum quemcunque poſitivum, non quadratum, quia expreſſionem ſuperiorem ſemper ad hanc formam $\alpha x x + \gamma$ revocare licet, oſtendit, quinam numeri pro γ aſſumti problema reddant poſſibile, nec ne. Veluti ſi ſit $\alpha = 3$, notum eſt, has formulas $3xx+2$, $3xx+5$, $3xx+8$ etc. nunquam fieri poſſe quadratas. In maioribus autem numeris pro α ſumtis hoc iudicium multo magis fit arduum; verum tamen Auctor criteria certiſſima indicat, quibus in omnibus caſibus expedite uti licet, ubi multa, quibus miranda numerorum natura non mediocriter illuſtratur, occurrunt, et quae in aliis quaeſtionibus uſum inſignem habitura videntur.

II. De Progreſſionibus arcuum circularium, quorum tangentes ſecundum certam legem procedunt. Auctore *L. Eulero.* Plurimae iam paſſim traditae ſunt methodi, progreſſionum, in infinitum excurrentium, ſummas inveſtigandi; in quo Analyſeos genere, cum ab aliis, tum a *Cel. Eulero* inſignia ſpecimina ſunt edita: ſeriem autem fractionum, continuo decreſcentium, etiamſi in infinitum continuentur, ſummam habere poſſe finitam aſſignabilem, adverſus difficultates e principiis metaphyſicis perperam intellectis petitas, nemo nunc quidem amplius in dubium vocare ſuſtinet, veluti ex primis adeo elementis oſtendi poteſt, huius ſeriei geometricae: $1+\frac{1}{2}+\frac{1}{4}+\frac{1}{8}+\frac{1}{16}+\frac{1}{32}+$ etc. in infinitum ſummam binario eſſe aequalem. Quanquam autem haud difficulter iudicare licet, utrum huiusmodi ſerierum, quarum termini continuo fiunt minores, dummodo certa lege progrediantur, ſummae ſint finitae, nec ne? tamen ſaepenumero accidit, ut ſumma, etiamſi certo ſit finita, nihilo minus aſſignari nequeat, quemadmodum uſu venit in hac ſerie:

$\frac{1}{2}+\frac{1}{3}$

$\frac{1}{3}+\frac{1}{5}+\frac{1}{7}+\frac{1}{9}+\frac{1}{11}+\frac{1}{13}+$ etc. cuius denominatores quia unitate ſuperant praecedentes, ſumma ſine omni dubio minor eſt, quam illius, neque vero eius verus valor ullo modo adhuc inveſtigari potuit, ita ut is non ſolum non rationaliter, ſed etiam non per numeros ſurdos, quin ne per transcendentes quidem uſu ſatis tritas, cuiusmodi ſunt quae vel a quadratura circuli, vel a logarithmis pendent, exprimi poſſe videatur. Simili modo haec fractionum ſeries: $\frac{1}{3}+\frac{1}{7}+\frac{1}{13}+\frac{1}{21}+\frac{1}{31}+\frac{1}{43}+$ etc. cuius lex denominatorum differentiis ſumendis, quae ſunt 4. 6. 8. 10. 12. etc. per ſe eſt perſpicua, etſi certe eſt finita, nullo tamen quantitatum genere cognito exhiberi poteſt. Ex quo eo magis mirum videri debet, quod ſi in circulo, cuius radius = 1, arcus capiuntur, quorum tangentes ſint ſucceſſive $\frac{1}{3}$. $\frac{1}{7}$. $\frac{1}{13}$. $\frac{1}{21}$ etc. horum omnium arcuum in infinitum continuatorum ſumma aſſignari poſſit, atque adeo quartae peripheriae parti ſit aequalis. In hac igitur diſſertatione Cel. Auctor plura huiusmodi ſerierum genera perpendit, quarum termini ſinguli ſunt arcus circulares, quorum tangentes certo modo progrediuntur, et, quemadmodum ſummae earum pariter ad arcus circulares deduci queant, oſtendit. Methodum autem perfacilem proponit, innumerabiles huiusmodi ſeries ſummabiles inveſtigandi; in quo negotio, ne calculus formulis nimis intricatis perturbetur, in ſubſidium vocat algorithmum quendam novum ac peculiarem, cuius indoles in ſequentibus exponetur. Tum vero etiam theoriam fractionum continuarum, in ſuperioribus voluminibus prolixius expoſitam, ad has inveſtigationes felici ſucceſſu accommodat, ita ut iam huius generis ſeries perinde tractari poſſint, atque eae, quae per ſimplices fractiones progrediuntur, dum arcus illius, cui ſeriei ſumma aequatur, tangens ſatis concinne per fractionem continuam exprimi poteſt.

III. Specimen algorithmi ſingularis editur, Auctore *L. Eulero*. Accuratius inquirenti, cur Analyſis mathematica

aliis ſcientiis, quae in veritatis inveſtigatione verſantur, tantopere antecellat, mox patebit, cauſam in idoneo et ſuccincto ſignorum uſu potiſſimum eſſe quaerendam. Cum enim in omni ratiocinatione ſermo atque uſus vocabulorum, quibus ideae plerumque ſatis complicatae deſignari ſolent, maximum adfert ſubſidium, ita ut, ſermone ſublato, vix ullus rationis uſus nobis relinqui videatur: utilitas horum ſignorum manifeſto in eo eſt poſita, quod eorum beneficio menti ideae valde compoſitae uno quaſi intuitu ſimul ita repraeſentantur, ut, ſi vim cuiusque ſigni, quantumvis eius ſignificatus fuerit complexus, ſemel intellexerit, id deinceps in mente vicem omnium idearum, quas comprehendit, gerat. Atque hoc idem per univerſam Analyſin mathematicam multo clarius cernitur, ubi omnes formulae in calculo receptae nihil aliud ſunt, niſi ſigna idonea, quibus ideae et operationes tantopere compoſitae menti uno quaſi ictu offeruntur, ita ut earum explicatio plerumque maximam verborum ambagem requireret: ubi hoc inprimis eſt obſervandum, huiusmodi ſignum, cum eius vis ſemel fuerit percepta, menti deinceps perpetuo inſigni compendio univerſam rem ſignificatam repraeſentare. Quemadmodum ergo in communi ſermone ſingula verba ideas ſimpliciores in animo excitant: ita in Analyſi mathematica eiusmodi ſigna uſurpantur, quae ideas multo magis compoſitas animo ſimul exhibent, eundemque effectum praeſtant, ac ſi omnia verba eius ſignificatum explicantia ordine recitarentur; quae prolixitas cum animum maxime eſſet diſtractura, vires etiam ingenii in comparatione plurium huiusmodi repraeſentationum plurimum eſſet perturbatura. Ex quo perſpicuum eſt, praeſtantiam Analyſeos, uſui potiſſimum idoneorum ſignorum, quibus res maxime complicatae deſignantur, acceptam eſſe referendam. Veluti quoties in calculo analytico hanc formulam $\sqrt{(aa+bb)}$ conſpicimus, hoc ſigno menti oblato intelligimus, litteris a et b certas quantitates deſignari quarum quadrata per additionem coniungi, et ex ſumma radicem quadratam extrahi oporteat; hancque radicem

dicem quadratam iſta formula indicari. Statim autem atque hunc ſignificatum probe percepimus, nobisque familiarem reddidimus, ſolus aſpectus huius formulae $\sqrt{(aa+bb)}$ uno quaſi ictu menti totam illam deſcriptionem repraeſentat, ita ut ea, tanquam idea ſimplici, in ulteriori inveſtigatione uti poſſit. Similis eſt ratio omnium reliquorum ſignorum in Analyſi receptorum, quae omnia ita ſunt comparata, ut iis quantitates, per certas ſaepiusque repetitas operationes natae, uno quaſi aſpectu menti diſtincte repraeſententur. Quodſi ergo eveniat, ut in Analyſi novae quaedam operationes in uſum vocentur, novoque modo inter ſe combinentur, ad calculi ſubſidium plurimum intererit, quantitates inde natas novis iisque idoneis ſignis deſignari, ut iis deinceps ſimili ſucceſſu in calculo uti liceat. Cum igitur Cel. Auctor obſervaſſet, in evolutione fractionum continuarum, quarum uſus in Analyſi eſt ampliſſimus, quantitates certo quodam modo per varias operationes inter ſe combinari, quantitates hinc ortas ſignis peculiaribus denotare ſtatuit, ſimulque ſpecimen novi algorithmi circa has quantitates exhibere decrevit, cuius uſum inſignem adeo iam in praecedente diſſertatione oſtendit, et in ſequentibus fortaſſe adhuc uberius eſt declaraturus. Propoſitis nimirum quotcunque numeris a, b, c, d, e, formula hoc ſigno expreſſa $(a, b, c, d, e,)$ numerum denotat per certas quasdam operationes inde oriundum, cuius valor per pauciores continuo procedendo ita ſe habet, ut, ſi nulla littera uncinulis includatur, veluti $()$, valor ſit perpetuo unitas; deinde ſi unica littera ſit incluſa, ut (a), valor ſit hic ipſe numerus a. Hinc autem ſi plures litterae includantur, valores per praecedentes ſequenti modo definiuntur:

$$() = 1$$
$$(a) = a$$
$$(a, b) = b\,(a) + ()$$
$$(a, b, c) = c\,(a, b) + (a)$$
$$(a, b, c, d) = d\,(a, b, c) + a, b)$$
$$(a, b, c, d, e) = (a, b, c, d) + (a, b, c) \text{ etc.}$$

Cir-

Circa numeros autem hoc modo natos plures eximias proprietates demonſtrat, veluti quod indicum ordine inverſo idem valor ſemper reſultet, ſitque $(a, b, c, d, e) = e, d, c, b, a)$ unde plures aliae inſignes affectiones concluduntur.

IV. De Reſolutione aequationum cuiusvis gradus, Auct. *L. Eulero.* Quaeſtio hic verſatur circa aequationes algebraicas, quarum gradus aeſtimatur ex poteſtate ſumma quantitatis incognitae, cuius valorem inde determinari oportet: ita poſtquam huiusmodi aequationes ad debitam formam fuerint perductae, ſecundum gradus ita in genere repraeſentari poſſunt:

gradus	aequationes
I.	$x + A = 0$
II.	$x^2 + Ax + B = 0$
III.	$x^3 + Ax^2 + Bx + C = 0$
IV.	$x^4 + Ax^3 + Bx^2 + Cx + D = 0$
V.	$x^5 + Ax^4 + Bx^3 + Cx^2 + Dx + E = 0$
VI.	$x^6 + Ax^5 + Bx^4 + Cx^3 + Dx^2 + Ex + F = 0$

etc.

Iam notum eſt, harum aequationum reſolutionem in genere non ultra quartum gradum adhuc eſſe inveſtigatam; quod eo magis mirandum videtur, quod cum ſecundus gradus iam ab antiquiſſimis Geometris Graecis et Arabibus, tertius vero et quartus iam pridem a Scipione ferreo et Bombello in ipſa quaſi Analyſeos infantia ſint expediti, ab illo tempore, poſtquam Analyſis ſummo ſtudio eſt exculta, nondum ultra hos limites progredi licuerit. Cum autem conſtet, reſolutionem cuiusque gradus ab omnibus gradibus inferioribus pendere, et quantitatem incognitam tot valores recipere, quoti gradus fuerit aequatio: Cel. Auctor huius diſſertationis iam olim coniecturam propoſuit, quod pro quovis gradu, veluti quinto $x^5 + Ax^4 + Bx^3 + Cx^2 + Dx + E$

$+ E = o$ detur aequatio uno gradu inferior, uti $y^4+\alpha y^3+\beta y^2+\gamma y+\delta = o$, quam vocat illius reſolventem, ita ut ſi huius radix fuerit p, q, r, s, illius radix ita ſe ſit habitura $x = f+\sqrt[5]{p}+\sqrt[5]{q}+\sqrt[5]{r}+\sqrt[5]{s}$, ubi quidem perſpicuum eſt, fore $f = -\frac{1}{5}A$: quae coniectura eo minus ratione deſtituta videtur, quod non ſolum cum reſolutione cognita aequationum ſecundi, tertii, et quarti gradus, egregie conſentit, ſed etiam caſus illos reſolubiles particulares altiorum graduum, a *Moiuraeo* olim detectos in ſe complectitur. Nunc autem Cel. Auctor animadvertit iſtius coniecturae formam, qua verbi gratia aequationis quinti gradus radix ita exprimitur: $x = f+\sqrt[5]{p}+\sqrt[5]{q}+\sqrt[5]{r}+\sqrt[5]{s}$, nondum ſatis eſſe limitatam. Cum enim ſingulae hac formulae radicales quinos diverſos valores natura ſua involvant, facile intelligitur, non omnes combinationes eorum locum habere poſſe, quia alioquin numerus diverſorum valorum ipſius x in immenſum excreſceret, quem tamen quinarium ſuperare non poſſe certum eſt. Formam igitur illam nimis vagam nunc ita reſtringit, ut ſtatuat, aequationis quinti gradus radicem ita in genere exprimi: $x = f+\mathfrak{A}\sqrt[5]{p}+\mathfrak{B}\sqrt[5]{p^2}+\mathfrak{C}\sqrt[5]{p^3}+\mathfrak{D}\sqrt[5]{p^4}$, ſimilique modo de reliquis gradibus; ubi iam perſpicuum eſt, plures quam quinque diverſos valores pro x locum habere non poſſe. Statim enim ac ſignificatus partis $\sqrt[5]{p}$ definitur, quod quinque modis fieri poteſt, ſimul etiam reliquae partes determinantur. Deinde etiam patet, expreſſionem pro caſu allato, non plures, quam quinque partes, complecti poſſe, quoniam formulae ulteriores $\sqrt[5]{p^5}$, $\sqrt[5]{p^6}$ etc. ſponte ad praecedentes rediirent, neque novam irrationalitatem implicarent. Hanc igitur novam coniecturam, quam pulchre cum reſolutionibus iam cognitis conſentiat, oſtendit: et quamvis ex hoc fonte minime adhuc aequationum quartum gradum ſuperantium

reſolutionem in genere perficere liceat, tamen hinc pro ſuperioribus gradibus alios inſuper caſus reſolubiles praeter *Maiureanos* deducit, unde non parum luminis in hanc maxime abſconditam Analyſeos partem redundare videtur.

V. De numeris primis valde magnis. Auct. *L. Eulero.* Cum primum a *Pellio*, ac deinceps ab aliis, tabula numerorum primorum ad centena millia usque ſit conſtructa, nunc quidem propoſito quocunque numero hunc limitem non ſuperante facillime iudicare licet, utrum is ſit primus nec ne? atque adeo ex iſta tabula pro lubitu numeri primi excerpi poſſunt, ſi forte uſus exigat, qui quidem centena millia non excedant. Verum ſi quis deſideret numeros primos hoc termino maiores, non niſi exantlato immenſo fere labore, voti ſui compos reddi poterit, quandoquidem alia methodus numeros primos inveſtigandi vix patet, niſi ut ſucceſſive omnes numeri per alios minores diviſibiles expungantur, quippe quo facto numeri primi ſoli relinquentur. Quin etiam propoſito numero praegrandi, utrum is ſit primus, nec ne? ante pronunciare non licet, quam eius diviſio per omnes numeros primos, eius radice quadrata minores, fuerit tentata. Ita ſi quis quaerat, utrum hic numerus 2237791 primus ſit, nec ne? diviſionem per omnes numeros primos usque ad 1496 tentare cogitur, hocque labore maxime taedioſo ſuſcepto, tandem diviſionem per 1481 ſuccedere deprehendet. Ex quo patet, problema olim inter *Fermatium* et *Walliſium* tractatum, quo methodus certa requiritur, numeros primos dato quovis maiores inveſtigandi, maxime eſſe arduum, atque adeo vires ingenii humani ſuperare, poſtquam ſolutio a *Fermatio* tradita iam olim ab Auctore huius diſſertationis eſt profligata. Quin etiam quaeſtio iam maxime difficilis eſt reputanda, ſi numeri primi centenis millibus vel adeo uno millione maiores deſiderentur. Interim tamen in hac diſſertatione methodus ſatis expedita traditur hoc praeſtandi, dum Auctor alios numeros non contemplatur, niſi qui unitate ſuperent quadratos, ſeu in

hac

hac forma $aa+1$ ſint contenti. Cum enim huiusmodi numeri alios diviſores non recipiant, niſi qui ipſi ſint duorum quadratorum aggregata, atque adeo in hac forma $4m+1$ contineantur, ex ſerie numerorum formae $aa+1$ quamvis longe continuata, quae quidem ſeries mox ad maximos numeros excreſcit, facili negotio numeri compoſiti expunguntur, ita ut de relictis certi ſimus eos eſſe primos. Huius igitur artificii beneficio labore non nimis operoſo omnes numeros primos formae $aa+1$ ultra binos milliones eſt adeptus, quos in tabula peculiari complexus eſt; unde iam certo conſtat, hunc v. gr. numerum praegrandem 2232037 eſſe primum, quae veritas ſi more conſueto eſſet exploranda, diviſionem per omnes numeros primos usque ad 1494 tentari oporteret. Quo autem multitudo huiu modi grandium numerorum primorum magis augeatur, etiam eos caſus indicat, quibus formulae $\frac{aa+1}{2}$ et $\frac{aa+1}{5}$ praebent numeros primos.

VI. De Reſolutione aequationis $dy+ayy\,dx=bx^m\,dx$. Auct. *L. Eulero.* Aequatio haec, iam dudum a Comite *Riccati* Geometris propoſita, tanto ſtudio a ſummis ingeniis eſt pertractata, ut vix quicquam novi circa eius reſolutionem proferri poſſe videatur. Statim quidem infiniti valores pro exponente m aſſumendi ſunt obſervati, quibus integrale exhibere liceat, qui valores hac ſerie progrediuntur: $0 - 4 - \frac{2}{4}, -\frac{2}{3} - \frac{8}{7} - \frac{12}{5}, -\frac{12}{7}, -\frac{16}{7} - \frac{16}{9}$ etc. ac methodus, qua hi caſus ſunt evoluti, ita erat comparata, ut ex cognito cuiusque caſus integrali, integrale ſequentis definiretur, neque adeo caſuum poſteriorum integralia exhiberi poſſent, niſi iam omnes antecedentes fuerint expediti. In hac autem diſſertatione id praeſtatur, ut unica operatione omnium illorum caſuum integralia ſimul eruantur, indeque ſtatim vel centeſimi caſus integrale aſſignari poſſit. Methodus, qua hoc commodi eſt aſſecutus, omnino eſt ſingularis, dum pri-

mo aequationem propoſitam, ope certae ſubſtitutionis, in aliam, quae adeo differentialia ſecundi gradus involvit, transformat, eamque deinceps per ſeriem infinitam integrat, quae autem ſeries ita eſt comparata, ut ſupra memoratis caſibus alicubi abrumpatur, expreſſionemque finitam ſuppeditet, unde integrale quaeſitum facillime colligatur. Verum tamen omnia haec integralia non niſi ſunt particularia, neque totam vim aequationis differentialis propoſitae exhauriunt, deinde etiam, quoties quantitas b eſt negativa, imaginariis ita inquinantur, ut omni plane uſu deſtituantur. Utrique incommodo Cel. Auctor ita medetur, ut primo methodum exponat, ex cognito huiusmodi aequationum integrali quopiam particulari integrale completum eliciendi, quodſi quantitas b fuerit poſitiva, quantitates exponentiales implicat: deinde vero oſtendit, quomodo iſtae quantitates exponentiales, quae, exiſtente b negativo, fiunt imaginariae, per tangentes arcuum circularium realiter exprimi queant. Denique cum methodus illa, ex integrali particulari completum eliciendi, certam quandam integrationem exigat, quae moram faceſſere queat, etiam huic incommodo occurrit, dum obſervat, pro quovis caſu primam evolutionem non unum, ſed adeo duo integralia particularia, praebere, quoniam ibi formula radicalis $\sqrt{b}$ ingreditur, quam aeque negative, ac poſitive, accipere licet. Alia igitur methodo utitur, cuius ope ex cognitis duobus integralibus particularibus integrale completum, ſine ulla nova integratione, concludi queat. Quod cum ab eo, quod priori methodo erat erutum, diſcrepare nequeat, ex utriusque collatione integrationem priori implicatam efficere licet, unde poſtremo hanc integrationem maxime memorabilem deducit, quod ſit

$$\int \frac{2ac x^n}{n} \frac{dx}{uu} = \frac{Ce^{\frac{2ac x^n}{n}} z - u}{Cu\left(2acx^n - {}^1uz + \frac{u\,dz}{dx} - \frac{z\,du}{dx}\right)}$$

ubi

ubi quantitates z et u per x ita definiuntur, ut ſit:

$$z = x^{\frac{-n+1}{2}} + \frac{(nn-1)}{8nac} x^{\frac{-3n+1}{2}} + \frac{(nn-1)(9nn-1)}{8n\,16na^2c^2} x^{\frac{-5n+1}{2}} + \text{etc.}$$

$$u = x^{\frac{-n+1}{2}} - \frac{(nn-1)}{8nac} x^{\frac{-3n+1}{2}} + \frac{(nn-1)(9nn-1)}{8n\,16na^2c^2} x^{\frac{-5n+1}{2}} - \text{etc.}$$

Cum igitur hae formae z et u adeo in infinitum excurrere queant, eo magis eſt mirandum, quod formula $\frac{2ac}{en} x^n \frac{dx}{uu}$ integrale, idque per expreſſionem ſatis ſimplicem, exhiberi poſſit. Tum vero etiam hoc conſuetae integralium formae adverſari videtur, quod quantitas conſtans arbitraria C, per integrationem ingreſſa, quae alioquin nude adiicitur, hic ipſi formae integrali ſit implicata. Quod ſingulare phaenomenon ſi attentius perpendatur, mox patebit, integrationem illam veritati conſentaneam eſſe non poſſe, niſi denominatoris pars

$$2acx^{n-1}uz + \frac{udz - zdu}{ax}$$

fuerit quantitas conſtans, puta A; tum enim iſtud integrale in formam naturalem abit:

$$\frac{2ac}{en} x^n \frac{z}{Au} - \frac{1}{AC}$$

Num autem res ita ſe habeat, hoc modo explicari poteſt. Quoniam quantitates z et u per ſeries exprimuntur, easque ipſas, quae initio ex evolutione aequationis differentialis ſecundi gradus ſunt erutae, viciſſim patet, eas ita pendere ab x, ut ſit:

$$ddz + 2acx^{n-1}dxdz + (n-1)acx^{n-2}zdx^2 = 0 \text{ et}$$

$$ddu - 2acx^{n-1}dxdu - (n-1)acx^{n-2}udx^2 = 0.$$

Nunc prior aequatio per u, poſterior vero per z, multiplicetur, ac productorum differentia dabit

$$udd z - z dd u + 2acx^{n-1} dx(udz + z du) + 2(n-1)acx^{n-2} uz dx^2 = 0,$$

cuius integrale manifeſto eſt

$$udz - z du + 2acx^{n-1} uz dx = A dx.$$

Cum autem, facto $ac = c$, fiat $u = z = x^{\frac{-n+1}{2}}$ et $uz = x^{-n+1}$, evidens eſt, ſtatui debere $A = 2ac$, ſicque integratio ſuperior abit in hanc formam:

$$\frac{2ac}{fe^{x^n}} \frac{dx}{uu} = e^{\frac{2ac}{n} x^n} \frac{z}{2acu} - \text{Conſt.}$$

quae non ſolum principiis eſt conformis, ſed etiam facta differentiatione, ob

$$udz - z du = 2acdx(1 - x^{n-1} ux)$$

eius veritas egregie confirmatur. Hinc autem iam aequationis $dy + ayydx = acx^m dx$, poſito $m = 2n - 2$, et quantitatis z valore per ſuperiorem ſeriem expreſſo integrale multo ſuccinctius ita exhiberi poterit, ut ſit:

$$y = cx^{n-1} + \frac{dz}{az dx} + \frac{2Cce^{\frac{-2ac}{n} x^n}}{z(Cz - Ce^{\frac{-2ac}{n} x^n} u)} \text{ ſeu}$$

$$y = cx^{n-1} + \frac{dz}{az dx} + \frac{2c}{z(De^{\frac{2ac}{n} x^n} z - u)}$$

ubi D eſt illa conſtans arbitraria per integrationem iniecta ad integrale completum conſtituendum.

VII. Inveſtigatio functionum ex data differentialium conditione. Auct. *L. Eulero.* In ſuperiori Volumine a Cel. Auctore huius diſſertationis iam novus quaſi campus Analyſeos

ſeos infinitorum eſt detectus, in quo colendo Geometrae vires ſuas ad ſummum univerſae matheſeos ſublimioris incrementum exercere queant. Poſtquam enim obſervaſſet, omnia praecepta, quae vulgo circa differentiationem et integrationem tradi ſolent, ad functiones tantum unicae variabilis referri, ita ut, etiamſi plures variabiles in calculo occurrant, tamen ſemper per eliminationem negotium eo perduci debeat, ut tandem ad aequationem duas tantum variabiles complectentem perveniatur, ex qua, qualis altera alterius ſit functio, definiri oporteat. Hinc iſtam Analyſeos partem, quae adhuc fere ſola eſt exculta, ita definivit Auctor, quod ſit methodus functionem unius variabilis ex data eius differentialium cuiusque gradus conditione inveſtigandi, ex quo ſecunda Analyſeos pars circa functiones binarum variabilium verſari eſt cenſenda, ita ut ex data quapiam relatione inter eius differentialia eius vera indoles inveſtigari debeat, quae inveſtigatio denuo in partes ſubdividetur, prout in relationem illam differentialia, vel tantum primi, vel etiam ſecundi, altiorumve ordinum ingrediantur. Iam in hac diſſertatione prima iſtius ſubdiviſionis elementa ſtabiliuntur, atque variae methodi proferuntur, functiones binarum variabilium indagandi, ex data quacunque differentialium primi gradus relatione. Quodſi nimirum littera V denotet functionem quamcunque binarum variabilium x et y, quas a ſe invicem prorſus independentes intelligi oportet, ita ut utramque ſeorſim per omnes valores variare liceat, geminas inde formulas differentiales naſci eſt manifeſtum, hoc modo indicari ſolitas $\left(\frac{dV}{dx}\right)$ et $\left(\frac{dV}{dy}\right)$, quarum illa ex variatione ſolius x, haec vero ſolius y oritur, utraque autem eſt quantitas finita, et more ſolito ita per differentiationem reperitur, ut, ſi differentiatio praebeat $dV = P\,dx + Q\,dy$, ubi ſine dubio litterae P et Q iterum erunt certae functiones ipſarum x et y, futurum ſit $P = \left(\frac{dV}{dx}\right)$ et $Q = \left(\frac{dV}{dy}\right)$.

Nunc

Nunc igitur omnes quaeſtiones huc pertinentes ita ſunt comparatae, ut data quacunque relatione inter quantitates x, y, V, et P, Q, inde litterae P et Q eliminentur, et aequatio ab illis libera tantum inter x et y et V indagetur, quippe qua indoles functionis V, quemadmodum a binis x et y pendet, declarabitur. Cum autem, quando de functionibus unicae variabilis agitur, plurimae quaeſtiones adhuc calculi vires ſuperent, tum hoc idem multo magis in his quaeſtionibus circa duas variabiles uſu venit, ut numerus earum, quas quidem reſolvere licet, admodum ſit limitatus, praeſertim hoc tempore, quo iſta nova Analyſeos pars demum tractari eſt coepta. Interim tamen methodi, quas Auctor hunc in finem excogitavit, mox uberiorem tractationem polliceri videntur. Sequuntur PHYSICO-MATHEMATICA, ubi diſputatur

I. De motu vibratorio fili flexilis corpuſculis quotcunque onuſti. Auct. *L. Eulero.* Problema hoc, iam ab aliis ſolutum, Cel. Auctor hic ita tractat, ut id ad ſolutionem generalem problematis de cordis vibrantibus accommodet. Poſtquam enim motus omnes, cuius corda tenſa et aequaliter craſſa eſt capax, facili conſtructione determinaſſet, plures obiectiones contra hanc ſolutionem, a more Analyſeos ſolito recedentem, eſt expertus; quarum vis eo potiſſimum erat directa, ut, niſi cordae initio certa quaedam figura fuerit inducta, eius motus nullo plane modo per Analyſin definiri poſſe aſſeveraretur, quamvis negari non poſſet, ad quamcunque figuram corda initio fuerit detruſa, ea demiſſa certum quendam motum neceſſario ſubſequi debere. Controverſia igitur non tam in hoc agitabatur, quod Auctoris ſolutio ſit erronea, ſed quod problema ipſum ita ſit comparatum, ut nullam plane ſolutionem admittat, atque adeo nefas ſit ſolutionem a quoqam tentari. Facile quidem Auctor concedebat, ſolutionem a ſe datam a conſueto more huiusmodi problemata reſolvendi diſcrepare, atque

atque adeo vires Analyſeos adhuc plerumque excultae ſuperare: ſcilicet ideo iſta Analyſeos pars huiusmodi quaeſtionibus ſolvendis non ſufficit, quia in functionum tantum unicae variabilis inveſtigatione verſatur; indeque enim certe nunquam eiusmodi ſolutionem obtinere licet, quae curvam quamcunque, pro lubitu ductam, nullaque certa lege contentam, qualis forte cordae initio fuerit impreſſa, in ſe complecteretur. Verum vel hoc exemplo alterius illius Analyſeos partis ſupra laudatae vis maxime elucet, ex qua ſola huius problematis ſolutio eſt petenda. Durante enim cordae motu, intervallum, quo punctum eius quodvis a ſitu naturali diſtat, re vera ut functio duarum variabilium debet tractari, quoniam id non ſolum a loco puncti in corda, ſed etiam a tempore iam elapſo, pendet. Docuit vero Cel. Auctor, quoties per integrationes ad huiusmodi functiones deducimur, tum non, uti in integrationibus vulgaribus, quantitatem conſtantem arbitrariam in calculum invehi, ſed eius loco adeo functionem arbitrariam cuiuspiam variabilis, quam deinceps hoc caſu cordarum ita determinari oporteat, ut ad figuram illam prorſus arbitrariam, quae cordae initio fuerit inducta, accommodetur. Quam inſignem obſervationem cum Auctor poſtmodum demum clariſſime illuſtraſſet, in hac disquiſitione, loco cordae, filum perfecte flexile ponduſculis quotcunque onuſtum, dataque vi tenſum, conſiderat, et poſtquam ſingula ponduſcula a ſitu naturali pro lubitu, utcunque fuerint, diducta, ſubitoque dimiſſa, motum eorum ſecuturum determinat; quod cum ſine ſubſidio ſublimioris illius Analyſeos partis praeſtari queat, ſiquidem ſingulorum corpuſculorum motus ſeorſim indagare licet, ex ipſa ſolutione luculenter apparet, motum huiusmodi fili, quotcunque ponduſculis onuſti, ſemper analytice aſſignari poſſe, quomodocunque ſingula ponduſcula initio a ſitu naturali fuerint deducta. Nunc igitur, tam ponduſcula, quam eorum intervalla, in infinitum diminuantur, ut hoc modo corda continua craſſitie praedita exoriatur, quo facto nulli quoque du-

bio relinquetur locus, quin huiusmodi cordae motus, postquam ipsi initio figura quaecunque fuerit inducta, per Analysin determinari possit. Ad hoc vero necessario altera illa Analyseos pars, circa functiones binarum variabilium occupata, requiritur, neque iam amplius de solutione generali, quam Auctor pro motu cordarum vibrantium invenit, dubitare licebit. Ceterum inter infinitos motus, quos tale filum, ponduſculis onustum, recipere potest, et qui plerumque maxime sunt irregulares, inprimis notasse iuvabit, dari quoque motus species regulares, aequalibus vibrationum intervallis distinctas, quae propterea sonos determinatos edant. Si tam intervalla, quam ponduſcula, sint aequalia, filum, duobus onustum, duos sonos edere potest, qui sunt inter se ut sinus angulorum 30° et 60°, hoc est, ut 1 ad $\sqrt{3}$; filum autem tribus onustum tres sonos edere potest, qui sunt inter se, ut series angulorum $22\frac{1}{2}°$. 45°. et $67\frac{1}{2}°$; quatuor vero ponduſculis onustum quatuor sonos, qui sunt ut sinus angulorum 18°. 36°. 54°. 72°. et ita porro, qui ergo soni plerumque sunt irrationales inter se, ac propterea maxime dissoni.

II. De motu cordarum inaequaliter crassarum. Auct. *L. Eulero.* Notum est inter Musicos, cordas, quibus in instrumentis uti solent, sonos harmoniae aptos non edere, nisi eae per totam longitudinem eandem ubique habeant crassitiem, atque a cordis inaequaliter crasis sonos *rudes et* maxime ingratos produci, ex quo huiusmodi cordae falsae appellantur. Quod autem cordae aequaliter crassae sonos ad musicam idoneos edant, id non solum inde venit, quod earum vibrationes aequalibus temporis intervallis absolvantur, sicque sonum certi tenoris exhibeant, sed etiam potissimum eam ob causam, quod eadem corda pulsata, praeter sonum principalem, simul alios sonos acutiores auditui percipiendo offerat, qui cum principali gratissimam harmoniam constituant. Huiusmodi scilicet corda pulsa, praeter sonum principalem, alii soni, cum octava, tum duodecima, porro duplici

duplici octava, ſeu decima quinta, ac denique decima ſeptima altiores, debiliter quidem, ſed ſatis diſtincte, percipiuntur: qui ſoni, cum ad principalem ſint ut numeri 2, 3, 4, 5, ad unitatem, egregia harmonia ſenſum auditus permulcent. Quomodo autem hi ſoni ab eadem corda ſimul producantur, quo phaenomeno plerisque univerſa motus vibratorii theoria everti eſt viſa, primum ab acutiſſimo Geometra, *Daniele Bernoulli*, feliciſſime eſt explicatum. Qui autem hanc rationem minus perſpexerunt, mira myſteria in his ſonis ab eadem corda ſimul editis quaeſiverunt, inter quos adeo peritiſſimus rei muſicae artifex Gallus, *de Rameau*, principium univerſae harmoniae in hoc phaenomeno ſe feliciter detexiſſe gloriatur. Non ideo ſcilicet plures ſonos ſuavem harmoniam auribus exhibere arbitratur, quod vibrationum eodem tempore editarum numeri ſimplicem ac perceptu facilem inter ſe teneant rationem, quemadmodum omnes ſcriptores muſici adhuc ſtatuerunt; ſed potius, everſo hoc principio indoli vibrationum innixo, ideo plures ſonos nobis placere, ſi ab eodem corpore ſonoro ſimul excitari queant. Hoc modo putat verum harmoniae principium nobis ab ipſa natura declarari, neque id alibi quaeri opotere. Verum, praeterquam quod ſententia recepta circa harmoniae principium ſolidiſſimis rationibus ſit confirmata; neque ea tali phaenomeno, quod ab eodem corpore plures ſoni harmonici ſimul edi queant, infringatur: haec nova opinio, omni ratione deſtituta, penitus refelletur, ſtatim atque eiusmodi corpora ſonora in natura exiſtere oſtendentur, quae ſimul plures ſonos minime harmonicos edant. Huiusmodi autem exempla iam in ſuperiori diſſertatione ſunt prolata, ubi a filo pluribus corpuſculis onuſto eiusmodi ſoni diverſi edi poſſunt, qui, dum ne rationalem quidem rationem inter ſe tenent, maxime ab harmonia abhorrent, cuiusmodi plurima alia exempla in corporibus ſonoris, veluti campanis, laminis elaſticis, aliisque, in medium proferri poſſent. Idem quoque in cordis inaequaliter craſſis plerumque

rumque usu venit, quarum motum vibratorium Auctor in hac dissertatione definire est aggressus. Verum haec investigatio tantis implicatur difficultatibus, ut non, nisi pro certis inaequalitatis legibus, expediri possit, idque evenit ob defectum illius alterius Analyseos partis iam saepius memoratae, quae circa integrationem functionum duas variabiles involventium occupatur, et quae minime adhuc eo usque exculta est, ut cordae, utcunque inaequaliter crassae, motus vibratorius inde definiri possit. Duos igitur tantum casus Auctor expedivit, alterum, quo cordae crassities secundum certam figuram conicam variatur; alterum vero, quo corda ex duabus partibus disparibus est composita, cuiusmodi oritur, si duae cordae ordinariae, altera crassior, altera tenuior, connectantur. Talium cordarum motum semper fore maxime irregularem, neque idcirco ulli sono musico edendo aptum, observat Auctor, nisi partium longitudo reciprocam teneat rationem diametri crassitiei, quo solo casu corda perinde sonabit, atque corda ubique aequaliter crassa. Praeterea vero quoque sub certis tantum conditionibus vibrationes isochronae nasci possunt, quas Auctor accurate investigat; ad quod cum calculus satis prolixus requiratur, quem in genere expedire haud licet, casum evolvit, quo ambae partes paris sint longitudinis, pondus autem alterius altero quadruplo sit maius; calculoque absoluto invenit, talem cordam plures sonos simul edere, qui *sint* inter se ut hi numeri 0, 30408; 0, 69591; 1, 30408; 1, 69591; 2, 30408 etc. qui cum sint incommensurabiles, maxime quoque erunt dissoni, etiamsi ab eodem corpore sonoro simul edantur. Denique Auctor iterum ad chordas utcunque inaequaliter crassas revertitur, atque in eos casus inquirit, quibus saltem vibrationes isochronae produci queant, postquam scilicet corda initio certo quodam modo fuerit impulsa, hocque similibus casibus evenire observat, quibus aequationem *Riccatianam*, de qua supra est actum, resolvere licet.

III. Pro-

III. Proponitur Thermometri metallici deſcriptio, Auct. *I. E. Zeihero*. Omnium thermometrorum ratio huic innititur phaenomeno univerſali, quod omnia corpora calore in maius volumen expanduntur, frigore autem in minus contrahuntur. Quodſi ergo cuiusque corporis verum volumen quavis tempeſtate exactiſſime dimetiri liceret, mutatio in caloris gradu facta inde commode diiudicari poſſet, nihilque referret, ſive corpus illud foret ſolidum, ſive liquidum; etiamſi forte vera caloris quantitas perperam incremento voluminis proportionalis cenſeatur. Quantumvis autem iſtud thermometrorum principium firmum videatur, et ad ſcopum egregie accommodatum, id tamen in ſe ſpectatum, omni plane uſu deſtitueretur, niſi ſingularis conditio ei eſſet adiuncta, qua fit, ut ab eodem caloris gradu in diverſis corporum generibus omnino diſpares voluminis expanſiones producantur; quam circumſtantiam auctores non ſemper ſatis ſollicite perpendiſſe videntur. Quodſi enim omnia corpora pro ratione magnitudinis ab eodem gradu caloris aequalia voluminis incrementa acciperent, nullo plane modo, nobis quidem, has mutationes, quantumvis fuerint magnae, obſervare liceret, quandoquidem etiam menſurae, quibus uti conſuevimus, parem mutationem ſubirent, ſicque perpetuo ad corpora menſuranda eandem rationem conſervarent. Neque ergo thermometra vulgaria, etiam in maxima tempeſtatis commutatione, ullam variationem eſſent indicatura, ſi vitrum pari expanſioni a calore oriundae eſſet obnoxium, atque liquor in eo contentus. Ex quo haec thermometra eatenus tantum variationi caloris ac frigoris indicandae ſunt apta, quatenus liquor, quo tubi vitrei cum bulla ſubnexa impleri ſolent, minorem mutationem a calore patitur, quam ipſum vitrum; quin etiam neceſſe eſt, ut mutatio vitri multo ſit minor, quam liquoris, quia alioquin effectus parum eſſet ſenſibilis. Hoc idem ergo quoque de corporibus ſolidis, quae ad ſimilem effectum producendum fuerint adhibenda, erit tenendum, ut

ſcilicet parietes, vel alius generis ſuſtentacula, iuxta quae menſura inſtitui debet, multo minus a calore afficiantur, quam virgae illae, vel bacilli, ex quorum expanſione gradum caloris diiudicari oportet. Pluribus igitur experimentis edoctus obſervavit ſolertiſſimus Auctor, in hunc finem optimo ſucceſſu bacillos, ſeu cylindros metallicos adhiberi poſſe, inter quos argenteos, ſeu ſaltem cupreos eligendos potiſſimum arbitratur, quod non ſolum a caloris mutatione inſignem variationem accipiant, ſed etiam praegrandem caloris gradum ſine fuſione ſuſtinere queant. Tum vero modum excogitavit, plures huiusmodi cylindros ita inter ſe adaptandi, ut mutationes ope vectium indicandae tandem quantumvis magnae reddantur; neque vero et hunc effectum expectari poſſe evidens eſt, niſi paries vel fulcrum, in quo, tanquam corpore fixo, hypomochlia illorum vectium conſtituuntur, multo minorem expanſionem ab aucto calore patiantur. His circumſtantiis probe perpenſis, nullum eſt dubium, quin huiusmodi nova thermometra metallica aeque commode ad tempeſtatis mutationes indicandas uſurpari queant, atque vulgaria, ſive ſpiritu vini, ſive mercurio impleri ſolita.

IV, Thermometrorum punctis conſtantibus gaudentium emendatio. Auct. *I. E. Zeihero.* Nimis ſaepe evenire ſolet, ut cum thermometra omni cura fuerint conſtructa, ac praecipue ſcalae diviſionum, in tabulis metallicis nitidiſſime elaboratae, tum diffracto forte tubo vitreo, omnis opera pereat, neque eadem ſcala deinceps iterum ad ſimilem ſcopum adhiberi poſſit. Graduum enim in ſcala exſculptorum magnitudo ita pendet a ratione, quam tubi amplitudo tenet ad bulbi capacitatem, ut niſi in duobus huiusmodi inſtrumentis haec ratio exactiſſime fuerit eadem, quod certe rariſſime contingit, eadem iis inſervire nequeat. Hinc Cl. Auctor remedium ingenioſe excogitatum proponit, quod in hoc conſiſtit, ut tubo thermometrico loco bulbi vitrei

vitrei capſula ferrea adaptetur, quae ope cochleae, ipſi inſertae, facile ita parari poteſt, ut eius cavitas pro lubitu ampliari et coarctari queat. Sic enim paucis experimentis inſtitutis haud difficulter ea capacitas capſulae definietur, quae ad tubi amplitudinem relata praeciſe eandem graduum magnitudinem exigat, quae deſideratur, eique proinde ſcala iam confecta optimo ſucceſſu adiungi queat, ſi modo tantum liquoris infundatur, ut unicus temperiei gradus recte deſignetur.

V. Emendatio Microſcopii Solaris. Auct. *F. V. T. Aepino.* Obiectorum minimorum per microſcopia ſolaria, qualia adhuc ab artificibus ſunt conſtructa, repraeſentationem pluribus vitiis eſſe inquinatam, vel inde intelligitur, quod, cum radii lucidi per ipſa obiecta transmittantur, horum forma eatenus tantum in imagine exprimatur, quatenus ipſa ſunt pellucida, ita ut, ſi hac proprietate carerent, nulla prorſus repraeſentatio efficeretur. Deinde ob eandem rationem, quod radii ſolares, qui ad illuminationem adhiberi ſolent, per ipſam quaſi ſubſtantiam obiectorum tranſire debent, inſignes refractiones patiuntur, quibus fit, ut imagines intolerabilibus iridis coloribus circumfuſae exhibeantur. Hoc ſcilicet vitio microſcopia ob ingentem ſpeciei multiplicationem multo magis premuntur, quam laternae magicae, quarum conſtructio certam rationem ſequi ſolet. Utrumque autem horum inſtrumentorum genus *Cel. Eulerus* ab hoc ingenti vitio feliciter liberavit, dum eiusmodi ſtructuram docuit, qua obiectorum maxime opacorum imagines, tam per microſcopia ſolaria, quam per laternas magicas, ſine ulla confuſione nitidiſſime repraeſentantur, dummodo ſufficienti luminis copia illuſtrentur: quod egregium inventum in Tom. III. Nov. Comment. Academiae Petropol. ita accurate extat explicatum, ut huiusmodi inſtrumenta a ſolerti artifice haud difficulter confici poſſint. Maximum autem ad hunc ſcopum adiumentum Cel. huius

diffe-

dissertationis Auctor attulisse merito est censendus, dum vulgaria microscopia solaria, ope levis mutationis in eorum structura faciendae, ad hunc novum usum transferre docuit, neque ullum est dubium, quin duabus pluribusve lentibus adhibendis repraesentatio adhuc praestantior obtineri possit, quem summum perfectionis gradum Auctor pollicetur.

VI. Dissertatio de Experimento quodam magnetico. Auct. *F. V. T. Aepino*, cum Additamento ad dissertationem istam auctore eodem. Virtute magnetica impraegnatur filum ferreum non solum, cum ad polos magnetis affricatur, sed etiam dum quodam intervallo remotum super ambos polos traducitur. Quod cum olim diligentissimus naturae scrutator Gallus, *Du Fay*, plurimis experimentis esset prosecutus, insigne ac maxime mirandum phaenomenon observavit, quod poli magnetici, qui filo ferreo in minori distantia super polos magnetis traducto imprimuntur, iidem in maiori distantia ita inter se permutentur, ut, qui terminus in minori distantia naturam poli borealis esset nactus, idem in maiori distantia ad polum australem dirigeretur. Quod phaenomenon cum omni theoriae, quae quidem ad magneticos effectus explicandos excogitari queat, maxime adversari videatur, Cel. Auctor in eo est occupatus, ut eius egregium consensum cum ea Theoria, quam nuper circa vires magneticas et electricas protulit, dilucide demonstret. Quem in finem supponit, vires attrahentes et repellentes amborum cuiusque magnetis polorum in unicum punctum coactes esse, et rationem sequi inversam distantiarum, indeque evenire posse per calculum omni rigore geometrico institutum ostendit, ut ab istis viribus coniunctis in maiori distantia omnino ei contrarius producatur effectus, qui alias in minori distantia exeratur. Deinde animadvertit, quod etsi assumtae hypotheses naturae minus sint consentaneae, et etiamsi verae vires magneticae ab hac lege discrepent, similem tamen effectum inde resultare debere, in

quo

quo haud debile Theoriae ſuae firmamentum ſitum eſſe contendit. Iungit tum huic diſſertationi ſupplementum eximium, in quo multa alia experimenta nova, *Fayano* non abſimilia, a priori ex theoria ſua praeviſa, et experientiae penitus conſona, recenſet et explicat.

VII. Cogitationes de aggeribus conſtruendis, Auct. *L. Eulero.* In provinciis maritimis haec quaeſtio maximi eſt momenti, ubi littora adverſus fluctuum impetum aggeribus muniri oportet, quorum tam exſtructio, quam conſervatio, ingentes ſumtus poſtulat. Antequam igitur huiusmodi opus ſuſcipiatur, ſollicite eſt disquirendum, utrum reditus ex terris, hoc modo munitis, percipiendi, expenſas ad aggeres requiſitas ſuperent, nec ne? Niſi enim cultura terrae plus fructuum afferret, de aggerum extructione cogitandum ne quidem foret. Tum vero etiam inprimis eſt perpendendum, ſi littorum ora fuerit valde irregularis et ſinuoſa, minime eſſe conſultum, aggeres iuxta ipſam littoris figuram duci, ſed potius praeſtare, ut aggeribus a littore reductis forma commodior tribuatur. Quanquam enim hoc modo minor terrae tractus includitur, unde propterea minores fructus percipiantur; tamen fieri poteſt, ut haec iactura aggeris contractione, ob multo minores ſumtus, in eius extructionem requiſitos, largiter compenſetur. Semper igitur haec quaeſtio diligentiſſime evolvi meretur, qua quaeritur: quomodo, data littoris cuiuspiam figura, aggeres in eo ſint conſtruendi, ut fructus ex terra percipiendi maximo lucro excedant ſumtus, in aggerum tam extructionem, quam conſervationem, impendendos: in qua disquiſitione facile intelligitur, ſaepius evenire poſſe, ut maxime expediat, minorem terrae portionem hoc modo muniri, lucrumque inde expectandum, ob aggeris diminutionem, multo maius eſſe aeſtimandum. Ad huiusmodi ergo quaeſtiones enodandas ante omnia expendi oportet: primo, quantas expenſas exſtructio aggeris datae longitudinis, veluti unius perticae,

poſtulet; ſecundo, quantum ad conſervationem talis portionis aggeris quotannis requiratur, quos annuos ſumtus, tanquam uſuram, ad ſortem fixam revocari convenit, quibus coniunctis totum pretium unius perticae aggeris habebitur; tertio vero ad fertilitatem et uſum terrae muniendae eſt ſpectandum, ut pateat, quantos fructus a qualibet pertica quadrata quotannis expectare liceat, quos pariter ad ſortem fixam reduci conveniet. His rebus accurate determinatis, quaeſtio ad meram Geometriam et Analyſin revocatur, cuius tamen reſolutio ingentem circumſpectionem poſtulat, ideo neceſſariam, quod aggeres quidem quantumvis intra continentem reduci, neutiquam vero ultra extremam littoris oram extendi licet. In provinciis etiam aggeribus iam munitis haec eadem quaeſtio ſaepius occurrere ſolet, quando ſcilicet fluctus marini ſenſim tantum terrae ultra aggeres alluunt, ut operae pretium videatur, hanc novam terram novo aggere cingi, et in uſum converti. Quod cum non ita pridem in provincia Germaniae maritima contigerit, atque haud levis controverſia circa novi aggeris extructionem fuerit orta, et ad Auctorem delata, anſam ei praebuit, hoc argumentum, quod ſaepius ſummum uſum habere poteſt, accurate pertractandi. Tertium locum occupant PHYSICA, quae exhibent

I. Ad Obſervationes et Experimenta de Mercurio ex ſcriptis *Hermanni Boerhave* Supplementum I. *recenſente Carolo Friderico Kruſe.* Si quis Chemicorum naturam mirabilis metalli Mercurii. (quidni enim metallum dicamus, quod noſtra aetate a frigore ambiente condenſari, et iterum ab augmento caloris fluidum fieri experti ſumus?) intelligenter ac indefeſſo ſtudio exploravit, is certe eſt vir ſummus, in arte ſalutari et hermetica communis Medicorum praeceptor, immortalis *Hermannus Boerhave.* Fidem faciunt huius aſſerti ſcripta eius, cum Regia ſcientiarum Academia Pariſienſi, et cum ſocietate Regia Londinenſi communicata. Stupendo labore, conſtantia Herculea, per XV. annos, uno igne, Mer-

Mercurium torſit, naturam variis artificiis ſollicitavit, immo coëgit, ut vel invita ſecreta ipſi ſua revelaret. Superaddidit praeterea IV. annorum labores. Perrexit enim in hac opera quoad vixit, ita ut nil dici poſſit, quod ipſius experimentis et obſervationibus aequiparari queat. Felici Chemicae artis, imo univerſae ſalutaris doctrinae fato, factum eſt, ut ſcripta viri immortalis typis nondum exſcripta, poſtquam ab *Hermanno* et *Abrahamo Kaau*, fratribus Boerhaviis, in Ruſſiam perlata eſſent, haereditaria poſſeſſione ceſſerint Viro Illuſtri, *Carolo Friderico Kruſe*, AUGUSTAE omnium Ruſſiarum IMPERATRICIS Archiatro ac Conſiliario Status actuali, Academiae Imperialis Scientiarum Socio, *Hermanni Kaau Boerhavii* genero, qui, quod *Abrahamus* animo conceperat, at immatura morte facere prohibitus eſt, ſcripta *Boerhaviana*, publico emolumento ſtudens, ſigillatim edet. Primum hoc, quod praedicamus, ſpecimen oſtendit, quid impoſterum expectare debeamus. Academia non poteſt non lubenter recipere, et in publicum uſum emittere ſcripta viri, quem inter Collegas quondam ſuos numeraſſe honori ſibi ducit. Scopus tantorum Mercurio impenſorum laborum hic fuit, ut conſtaret, quid de promiſſis Alchemiſtarum, fixationem, ſolidationem, transformationem Mercurii iactantium, ſperare fas ſit. Si, quod nonnullis placet, primum favorabiliter ſenſit de via, Mercurii ope, ad magnum, quod vocant, opus ducente, procul dubio admirabiles huius metalli qualitates reſpexit, quae, quo difficiliores eſſent explicatu, eo magis inducere debuerunt ſincerum atque veritatis amantem virum, ut non omnem prorſus fidem denegaret exemplis, de metallo hermetica arte parato afferri ſolitis. Philoſophi eſt, in dubium vocare quae non intelligit, aut quae explicare neſcit; negare non item. Ad hoc requiritur, ut impoſſibilitatem demonſtrare valeat. Id autem eſt, quod millies et novies repetita experimenta Philoſophum docuerunt. Obſervavit namque, Mercurium, varias licet induentem formas, aſt re ipſa immutabilem, vehementiore nimirum ignis

actione, in priſtinam ſemper formam redire. Ergo non inutiliter operam ſuam collocaſſe eſt cenſendus magnus *Boerhavius;* in periculoſo mari Syrtes, ad quas multi bonorum ſuorum naufragia fecerunt, evitare docuit: utilius ſane, quam ſi poſſibilitatem transmutationis Mercurii in aurum oſtendiſſet, aut ſi ipſum aurum, in perniciem aliorum et ſui, conficere docuiſſet.

II. et III. Obſervationes meteorologicas, annis 1757 et 1758. Petropoli factas, cum animadverſionibus et conſectariis, Auct. *I. A. Braun.* De ipſis obſervationibus, ut quae eadem methodo, iisdemque ac praecedentes inſtrumentis, ſunt inſtitutae, nil dicere attinet. Operae autem pretium eſt, ſingularia quaedam notatu digna huc transferre.

Anno 1757.

Altitudo Barometrica, maxima ex omnibus, quae Petropoli obſervatae fuerunt, hoc anno fuit,

29. 12 poll. Pariſ.
30. 35 — Lond.

Calor maximus 97 grad. therm. Delisliani hoc aeque ac ſequente anno obſervatus eſt, qui aequalis eſt calori hominis naturali, et ſanguinis in homine ſano. Calor fere perpetuus per totam aeſtatem ac intolerabilis. Serenitas dierum per totum annum extraordinaria.

Anno 1758.

Calor maximus, etiamſi calori praecedentis anni aequalis fuit, minus tamen frequenter accidit. Menſe Iulio nullum tonitru, quod ſatis inſolitum. Copia pluviae per omnem aeſtatem 16. poll. Pariſ. quod etiam inſolitum, quare a nimia humiditate annona multa et foenum periere. Declinatio magnetis, ut fere ſemper ſolet $4\frac{1}{2}°$ W. Maculae in ſole copio-

copiosissimae. Tempus medium, quo glacies Nevae fluvii solvi solet, est circa d. 8. Aprilis, congelationis terminus medius circa 20. Novembris, monstrante thermometro Delisliano 166. gradus, siquidem hoc frigus per aliquot dies durat.

IV. Descriptionis Piscium rariorum, e Museo Petropolitano exceptorum, Continuationem, Auct. *I. T. Koelreuter.* Sex pisces sunt, eadem methodo, qua illi in praecedente volumine, descripti, nempe: Cyprinus pinna caudae horizontali, subtrifida, dorsuali fastigata, parvula. Gobio, pinna ventrali subrotunda, acetabuliformi, e duobus pedunculis, octoque radiis, valde ramosis, composita. Gobio, pinna dorsuali unica, longa, pectoralibus latissimis, acetabulum planiusculum includentibus. Sparus, duabus utrinque maculis notatus; primo pinnarum ventralium radio longissimo, astaci antennam referente. Labrus valde oblongus, taeniis tribus candidis, diversae longitudinis, insignitus, cauda integra.

Scomber, dorsi anique pinna continua, aculeis ad utriusque initium accessoriis. In fine tandem huius Voluminis ponuntur ASTRONOMICA. In his

I. Observationes aliquot astronomicae et meteorologicae, Lipsiae habitae *a Godofr. Heinsio.* Varias continet hoc a Cl. *Heinsio* ad Academiam Petropol. transmissum scriptum Observationes, separatim hic indicandas. Die 24. Ian. styl. nov. An. 1758. Eclipsin Lunae totalem observabat Cl. Vir, quae vero observatio per intercurrentes nubes, et male terminatam, praesertim sub initium, umbram telluris, turbata quodammodo fuit. D. 26. Ian. eiusd. anni post merid. hora circ. $2\frac{1}{2}$ occupatus erat in capiendis altitudinibus Solis correspondentibus, atque direxerat quadrantem ita, ut linea fiduciae 11°. $40\frac{1}{2}'$. responderet. Pronus ad contactum iam erat cum filo tubi horizontali Solis nubi densiori involuti superior limbus, cuius admodum exigua portio infra fi-

lum horizontale adhuc perſiſtere videbatur, fruſtra vero per aliquod tempus ipſius contactus celebrationem exſpectabat. Per 20. enim minuta ſecunda nulla ſenſibilis huius portionis imminutio, nullus ſenſibilis acceſſus limbi ad filum, obſervari poterat, usque dum tandem 17″ ſerius, quam fieri debuiſſet, contactus conſequeretur. Inuſitata haec a nube interpoſita producta irregularis refractio, (pro huius enim effectu ſine dubio hoc phaenomenon habendum eſt,) cautos reddere debet Aſtronomos, ne per nubes captis altitudinibus aſtrorum coecam habeant fidem. Cum Anno 1758. d. 17. Apr. ſt. nov. Lunae partialis obſcuratio contingeret, ob varia incommoda non niſi finem Eclipſeos annotare potuit Cl. Auctor, quem conſecutum eſſe $8^h . 35\frac{1}{4}'$. ſufficiente cum certitudine ſtatuere ſe poſſe putat. D. 21. Iun. Anno 1757 $8^h . 57'. 55''$. emergentem poſt lunae diſcum ſtellam primae magnitudinis, *Cor Leonis* vocatam, vidit *Cl. Heinſius*, et d. 10. Iul. eiusdem anni $9^h . 31'. 20''$. ſecundi Satellitis Iovis emerſionem totalem annotavit. Indicavit etiam Cl. Auctor, viſam a ſe An. 1756. ultimis Septembr. et primis Octobr. diebus Venerem interdiu oculis nudis,, per duas tresve horas, poſt ſolis ortum, ut anno 1748. in Obſervationibus ad Academiam miſſis, et in Tom. III. horum Commentt. evulgatis, praedixerat; ac denique obſervationes quasdam meteorologicas communicavit, ex quibus patet, maximum calorem aeſtivum, barometrique altitudinem mediam Lipſienſem, Petropolitanis fere aequari, Petropoli vero barometrum ab hoc termino utrinque notabiliter longius excurrere, quam Lipſiae fieri ſoleat.

II. Obſervatio Eclipſeos Solaris, quae contigit Anno 1758. d $\frac{19}{30}$. Decembr. habita Petropoli, ab *A. N. Griſchow*. Poſt indicatas obſervationes, pro examinando motu horologii penduli inſtitutas, finem huius Eclipſeos contigiſſe $9^h . 36'. 45'' - - - - 9^h . 37'. 0''$. ſtatuit *Cl. Auctor*. In limite 15″. dubiam reddiderunt hanc obſervationem fumus

foco-

focorum atque vapores undantes, qui aerem inquinabant.

III. Inſtrumentorum Aſtronomicorum, Reticulo, aut Micrometro inſtructorum, nova emendatio, Auct. *F. V. T. Aepino.* Commoditati Obſervatoris, ut in imaginanda inſtrumentorum aſtronomicorum conſtructione proſpiciatur, res eſt maioris momenti, quam ad primum intuitum videri poſſet, cum obſervationum fides atque acumen manifeſto inde patiantur, ſi aſſumere aut diu ſervare incommodum corporis ſitum cogatur Aſtronomus. Laborant incommodo tali inſtrumenta aſtronomica micrometro praedita, conſueto more conſtructa, quod Obſervator ipſis utens, ſi ad obiectum ſuper horizontem valde elevatum ipſa dirigit, reclinare caput atque corpus, immo ſupinum interdum ſitum aſſumere debeat. Conatur ipſa ab hoc defectu liberare Cl. Auctor, ope ſpeculi metallici plani, quod tubo, non longe a foco vitri obiectivi inclinato ad axem viſionis ſitu, ita inſerendum eſt, ut radii per axin tubi incedentes, in directione horizonti parallela ab ipſo reſiliant. Imponit autem, prouti Auctor monet, novum hoc inſtrumentorum additamentum, novae verificationis neceſſitatem Aſtronomo, quae, qua ratione commode perfici queat, ſub finem exponit.

IV. Obſervatio Eclipſeos Lunae d. 18. Maii ſt. v. Anno 1760. Petropoli habita, Auct. *N. Popow*, *Andr. Kraſilnikow*, et *Nic. Kurganow.* Obſervatum eſt initium huius Eclipſeos $11^h. 18'. 47''.$ circiter, finis vero $12^h. 4'. 42''.$ cum aliquibus momentis aliis, quorum tamen nullum, praeter finem, ſatis ſecurum eſt, uti Obſervatores declarant. Adiunxerunt Cl. *Popow* et *Kraſilnikow* obſervationem initii Eclipſeos ſolaris eod. anno d. 2. Iun. ſt. v. viſae, quod $9^h. 1'. 44''.$ accidiſſe ſtatuitur.

V. Eclipſis Solis Lipſiae viſa hor. mat. d. 13. Iunii ſtil. nov. Anno 1760. Auct. *G. Heinſio.* Eiusdem huius Eclipſeos ſimi-

ſimiliter non niſi initium vidit *Cl. Heinſius*, quod ſtatuit cecidiſſe in $7^h. 25'. 34''$. tam exacte, ut ingreſſus ſolis in diſcum lunae ad inſtans quaſi in oculos incurreret.

VI. Obſervatio Eclipſeos lunaris d. $\frac{3}{14}$. Maii 1761. habita in Obſervatorio Imper. Petropolitano, Auct. *F. V T. Aepino.* Praeter initium et finem Eclipſeos, diſcique Lunae immerſionem totalem, atque emerſionis initium, praecipuarum quoque macularum immerſionem et emerſionem ex umbra, annotavit Cl. Auctor, qui monet, ob vapores denſos, ac forte crepuſculum, de immerſione et emerſione macularum ſe ipſum per minutum dimidium, immo ulterius, inter obſervandum dubium haeſiſſe, reliquis vero momentis maiorem fidem adſcribit. Tam denſa erat umbra terreſtris, ut per ſat longum tempus penitus quaſi luna ex coelo evaneſceret, neque ullum ipſius veſtigium ſupereſſet.

VII. Ad Nova Acta Petropolitana Acad. Scient. Tom. III. Additamentum ex Sinis *P. Antonii Gaubil*, S. I. Obſervationes Satellitum Iovis, pro determinanda locorum poſitione Geographica, ſedulo ac ſolerter inſtituere, ſuprema Obſervatoribus Aſtronomis, qui Sibiriam et Kamtſchatkam peragrarunt, lex fuit. Dolendum autem, non valde multas obſervationes huius generis, et publica luce dignas, ad Academiam perveniſſe: quod, utrum praematurae morti Viri Cl. *Ludovici de l' Isle de la Croyere* d. 10. Octobr. 1741. in Kamtſchatka extincti, an aliis cauſis adſcribendum ſit, non inquirimus. Palmam reliquis praeripere viſae ſunt obſervationes a ſollertiſſimo obſervatore *Kraſilnikovio* habitae; quare in Vol. III. Nov. Comment. typis exſcriptae ſunt, addita collatione cum ſimilibus, in ſpecula Aſtronomica Petropolitana inſtitutis obſervationibus, unde differentia temporis Petropolin inter et varia Sibiriae et Kamtſchatkae loca pateſcit. Aſt dices, ipſius Petropoleos Longitudinem adhuc quidem dubiam videri poſſe, quia trifariam notata reperitur, et, utra deter-

determinatio reliquis ſit praeferenda, non liqueat. Tom. I. Comment. p. 480. habetur 47°. 57′. 30″. in Syllabo Long. et Latit. Atlanti Ruſſico praefixo extat 47°. 49′. et ex Ephemeridibus Aſtronomicis Pariſienſibus colligitur, eſſe 47°. 53′. 45″. Hac occaſione notare iuvabit, ultimam determinationem, ſecundum obſervationes b. *Griſchovii* factam eſſe videri, quia in diſſertatione Tom. VIII. Nov. Comm. inſerta p. 434. differentiam temporis Petropolin inter et Pariſios eandem, quam Ephemerides Pariſienſes nobis exhibent, aſſumſit, nimirum: 1ʰ. 52′. Dum autem *Griſchovium* nominamus, cuius obſervationes quanta accuratione ſe commendare ſoleant nemo ignorat, maximam ſimul conciliamus huic determinationi auctoritatem. Ideoque, interea dum Obſervatores noſtri Aſtronomi certius quid hac de re ſtatuant, non dubitamus longitudines locorum ex obſervationibus *Krafilnikovii*, poſita long. Petrop. 47°. 53′. 45″. ſequentem in modum ſtabilire:

Kirenskoi oſtrog	- - -	125°.	36′. 30″.
Iakuzk	- - - - -	147.	14. 45.
Portus Petri Pauli	- - -	176.	8. 45.
Bolſcherezkoi oſtrog	- -	174.	52. 0.
Ochozkoi oſtrog	- - -	160.	47. 15.
Iudomskoi kreſt	- - -	157.	27. 15.
Tomsk	- - - - -	102.	33. 15.

Addimus longitudinem Caſtelli Iamyſchewskaia, quae, cum differentia meridianorum eiusdem et Petropoleos, ſecundum obſervationes *Krafilnikovii*, a b. *Griſchovio* quondam ſtatuta ſit 43°. 47′. erit 91°. 40′. 45″. His praemonitis, diſpiciamus novas locorum determinationes, quas *R. P. Gaubil* in hoc additamento nobis offert. Comparavit obſervationes *Krafilnikovii* cum aliis eodem tempore Pekini, et in ſtatione Gallica Chandernagor, quae ad Gangetis fluvii oſtium in India orientali exſtat, inſtitutis, differentiamque temporis annotavit; quae quidem opera ſupervacanea videri nequit, tum quod confirmantur inde poſitiones ſupra determinatae, tum quod duorum locorum determinationes adduntur, quorum obſervationibus correſpondentes ante non extabant.

tabant. Sciendum autem, quod ex Ephemeridibus Parisiensibus constat, Pekinum et Parisios differentiam temporis $7^h . 36'. 10''.$ intercedere, Chandernagor Parisiis $5^h . 44'. 37''.$ distare. Iam posita longitudine observatorii Parisiensis, ut ex novissimis observationibus stabilita est $19^\circ . 53'. 45''.$ emergunt inde longitudines pro

Ilginskoi ostrog	122°.	30'.	0''.
Olecminskoi ostrog	137.	4.	45.
Iakuzk	146.	18.	7.
Portus Petri Pauli			
ex observ. Pekin.	176.	4.	15.
ex observ. Chandern.	176.	28.	31.
Bolscherezkoi ostrog	174.	12.	0.

Ubi observationes, si illas, quae urbem Iakuzk concernunt, excipias, sic satis cum superioribus consentiunt. Latitudines recensitorum hactenus locorum, secundum eiusdem *Krasilnikovii* observationes, hae sunt:

Ilginskoi ostrog	54°.	42'.	
Kirenskoi ostrog	57.	47.	
Olecminskoi ostrog	60.	22.	
Iakuzk	62.	2.	
Iudomskoi krest	60.	5.	$3\frac{1}{2}''$.
Ochozkoi ostrog	59.	20.	10.
Bolscherezkoi ostrog	52.	54.	30.
Portus Petri Pauli	53.	1.	20.
Tomsk	56.	29.	58.
Iamyschewskaia Castellum	51.	53.	10.

Notari meretur altitudo Poli a *R. P. Gaubil* Pekini in Collegio Gallico observata, quae est $39^\circ . 55'. 21''.$ Ephemerides Parisienses habent $39^\circ . 54'. 0''.$ quae quidem latitudo competit Collegio Iesuitarum Lusitanorum et Germanorum, ut infra adparebit. Finit *R. P. Gaubil* additamentum suum observatione de situ urbis Aigun, qua error circa positionem huius urbis in Atlante Russico commissus corrigitur. Ex re sane. Attamen diffitendum non est, eundem errorem Academiam quoque animadvertisse, et in Tabula, accessiones Geographicas in ultima expeditione Kamtschat-

ſchatkienſi detectas repraeſentante, ratione habita Atlantis Sinici a *Cel. Danville* evulgati, correxiſſe. Eſt autem Aigun, vel Aiiunchun, vetus nomen caſtri cuiusdam deſerti, valle ex terra congeſto muniti, et dimidio fere milliari a Seiae, vel Dſiae, fluvii, in Amurem oſtio, ſecundis aquis, diffiti. Hoc cum Sinenſes ſaeculi ſuperioris octogeſimo tertio anno, fervente cum Ruſſis bello, inſederint, duobus annis poſtea, ex oppoſito illius, aut paullo infra, ad ripam Amuris meridionalem, urbem Sagalin-Ula-Choton, uti in Cel. *Danvilli* Tabula Geographica videre eſt, exaedificarunt. In Academiae Tabula nomen Aigun adſcriptum eſt, quia ita quoque urbs Sinica communiter appellari ſolet. Ipſe quoque *R. P. Gaubil* non vetus caſtrum deſertum, ſed urbem a Sinis inhabitatam, ſub nomine Aigun intellexiſſe videtur.

VIII. Mercurius in Sole obſervatus Pekini Sinarum Anno 1756. d. 7. Novemb. a *P. Auguſtino Hallerſtein*, S. I. Non haec prima eſt, quam ex Sinis habemus, Mercurii in Sole viſi obſervatio; namque iam annis ſuperioris ſaeculi 90. et 97. eundem tranſitum Cantoni, et in urbe Tſchaotſcheu contemplatus eſt *P. Fontenay*, S. I. cuius obſervata in Memoriis Academiae Pariſienſis extant: aſt prima eſt atque palmaria haec obſervatio, ſi indefeſſum Auctoris ſtudium, ſi inſtrumentorum aptitudinem, ſi laborum ſucceſſus ſpectes; prima, quam doctiſſimus Auctor, ex ditiſſima penu obſervationum ſuarum aſtronomicarum, quam prelo parat, excerpſit, et cum Academia communicavit. Pergunt nimirum eodem ſemper ſtudio Ieſuitae in Sinis aſtrorum ſcientiam obſervationibus ſuis locupletare, cognitionem Syſtematis noſtri Solaris, terreſtrisque globi, amplificare et perfectiorem reddere. Quod niſi eſſet, multa ſane incognita nobis manſiſſent, quae illorum ope comperta habemus atque explorata. Unum dicamus, quod utilitatem obſervationum Sinenſium clare oſtendit. Innumera phaenomena caeleſtia contingunt, dum atra nox tegit Europam, eadem autem in extremitate Aſiae, in Sinis, expertum ac ſedulum obſervatorem non effugiunt. Huc quoque pertinet obſervatus in Sinis Mercurii ſub ſole tranſitus, qui 7. Novemb. 1756. accidit. Hunc

in Europa totum conſpicere non licuit, quoniam, cum inciperet, ſol adhuc ſub Horizonte morabatur. Perfectiorem autem, quam quae hoc loco exhibetur, obſervationem, vix Aſtronomi deſiderabunt. Praeter initium atque finem huius phaenomeni, exacte notata, Mercurii ſub ſole incedentis 58. loca determinavit R. Auctor, capiendo Micrometri ope differentias declinationum, et ex appulſibus ad horarium differentias aſcenſionum rectarum deducendo. Eſt autem R. Pater *Auguſtinus Hallerſtein* Tribunalis mathematici in Sinis Praeſes, P P. *Adami Schall*, *Ferdinandi Verbieſtii*, et *Ignatii Koegleri*, dignus ſucceſſor, vir, cuius ſingularem eruditionem, humanitatem, et ardorem in bonas artes, quippe cui et commercium epiſtolicum cum Academia Petropol. intercedit, hac occaſione data encomio celebrare, officii ratio poſtulat.

MONTES GLACIALES HELVETIAE, DESCRIPTI a THEOPHILO SEGIMUNDO GRUNERO, Senatus CC. Bernenſis reipublicae Oratore. P. I. p. 1-237. P. II. p. 1-224. P. III. p. 1-219. Octonis.

Bernae apud Wagnerum, 1760.

Poſt multos, qui univerſae Helvetiae deſcriptionem libris editis complexi erant, primus *I. H. Hottingerus* D. docta, ſed brevi diſſertatione, ſigillatim de his montibus expoſuit, quae typis excuſa legitur in Ephemer. Acad. Leopold. I. 9 et 10. in Append. 1706. p. 41. Quem exceperunt in Transactionibus Anglicanis *Scheuchzerus*, de altitudine montium Helvet. (Philoſ. Transact. N. 406) porro qui de glacie eorundem et criſtallis differuit, *Iohannes de Muralt*, (ib n 49.) denique *Anonymus*, qui peculiari libello glacialium Bernenſis agri montium naturam deſcripſit. Inter quos multa docte, uti ſolitus erat, enarravit Scheuchzerus: caeteri pauca, nec ea alicuius momenti. Succeſſit *Wolgangi Chriſtenii* deſcriptio montium glacialium Helvetiae, gallico idiomate exarata, ipſam quoque mineralium Bernenſis regionis

gionis rationem complexa, ſed, quod in plerisque eius generis libris magnopere dolendum, typis nondum impreſſa. Alia Diſſertatio, de glacialibus Foſſigniacenſibus, inſerta fuit Actis Helveticis anni 1743. menſ. Maio et Iunio. Poſt hos *Altmanus* V. Cl. ſingulari libro expoſuit inprimis de glaciali Grindelwaldenſi, pariterque de Raetslisbergenſi Langhanſius. Sed quae ab iſtis ſeparatim fuerunt tradita, nec de univerſis Helvetiae montibus, ea nunc multo diligentius copioſiusque exequutus eſt doctiſſimus Grunerus, fere ubique propriis obſervationibus adiutus. Pars prima huius operis continet deſcriptionem phyſicam et geographicam montium glacialium agri Bernenſis et Valleſienſis, in Sectiones VIII. diſtributam.

I. Eſt de itinere verſus montana regionis Bernenſis, glacie obducta, continetque deſcriptionem univerſam geographicam et phyſicam. Sequuntur ſpeciales.

II. Deſcribit glaciales Oberhaslithalenſes ditionis Bernenſis, ubi inprimis copioſe exponitur de iugo Grimſelbergenſi, et de Arolae fontibus.

III. Complectitur glaciales Grindelwaldenſes.

IV. Enarrat glaciales vallis Pauterbrunnenſis. Hic vero inprimis eminet elegantiſſima deſcriptio torrentis in regione villae Eiſenfluh, cui apud Helvetios vernaculum nomen *Pletſchbach* tribui ſolet: eius aquae ſolis lumine tactae iridis radiis fulgent. Similem omnino imaginem vide deſcriptam P. II. p. 91. Nec omittenda narratio p. 113. fodinarum plumbearum prope Hauros, i. e. ad radices montis Steinberg dicti, et quae in fine huius capitis expreſſa eſt pulchra capricorni deſcriptio.

V. Sequitur de glacialibus Kanderthalenſibus, Frutigenthalenſibus, et Simmenthalenſibus.

VI. Deſcribuntur glaciales agri Saanenſis et Aelenſis, et fodinae ſalis in hac regione celebres.

VII. Exponitur de glacialibus borealibus agri Valleſienſis, geographice et hiſtorice. Complectitur haec Sectio deſcriptionem iugi bicornis, quod ſurgit in latere occidentali maioris montis S. Gotthardi, fontiumque Rhodani, et catarrhactarum.

VIII. Exponitur de glacialibus auſtralibus Valleſienſis agri, quibus glacialibus Foſſigniacenſibus nomen eſt. Hae Poenninae ſunt *Alpes*, veteribus naturalium rerum ſcriptoribus, v. c. *Plinio* H. N. II, 80. unde etiamnum ſupereſt vallis Pellinae ſ. Penninae nomen. Certum eſt, magnum montem S. Bernhardi olim *Montis Pennii* et *Montis Iovis* nomen habuiſſe, non quidem a Poenis ſ. Carthaginienſibus, qui duce Annibale hunc montem transcenderint, ſed rectius a *Deo Pennio O. M.* quam opinionem firmat inſcriptio vetus apud Graevium Epiſt. p. 466. eumque *Iovem* eſſe arbitratur Cluverius, Ital. ant. p. 339.

Pars altera huius operis deſcribit montes glaciales Italiae Helveticae, et Provinciarum Uri, Foederatorum i. e. Rhaetiae, Glaronae, Abbatiszellae, Suitiae, et Subſilvaniae, Sectionibus IX. quarum

I. Comprehendit montes dynaſtiarum Italiae Helveticae, eorumque inprimis Alpes Lepontinas maiores, quarum ſitum, adhibitis quoque veteribus Geographis, erudite deſcripſit Auctor. Nec omittenda, quae de Comenſi lapide, ad illuſtrandum Plinium, obſervavit p. 11. 12.

II. Enarrat glaciales regionis Urienſis, h. e. Alpes Lepontinas minores. Hic vero inprimis memoranda deſcriptio carbunculorum, quibus abundant petrae regionis Airolenſis, quae eſt ad radices magni montis S. Gotthardi, nec non fontium Teſſini fluvii. Hanc excipit narratio de ſitu et viis ſummi montis Helvetiae, adeoque totius Europae, cui a S. Gotthardo nomen eſt; quem omnino ſummae Alpes, quarum meminit Caeſar, exprimere videntur. Inde oriuntur fluvii maiores minoresve permulti, p. 26. 27. enumerati.

III. Pergit in recenſendis glacialibus Urienſis regionis; ubi inſeritur deſcriptio Pontis diaboli, et mineralium totius montium iugi.

IV. Sequuntur Alpes Rhaeticae, e quibus inprimis montem Adula, ſeu Avicula, vernacule Vogelberg dictum, depinxit Auctor, unde olim Alpes Adulae nomen habuerunt. Sunt ibi fontes Rheni, in quibus definiendis diſcrepant inter ſe doctorum virorum ſententiae. Credibile eſt, hunc fluvium prodire partim e montibus et rivulis fontium circa villam, cui a Rheno nomen

Digitized by Google

nomen eſt, partim e monte Cadelino eiusque glacie, partim denique e ſummo quod inter Lepontinas Alpes eminet faſtigio, indigenis Cima del Baduz dicto. Nec hic omittenda via mala vallis Domletsgerenſis. Mineralibus optimis abundat univerſa iſta regio.

V. Pergit in deſcribendis glacialibus Rhaetiae. Hic primo recenſentur Alpes Iuliae, non confundendae cum illis, quarum Livius meminit L. V. 34. ubi rectius Critici *Invias Alpes*, quam *Iulias*, legendas exiſtimarunt. Nec magis ad Rhaeticas referri poſſunt *Iuliae Alpes* apud Amm. Marc. I. 31. qui montes agri Veneti hoc nomine deſignavit. Unde Rhaeticis Alpibus Iuliarum nomen tributum ſit, docent haec Sexti Rufi: *Sub Iulio et Octaviano Caeſaribus, per Alpes Iulias iter factum; Alpinis omnibus victis, Noricorum Provinciae acceſſerunt*. In quarum ſitu deſcribendo laudanda eſt erudit. Gruneri induſtria, qui docet, Iulium montem in ſummis Europae montibus habendum eſſe; quam opinionem confirmant celeberrima illa flumina, quorum fontes ex his ipſis faſtigiis promanant: Oenus, qui Danubio iungitur; Albula, quae ad Rhenum abit; Meira denique, cuius aquae in Adriaticum mare effunduntur. Ad radices Montium Iuliorum ſunt aquae illae ſalubres Mauritiae, quas ſatis deſcripſit Scheuchzerus. Quae p. 108. obſervantur de perpetuo frigore, quo glaciales congeruntur et quaſi aluntur, lectu omnino digna ſunt. Frigus iſtarum regionum continetur ventis gelidis, qui e rimis et cavernis glacialium montium perpetuo prorumpunt, aëraque replent ita, ut qui ibi commorentur, in ſummo ſolis aeſtu frigore pereant. In montibus Clavennenſibus memorandae ſunt Cryptae Aeolicae, quibus tamquam cellis aeſtate urgente utuntur incolae. Auget hanc regionem Lapis ollaris ſ. lebetum, qui Comenſis eſt Plinio. Multis variisque Aquis ſalubribus abundat Rhaetia univerſa, in quibus diligentius deſcribendis longiores eſſe, pro inſtituti noſtri ratione, haud debemus.

VI. Sequuntur glaciales Glaronenſes. Obiter hic deſcribitur antrum Martis, quod univerſam rupis longitudinem excavat, tantaeque altitudinis eſt, ut fere aedes ibi exſtrui poſſint. Aequinoctii tempore hanc cavernam permeant ſolis radii, pulcherrimo ſpectaculo. Inter hos ipſos montes altiſſimus, vernaculo ſermone *Toedliberg* dictus, faſtigium montis S. Gotthardi fere aequat, ceterum glacie obductus, et fere omnino inacceſſus. Quod ad fertilitatem locorum attinet, falſo ſtatuit Auctor, eam obliquo montium ſitu augeri: quum enim ibi omnis generis herbae et gramina lineis parallelis creſcant et exſurgant altitudine perpendiculari, non poſſunt ibi ſimul plures prodire ſurculi, quam quidem in ipſa planitie. Claudit hanc Sectionem deſcriptio lacus Sylvatici, qui multa habet peculiaria. VII.

VII. Exponitur de glacialibus Abbatis Zellae. Nonnulli ex his montibus abundant petrefactis varii generis, pariterque aquis mineralibus et salubribus.

VIII. Describuntur glaciales provinciarum Suitiae et Subsilvaniae, et Dynastiae Engelbergensis. Habet Suitiae quoque regio petrefacta et mineralia multa, quorum tamen vilior est species.

IX. Sequitur denique comparatio glacialium Helveticorum cum Septentrionalibus: quae primum de glaciali mari quaedam erudite complectitur, deinde utitur descriptionibus montium Norwegiae Pontoppidana, Islandiae Horrebowiana, Laponiae Hogstroemiana, Groenlandiae denique Spitsbergiae et Novae Zemblae. Addit Auctor observationes de montibus Libano, Ararat, Tauro caet. quae legisse neminem poeniteat.

Tertia Pars continet dissertationes philosophicas, quarum

I. Tradit originem, situm, partes, usumque glacialium. Hic inprimis memoranda, quae de erroribus calculorum in definienda montium apud veteres multitudine disseruit Auctor p. 18. 19. Olim enim receptum erat, montis altitudinem umbra metiri, unde non potest non nisi fallax admodum prodire numerus. Pag. 28. definit Auctor punctum congelationis, quod est in altitudine 1500 ulnarum supra mare Mediterraneum elevata.

II. Docet, quomodo gignatur glacies in vallibus, agris, et montibus.

III. Ostendit, ex quonam inprimis tempore extiterint. Non possumus probare opinionem Auctoris, qui putat Helvetiam olim fundum maris fuisse, idque propter multa variaque petrefacta marina, quae ibi etiamnum cernantur. Quum enim ipse summam rerum mutationem per diluvium factam concesserit, nonne id quoque fateri debet, ad explicandam originem variorum animalium marinorum, quae etiamnum cernantur petrefacta in Alpibus, sufficere inundationem per diluvium factam, nec opus esse, ut mare simul, adeoque ipsum gravitatis centrum mutatum existimemus.

IV. Explicat variam glaciei naturam.

V. Sequitur de varia glacialium duratione.

VI. Tradit eorum utilitatem, in purgando aere, et gignendis fluminibus. Simul exponit erud. Auctor de praecipuis animalium et plantarum generibus, quae in glacialibus reperiuntur.

VII. Enarrat phaenomena illa noxia et periculosa, quae glacialibus saepe sunt coniuncta. Haec vero dissertatio, uti caeterae omnes, docte et subtiliter scripta est. optima physicae artis disciplina suffulta, genereque dicendi, si quaedam peregrina exceperis, admodum venusto, exornata. In frontispiciis primae et secundae Partis, praeter alia multa aeneis figuris expressa, cernuntur Mappae geographicae duae, universam Helvetiam diligentissimo labore complexae.

Tab. I. ad Nov. Act. Erud. Mens. Mart. et Apr. An. MDCCXV. pag. 251



NOVA ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipſiæ

Calendis Martiis et Aprilis Anno MDCCLXV.

LE PITTURE ANTICHE D'ERCOLANO E CONTORNI, etc.

id eſt:

PICTURAE ANTIQUAE HERCULANI, IN AES inciſae, cum explicationibus: TOMUS III.

Neapoli, 1762. c. figg. aen. permultis, fol. max.

Hic tertius Tomus picturarum Herculanenſium, continens tabulas aeri inciſas maiores LX, minores XCII, aeque ac ſuperiores duo, dedicatus eſt Carolo III. Hiſpaniarum et Indiarum regi. Dedicationem excipit lectu digniſſima praefatio, utpote quae de rariſſimo horologio ex metallo exponit, cuius pictura praemiſſa eſt. Maximi id eſſe pretii merito exiſtimant doctiſſimi picturarum interpretes. Quum enim antiqua horologia cuiuscunque generis tantae ſint raritatis, ut vel plurimis rebus et pulcherrimis inſtructo muſeo eſſe ornamento poſſint: hoc horologium ceteris eſſe oſtendunt multo pretioſius. Cetera enim eſſe fere horizontalia, concava, non portatilia, eumque in modum conſtructa, ut ſaepe dubitare poſſis, ſintne reapſe horologia, nec ne: hoc vero eſſe portatile, idque verticale, ſimplicisque conſtructionis, quod facile in uſum transferre

liceat, cuius denique ope ad perfectam notitiam perveniri possit omnis motus solis, eclipticam omnibus mensibus pervadentis. Refert illud figuram petasonis, cuius pes ex annulo, eoque mobili, suspenditur: pars exterior cutis descriptum exhibet horologium.

In cute scilicet septem lineae verticales ductae sunt, sub quibus duo versus continent duodecim mensium nomina. Lineae illae verticales sunt inaequalis longitudinis omnes, ita ut brevissima sit ultima, prima autem longissima. Septimae sextaeve lineae subicitur Ianuarius, Ianuario December: quintae et sextae Februarius, Februario November: quartae et quintae Martius, Martio October: tertiae et quartae Aprilis, Aprili September: secundae et tertiae Maius, Maio Augustus: primae et secundae Iunius, Iunio Iulius. Praeter septem lineas verticales additae sunt septem aliae transversae, eaeque partim horizonti parallelae, partim variae versus horizontem inclinatae. Quae omnia evidentiora reddet figura adposita.

Tab. I.

Diligentes sunt celeberrimi interpretes in usu huius horologii perspicue demonstrando. In subiectis praefationi scholiis docent, quam male hoc horologium descriptum fuerit non modo ab Auctore artis gnomonicae T. VII. Encyclopaediae, verum etiam ab auctore libri, qui inscribitur, Monumenta Peloponnesia. Addunt nonnulla, quae ad historiam antiquitatemque horologiorum sciatericorum pertinent, ostenduntque, unde ab harum rerum cupidis plura peti possint.

Quod attinet ad horologia portatilia, Vitruvius IX, 9. varia horologiorum sciatericorum genera enumerat, in quibus etiam sunt *viatoria pensilia*. Bato, poeta comicus, apud Athenaeum IV, 17. p. 163. Philosophorum aliquem, cui avaritiam, et, quam fere avaritia gignere solet, nimiam diffidentiam velle exprobrare videtur, his verbis alloquitur: *a prima luce circumfers lecythum, identidem considerans, quod intus est, oleum, ut facile alicui opinionem iniicias, te non lecythum circumferre, sed horologium.* Ad quem locum Casaubonus, *notabis,*

Digitized by Google

tabis, inquit, *antiquiſſimum morem circumferendi horologia, cuius nullum aliud teſtimonium puto in literis antiquis extare*, niſi *quod Vitruvius IX, 9. horum meminit.* Ex qua comparatione loci Vitruviani cum loco Athenaei ſatis patet, Caſaubono Batonem videri loqui de horologio ſolari ſeu ſciaterico. Si is Bato idem eſt, qui Balbus comicus apud Plutarchum de adulatoris et amici diſcr. p. 55. C. ut Fabricius putabat, fuit Arceſilai et Cleanthis aequalis, et circiter CCLX. annos ante N. C. floruit. Sed interpretes Herculanenſes veriſimile eſſe contendunt, poetam iſtum comicum, ſeu Batonem, ſeu Battum, non tam de horologio ſciaterico, quam de horologio quod aqua dividit tempus, hoc eſt, de clepſydra verba facere. Certe apud Aegyptios inter ceteros ſacrorum miniſtros locum etiam fuiſſe horoſcopo, qui portaret horologium, teſtem eſſe Clementem Alexandrinum Strom. VI. Hoc autem horologium videri fuiſſe clepſydram, partim quia Mercurius feratur apud Aegyptios, horologii aqua dividentis tempus, inventor, teſte Horapolline I, 16. partim quia horoſcopum, ſecundum Clementem Alexandrinum l. c. oportuerit in ore identidem habere res ad aſtrologiam pertinentes, librisque Mercurii comprehenſas. Accedit, Batonem loqui videri de lecytho, tanquam vaſe pellucido: et quamquam conſtet, ampullas olearias ſaepe fuiſſe ex auro, ex argento, ex creta, cornu, et pelle; fuiſſe tamen interdum etiam ex vitro. Hinc Heſychium explicare Λήκυθον per βήσιον ὑαλινόν; hinc explicari poſſe dicterium illud apud Athenaeum VI, 12. in quendam, qui in convivio nudus ſtabat, ſuris apertis: ὥσπερ τὰς ληκύθους ὁρῶ σε μέχρι πόσου μεσὸς εἶ. Denique ὄλπης voce et Cyprios, et Byzantinos, deſignaſſe λήκυθον, ὄλπην autem a Grammaticis explicari, δι' ἧς ἐστιν ἀπτήσασθαι τὸ ἔλαιον. Eſſe quidem et cornu interdum, interdum etiam pellem pellucidam, vitro tamen perluciditatem eſſe fere propriam.

Probabile igitur videri, Batonem loqui de ampulla nec coriacea, nec pellicea, nec metallica, ut velit Caſaubonus: ſed de vitrea. Iam vero, quum debeat horologium, et qua

figuram, et qua materiem, respondere ampullae olearias, quacum comparetur, coniici posse, horologium illud Batonis fuisse clepsydram. Ceterum clepsydris non male nomen horologiorum datum, quippe ab astronomis metiendo tempori adhibitis, id quod constet ex Etymol. in Κλεψυδρα, et ex Salmas. Plin. Exercit. p. 462. Ad ultimum ex vitro fuisse clepsydras, traditum a multis, a Radero ad Martial. VI, 35. a Beroaldo ad Apulei. M. III. a Plinii interpretibus ad I. ep. 23. II. ep. 11. Haec adversus Casaubonum doctissimi viri disputant. Quibus hoc unum addere iuvat, hanc observationem de vi vocis *horologium*, multum valere ad explicandum aestum eorum, qui in loco Petroniano c. XXVI. haerent: *Trimalchio, lautissimus homo, horologium in triclinio et buccinatorem habet subornatum, ut subinde sciat, quantum de vita perdiderit.* Ad quem locum Burmannus, *quomodo*, inquit, *in triclinio, quo radii solis penetrare non possent, habuerit horologium, non tradit Petronius, quod tamen variis modis potuit fieri, vel ut ad triclinii parietes Soli expositos fuerit positum, vel in loco qui ex triclinio posset prospici, vel alio modo.* Quem locum doctissimi explanatores in sequentibus adferunt, et, me quidem iudice, rectissime explicant.

Iisdem ex figura horologii petasonem referentis, occasio nascitur, in petasonis et pernae discrimen inquirendi. Non tamen certo constituere audent, differantne perna et petaso, ut pars et totum, an ut species et genus, an denique eo nomine, quod petasones mustei, hoc est, recenter saliti, nec siccati, pernae vero et salitae, et aliquamdiu fumo duratae ederentur. De petasonibus musteis Apicius VII, 9. et Martialis XIII, 25. De pernis vero saliendis, condendisque in dolio vel seria, deque suspendendis primo in vento, postea in fumo, Cato de re rust. cap. ult.

Esse aliquid discriminis inter petasonem et pernam, facile colligas ex Martial. XIII, 54. et 55. ubi poeta epigrammata duo, alterum in pernam, alterum in petasonem, tanquam in duo edulia aliquantalum diversa, leguntur. Quod idem colligas ex Varrone de R. R. II, 4. ubi manifeste pernam

Digitized by Google

nam et petaſonem tanquam duas res ſecernendas diſtinguit; *etiam nunc quotannis e Gallia apportantur Romam pernae tomacinae et taniacae et petaſiones.* Sed quid ſit id, quo ſecernere poſſis pernam a petaſone, et diſtinguere, hoc vero nondum ſatis expeditum puto. Qui petaſonis partem pernae nomine appellatam putant, non videntur adferre rationem ſatis certam, qua opinionem ſuam confirment. Exiſtimant ſuae ſententiae eſſe Athenaeum, quum l. XIV. p. 657. ita ſcribit: ἐπεὶ δὲ πετασῶνος μέρος ἑκάστῳ κεῖται, ἣν πέρναν καλοῦσι. Sed quis iurare auſit, hoc teſtimonio iſtam ſententiam multum adiuvari? Verba iſta ἣν πέρναν aeque referri ad πετασῶνος poſſunt, quam ad μέρος. Si ad πετασῶνος referas, verborum haec vis erit, petaſonem etiam pernam dici, eiusque partem cuique convivarum fuiſſe appoſitam. Viderint ii, qui talia curant, an, quemadmodum ſuccidia latiſſime patet, et tam pernam et petaſonem, quam lardum continet, ita perna arctiore ſignificatu dicatur de coxis et anterioribus et poſterioribus, petaſo vero arctiſſimo duntaxat de poſterioribus. Qua differentia admiſſa, ſume, quod nemo non dabit, poſteriores porci coxas delicatiores exiſtimari anterioribus; et ſtatim lux aliqua affundetur epigrammati Martialis XIII, 54. in pernam:

Cerretana mihi fies, vel miſſa licebit
De Menapis: lauti de petaſone vorent.

Sunt, qui pernas proprie eſſe putent porcorum etiam vivorum, non vero petaſones: pernas natura fieri, non arte: contra petaſones ex pernis fieri, non natura, ſed arte, et accedente opera humana: eodemque modo differre gramen et foenum: hanc tamen proprietatem nec optimos ſcriptores ſemper ſequi. Sed hanc explicationem vereor ut illi probaturi ſint, qui meminerint, Romanis pernas, vel de Cerretanis et Cantabris, item de Menapis, h. e. de Weſtphalis miſſas, fuiſſe in deliciis.

Progrediamur ad maiores tabulas, quae maximam partem argumenti mythologici ſunt, et hiſtorici: nonnullae pertinent

tinent ad religionem ritusque ſacros: aliquae ad ludos gymnicos, et ad artes ludicras, tanquam ſaltatricum et funambulorum: item ad quotidianae vitae mores, et ad architecturam: pauculae exhibent fruges et locorum amoenitates. Multae earum ſunt argumenti certi: aliquae incerti.

Prima tabula habet Apollinem: ſecunda Bacchum: utrumque ex pluribus notis facile agnoſcas. Apollinis caput ambit nimbus: corona laurea cingit candidum capillum, qui diviſus et undans in humeros defluit. Chlamys coloris violacei, ſiniſtri brachii partem operit. Eandem chlamydem a tergo pendulam dextro humero fibula iungit. Siniſtra manus lyram tenet: dextra curvae lyrae brachio innitens, plectrum. Ex vultu coniicias, deum vel a cantu requieſcere, vel carmen meditari. Arae, cui lyra incumbit, iniectus eſt candidus pannus, ſeu candida vitta. Subter imaginem Apollinis eſt iuvenis caput ex parte mutilum, cuius capillus eſt criſpus et niger. Hoc caput Hyacinthum exprimere videtur, cuius facies apud Auguſtinum in Gemmis, et apud alios, pictae hic faciei ſimillima eſt.

Bacchum vero inſignem facit iuvenilis, et plena Gratiarum facies, longus et criſpus capillus, corona hederacea, quae in modum diadematis gyro duplici ambit frontem: maxime vero vas, quod dextra, et thyrſus, quem ſiniſtra tenet. Nudum eſt anterius corpus ad femora usque, quae pallio teguntur. Hoc pallium ex humeris ex parte in aram, cui innititur Bacchus, defluens, ad pedes, nudos et ipſos, pertinet. Vas habet duo manubria, a ſummo ad imum producta. Thyrſus ſimilitudine accedit ad praelongam et nodoſam cannam, cuius parti ſuperiori circumvolvitur taenia: ſummam partem velant hederaceae frondes, ex quarum medio cuſpis, ſeu lanceae, ſeu haſtae eminet.

In ſcholiis etſi ſubinde quaedam adferuntur paullo humanioribus non ignota, tamen etiam hanc doctiſſimorum interpretum diligentiam laude dignam et praedicatione putamus, cum alias ob cauſas, tum quod eo conſilio adferuntur, ut appareat, quantae eruditionis fuerint pictores veteres,

res, quantaque eorum consensio cum poetis, ceterisque fabularum explanatoribus antiquis. Qui docere peculiaribus libris conati sunt, quantopere consentiant ritus nonnulli sacri veterum gentilium cum ritibus sacris nonnullorum Christianorum, ii multa attulerunt doctis lectoribus notissima, nec vero potuerunt non adferre. Sed in bonam id quivis aequus iudex accipit partem, reputans, non quidem nova, sed necessario tamen, sed novo consilio permulta esse ab iis allata. Spencerum quidem aegre ferimus, ideo ad scribendum accessisse, ut ostenderet, Ebraeorum ritus et mores ab Aegyptiis manasse; sed non ideo, quod ad demonstrandum rituum Ebraicorum Aegyptiorumque consensum innumera attulit vulgo satis nota.

Igitur, quum pictor Baccho dedit iuvenilem faciem, in qua velut Gratiae sessitent; ostendunt scholia, eandem Baccho dari ab Euripide: quum pictor capillos Bacchi facit longos et crispos; docent, tales ei tribui ab eodem Euripide, et a Tibullo. Cur Bacchus pingatur nudus, cur coronam hederaceam, cur cantharum et thyrsum habeat, explicant ex Philostrato, Sidonio Apollinari, Fulgentio, et Albrico. Cur denique pallium Bacchi sit album, rationem reddunt ex Athenaeo. Denique scholia quaedam sunt comparata ad accuratius definienda ea, quae in tabularum descriptionibus ambiguitatis aliquid habent. Exemplo esto vas istud, quod in hac tabula Bacchi dextra gestat. Scholia docent, hoc vas videri esse carchesium, quippe in quod descriptio carchesii apud Athenaeum V, 7. et Macrobium Saturn. V, 21. conveniat.

In tabula III. est fabula Endymionis et Lunae. Haec dea capillum habet a fronte nodo constrictum, in occipite solutum et fluentem: gestat porro pallam, seu peplum coloris rubri, sed, pro obiectis aliis aliisque rerum speciebus, variantis. Corpus superius est nudum. Videtur summis digitis incedere, et manu Cupidinis ducta Endymioni admoveri, qui insidens saxo sub arbore dormit, et ex toto fere nudus est, quia pallium eius sub dextrum brachium defluit,

quo

quo tenens digitis duo iacula, ſaxo incumbit. In humeros deſcendunt capilli incompoſiti, quos frontem ambiens faſcia conſtringit. Prope caput cernitur luna ſenescens, ut nempe omnis dubitatio tollatur, hunc eſſe Endymionem.

Sicut in pictura Luna habet peplum, ita Orpheus Lunam vocat ταυύπεπλον: ſicut Luna ſummis digitis incedit, ita apud Lucianum Dialogo Veneris et Lunae ἀψοφητὶ κατιοῦσα, ἐπ' ἄκρων τῶν δακτύλων βαίνει, ne ſcilicet expergefactum amaſium ſubito conturbet: ſicut nudus eſt Endymion, ita apud Propertium nudus Endymion cepit Phoebi ſororem. Endymion in pictura duo iacula tenet, quia ſunt qui eum venatorem fuiſſe affirment, ut Lucianus l. c. Scholiaſtaeque et Apollonii, et Theocriti. Dormientem Endymionem expreſſit artifex, vel quia ſunt, qui eum ſemper dicant dormire, Lunamque ſui in eum amoris fructus nullos alios colligere, quam oſcula, Cic. Tuſc. I. 92. quo eodem et Sappho reſpicit apud Ovid. Her. XV, 90. vel quia ſunt qui eum teſtentur dormire triginta annos, Fulgent. II, 19. Dormientem denique fecit ſub arbore, ut Qu. Calaber X, 131. Denique nudo Lunae corpori peplum iniecit pictor. Hoc enim tegumentum nudo corpori iniiciebatur, ut obſervat Spanhemius ad Caeſares Iuliani, et colligi poteſt ex Homer. Od. V. 230. X, 542. Ovid. M. III, 167. vix ſatis tuto ex Homer. Ιλ. E. 734. tutius autem ex Callim. h. in Lavacr. Pall. v. 70. ſq.

Quarta tabula oculis obiicit arietem Phryxi, et delapſam in mare Hellen. Helle, cuius capillus ſolutus eſt et madidus, demerſa eſt in mari pectore tenus, videturque opem et manu et voce poſcere: voce, quia os aperit: manu, quam verſus Phryxum protendit. Phryxum pannus ruber velat, qui defluens in femora corpus ſuperius relinquit nudum. Hinc moeſtus et anxius dextram extendit ad opem ſorori ferendam: ſiniſtra prehenſum tenet collum arietis, qui alba lana veſtitus ocyus videtur fugere, poſterioribus pedibus in aqua exiſtentibus, anterioribus ſurſum in aera elevatis. Ex utraque parte conſpiciuntur delphini, in ſumma aqua ludentes.

Vete-

Veterem famam et hic ſequutus eſt artifex, id quod omnes fatebuntur, quibus familiaritas quaedam eſt cum Ovidio, Hygino, Valerio Flacco, Apollonio Rhodio, et Diodoro Siculo. Speciatim quemadmodum conatus Phryxi, ſtudiumque ſorori opem ferendi hic exprimitur, ita ab Ovidio deſcribitur Faſt. III. 871.

Pene ſimul periit, dum vult ſuccurrere lapſae
Frater, et extentas porrigit usque manus.

Eo nomine erraſſe videri poſſit pictor, quum arieti vellus dedit candidum. Nam aureum fuiſſe, quicquid fere poetarum eſt tradit. Idcirco dicitur χρυσόμαλλον et πάγχρυσον δέρας. Scholiaſtes tamen Euripidis ad Medeam v. 7. obſervat, nonnullos fuiſſe, qui arietis pellem appellarent *purpuream*. Scholiaſtes autem Apollonii ad IV, 177. tradit, lanam arietis Phryxaei a Simonide nunc albam appellari, nunc purpuream. Ecce tibi cauſam, quae pictorem adducere potuit, ut Phryxaeum arietem alba lana velatum exhiberet. Quo loco liceat hoc ſubiicere, qui vellus aureum, qui candidum, qui purpureum dicunt, hos ne pugnare quidem inter ſe videri, ſed unum idemque ſentire. Quum dicitur vellus aureum, interpretari licet vellus pulcherrimum: quum purpureum, licet intelligere ſplendidum, ſplendide albicans, pulchrum. Sic accipiendus Horatii locus: *purpureis ales oloribus:* ſic locus Albinovani: Brachia purpurea candidiora nive. Neque temere factum, ut pictor Delphinos adiiceret. Hoc ipſo enim vel locum, ubi decidit Helle, vel tempeſtatem, qua orta decidit, voluit ſignificare. Servius ad Æ. VIII. 674. obſervat, mare ſemper turbari, apparentibus Delphinis. Ovidius autem Her. XVIII, 139. docet, Hellen ſubmerſam fuiſſe, quo tempore vehemens tempeſtas eſſet. Magnam autem delphinorum copiam in Helleſponto, et circa Conſtantinopolin eſſe, obſervat Plin. XXXIII, 11. et Philoſtratus alicubi. Hinc delphini in Byzantinorum numis: Beger. Theſ. Brand. T. I. p. 487.

Tabula V. in conſpectum profert Nympham crocota, h. e. veſte lutea, eaque fimbriata, amictam: cuius capilli in nodum collecti ſunt, interque ſe implicati, pedes vero nudi. Obvertit intuentibus dorſum ita, ut vix particulam dextrae malae cernere liceat. Imitatur ambulantis geſtum, tenetque dextra florem, ex planta aliqua alta et floreſcente decerptum. Hic variae cogitationes animum doctisſimorum interpretum ſubeunt. Putant veriſimile eſſe, artificis animo, quum haec pingeret, obverſatam vel Floram, quae et Chloris dicitur, fuiſſe, vel unam Horarum. Nihilominus cornu copiae, quod mulier ſiniſtro brachio impoſitum tenet, diverſisque floribus repletum eſt, inclinat animos ad credendum, exhiberi aliam deam, et fortaſſe Fortunam.

Scholia docent, crocotam, ſeu veſtem luteam, aeque Horis, ac Florae convenire. Si accipias figuram pro Hora, tuae opinioni favebit ſitus et geſtus tergum obvertentis. Talis ſitus indicat velocitatem, quae et Horis et tempori in univerſum tribuitur. Quod ad cornu copiae, illud et nymphis ceteris, et Horis convenit. Repraeſentans quatuor anni partes, cum ſuo cuiusque ſymbolo, occurrit inter ſymbola primi veris in Th. A. G. T. IX. ubi v. Pighius p. 1199. Sed mitti etiam cornu copiae ſolet in manum Fortunae, ut coniicere poſſis Fortunam a pictore hic eſſe effictam, quae tergum ſpectantibus obvertat, ut hoc ipſo motu geſtuque indicetur levitas et inconſtantia huius deae.

Tangunt doctiſſimi interpretes locum Catulli carm. LXV. 52. in comam Berenices:

— — *quum ſe Memnonis Aethiopis*
Unigena impellens nutantibus aera pennis
Obtulit Arſinoes Chloridos ales equus.

Quem difficilem locum partim ex Auſonio Idyll. XIV. illuſtrari poſſe putant, partim ex Plinio VII, 21. ubi in Aethiopia naſci equos pennatos, Pegaſosque dictos, ſcribit. Sed nobis huic loco maxime lucem adferre videtur illa Voſſii, aliorumque obſervatio, quae docet, ventos apud poetas eſſe

equos

equos alatos. Apud Valerium Flaccum I, 610. Thraces equi ſunt venti a Thracia flantes. Apud Catullum ales equus Chloridis, Memnonis unigena eſt Zephyrus, ſive Argeſtes, quem ventum Chloridi, florum deae, tanquam maritum copulabant. Haec et ad explicandum, et ad excuſandum Horatium faciunt, quum ſcribit, IV. od. 4. Eurus per Siculas equitavit undas, i. e. equos ſuos egit per mare Siculum.

Tabulam VI. quum ſumto peniculo artifex pingeret, videtur ei animus in exprimendo Ulyſſe fuiſſe, Penelopis in conſpectum veniente, poſteaquam procos arcu illo famoſo occiderat, quem ſolus fertur tendere potuiſſe. Penelope inſidet ſellae, cui ſcabellum ſuppoſitum eſt. Oculos habet deiectos, ſiniſtraeque indicem elevatum, quaſi indicatura, ſe ipſam oculorum timere fidem, et metuere ne decipiatur. Geſtus viri, extendentis verſus Penelopen dextram, prodit Ulyſſem verba facientem, narrantemque quae accidiſſent. Quae autem accidiſſent, ſatis et ex arcu remiſſo, et pharetra ſagittarum plena, intelligas. Eundem Ulyſſem cognoſcas ex pileo: quem praeterea operit veſtis rubra, clavo caeruleo praetexta, et chlaena coloris itidem caerulei. Crura velat coloris aurei pannus. Sola facies iuvenilis poterit nonnullorum cogitationes, ab Ulyſſe abductas, ad Paridem transferre, ſupplicantem Oenonae iratae: aut ad Auroram, amatumque ab Aurora Orionem: aut ad Venerem et Anchiſen: aut denique ad Cephalum et Procrin. Qui de Calypſo et Ulyſſe, vale huic deae dicente, cogitant, hi interrogati, quomodo tali occaſione Ulyſſi arcus conveniat, quid reſpondeant vix habebunt.

Nec ſella mulieris hic ſedentis, nec habitus, nec geſtus, a Penelope alienus eſt. Sellam Penelopes deſcribit Homer. Od. XIX, 55. Oculos deiectos eidem tribuit Homer. Od. XXIII, 105. manusque ſurſum elevatas ibid. v. 37. Ulyſſem autem qua re artifex hac occaſione magis inſignem, quaeſo, potuit facere, quam pharetra et arcu, quem tendere poterat ſolus, et quo procos necarat omnes? Hunc

arcum dederat Penelope antea procis, ut, si quis eorum intendisset eum, is nuptiis a tam multis expetitis unus potiretur. Qua in re describenda totus consumitur liber XXI. Odysseae. Quorum cogitationes ab Ulysse avocat facies iuvenilis, vultusque ad severitatem non compositus, sed in hilaritatem potius relaxatus, hi ad Homerum a doctis interpretibus amandantur, qui fingit, Ulyssi a Minerva datam figuram senis calvi, antequam in Ithacam perveniret, ne scilicet a procis agnosceretur: ab eadem dea eum formosi iuvenis speciem accepisse, quum a Telemacho agnosci patrem vellet: denique eiusdem beneficio deae pulcrum et laeta facie enituisse, quum in conspectum Penelopes veniret, v. Od. XVI. 174. 210. XXIII, 156.

In tabula VII. sunt duo conclavia, alterum obscurum, alterum illuminatum: In obscuro pendet ex alto pannus flavus: illuminatum habet portam, cui praetenditur aulaeum viride. Picti videntur tres Amores, quorum primum Venus, cuius tergo haeret Suada, in sinu fovet: secundus nititur ex manibus Indigentiae se expedire: tertius in carcere et in tenebris est inclusus. Mulierculam cum crinibus intortis, veste violacea amictam, gestantemque armillas aureas, recte fortasse acceperis pro Pitho vel Suada, manu humerum Veneris prehensum tenente. Veneris frontem, partemque flavi capilli, velat albus pannus: vestis eius interior caerulea est, viridis exterior, armillae calceique aurei. Haec sedens divaricatos intra pedes tenet parvulum Cupidinem, cuius oculi in ea contemplanda toti sunt. Tertia mulier, quae est pectore eminulo, habetque vittam subalbescentem, capillum incompositum, vestem flavam; manicas virides dimidiatas, quae forte sunt brachialia, calceos denique albos, sedens ex parte opposita est fortasse Indigentia. Haec sinistra prehensum tenet secundum Amorem, versus sedentem mulierem anxie manus extendentem. Is extra caveam velut pendulus est, avolaturus, nisi Indigentia alis prehensum retineret. Intra caveam sedet tertius Amor, qui manibus alisque evolare nititur.

Pu-

Digitized by Google

Putant docti Interpretes, tres Amores hic pictos respondere Ἔρωτι, Ἱμέρῳ, et Πόθῳ, a Scopa statuario apud Pausaniam I, 43. expressis. Quam sententiam adiuvat Plato in Convivio, ubi fingit Amorem nasci ex Poro, deo abundantiae, et ex Penia, dea indigentiae. Nam amor, inquit, est desiderium alicuius boni, quo cares: huius autem possessio est id, quod amor petit. Fortasse non aberraveris, si putes, expressam hic penicillo esse Indigentiam, matrem et nutricem amoris: repraesentari porro tres amoris status, primo statum simplicis appetitus, deinde statum desiderii, tertio statum possessionis: tresque hos status expressos esse in tribus Geniis, quorum primus fruatur in sinu Veneris sua felicitate; sitque totus in contemplatione pulchri: secundus visa Venere conetur evadere ex manibus Indigentiae, Venerique se iungere: tertius, qui clausus in carcere, necdum ex ignorantiae sensuumque tenebris egressus, minus clare videat pulchrum, appetere tamen illud incipiat, seque movere et quatere pennas, ut evolet. Etiam Cicero tres Amores numerat de N. D. III. Tres et Apuleius distinguit, Platonem sequutus, divinum, terrenum, mixtum. His respondere ait tres animas diversas: primam, quae amet solum spiritum: secundam, quae solum corpus: tertiam, quae nec spiritum nec corpus fastidiat. Praeterea Servius ad Æ. IV, 520. tres Amores producit, Ἔρωτα, Ἀντέρωτα, et Ἀνσέρωτα. Sunt qui pro Ἀνσέρωτα legendum putent Ἀνσέρωτα: sed Ἀνσέρως defendi potest, et explicari per Numen, quod solvit amore amantem non amatum, quale Numen coluisse feruntur Romani, nomine Amoris Lethaei, celebratum Ovidio R. A. 551. Dea persuasionis, Πειθώ, Suada, quae hoc loco Veneri iuncta est, fingitur Veneris comes esse et serva apud Pausan. V, 11. et Nonnum Dionys. XXXIII, 110.

Ei pulchra labia, quae oscula provocent, tribuit Anacreon Od. 28 et 29. et pulchros oculos Ibycus apud Athenaeum, fortasse quia oculi maxime amorem producunt. Eidem flagellum, quo corda percutiat, Pindarus assignat. Eius denique filia fertur Iynx, id est, dea amoris illex. Quo videtur

detur Sophocles respexisse, quum Hippodamiam Pelopi fecit dicentem: ἐν ὄψει ἴυγγα θηρατηρίαν ἔρωτος ἔχεις, hoc est, illecebras et vim quandam incantatricem oculi tui habent, quae amorem mihi extorqueat. Ceterum caput Veneris velatum, hoc loco Venerem puram coelestemque indicare videtur, de qua cum alii multi, tum Beger. Th. Brand. p. 43. Amor autem ideo in Venere oculos habere defixos, quia amantium felicitas in eo posita est, ut sint semper toti in contemplanda pulchritudine. *Ille mi par esse Deo videtur, qui sedens adversus te, identidem te spectat, et audit.* Plato in Phaedro demonstrat, verum amorem consistere in sola visione et contemplatione pulchritudinis.

Tab. VIII. et IX. habent fabulam de Iove in olorem converso, ut Leda vel Nemesi potiretur. Quae in tabula VIII. pingitur mulier, quum nullum insigne divinitatis habeat, Leda videtur dicenda esse. Alba autem avis quae picta est, similior anseri quam cycno est. Avem enim, in quam Iupiter se transformavit, alii dicunt grypem fuisse Lycophr. 87. alii cycnum: anserem vero Virgilius in Ciri, et Apollodorus III. In tabula IX. pictor eam famam sequutus est, quae fert, Iovem abditum in cycno Nemesin lusisse. Nam citra dubitationem hic Nemesis potius, quam Leda picta est, quia caput nimbus ambit. De Nemesi Helenae matre Paus. I, 33. Callim. h. in D. 232. et ad h. l. Spanhemius.

Tabula X. eandem quidem Nemesin exprimit, quam superior, sed non ea specie, non eo habitu, quo a Iove decepta fuit, sed quo detestatur nocentes, et minatur superbis. Sinistra tenet gladium in vagina conditum: dextra exterioris vestis extremitatem de pectore attollit, vultumque indignabundum et austerum sinistrorsum convertit, quasi oculos a re parum grata averstura. Deae huius, quae et Rhamnusia, et Adrastea dicitur, est deprimere superbos, et oppressos extollere. Ea est inimica felicitati immerentium, et adiutrix bonorum miseriis conflictantium. De ea Ammian. Marcell. XIV. Anthol. IV, 70, 12. Averran. diss. XVIII. in Eurip.

Eurip. Buonarroti Medagl. p. 220. Sunt qui negent, unquam cum gladio occurrere Nemeſin, ſed ſemper cum rota ſub pedibus, et cum funda in altera manu, in altera cum freno. Anthol. IV, 12, 72. Sunt etiam qui Nemeſi dent alas. Sed hic nec alas vides, nec fundam, nec frenum. Qui his cauſis moti dubitant, an hic Nemeſis exprimatur, his conſiderandum relinquunt docti interpretes, alas duntaxat datas eſſe Nemeſi Smyrnenſium apud Pauſan. I, 33, deinde Nemeſin eſſe fortunae ſimilem, immo ipſam fortunam, et denotare viciſſitudinem rerum humanarum; tum vero ei ſymbolum inconſtantiae, nempe rotam apponi, v. Averranius et Buonarroti l. c. ſed hoc loco Nemeſin ſeu Adraſteam eſſe velut fatum, hoc eſt, legem immutabilem, neceſſariam, et aeternam, filiam quippe iuſtitiae, ad quam ſymbolum illud inconſtantiae nihil pertineat: denique nec reliqua ſymbola ita Nemeſi conſueſſe tribui, ut nunquam ab ea abſint: eam occurrere ſaepe cum ramo, ſaepe cum virga aut baculo, pro quo hic ſubſtitutus ſit gladius, a Nemeſi, iuſtitiae filia, haud quaquam alienus. Apud Aeſchylum Choeph. 948. diſerte ei gladium tribui. Gladium illum in vagina conditum non ipſam caſtigationem, ſed minas deae caſtigaturae indicare. Quibus hoc addere liceat, videri gentiles admiſiſſe duplicem fortunam, alteram coecam, brutam, ab inconſtantia et temeritate non ſeiunctam, ſautricem indignorum, de qua Plin. II, 7. alteram conſtantem, immutabilemque, quam quis virtute rectoque agendo concilliet, de qua illud valeat: ſui cuique mores fingunt fortunam: et hanc eſſe Nemeſin hic pictam.

Tabula XI. habet tres Gratias, eleganter quidem expreſſas, facilesque agnitu, quippe ſaepiſſime eodem modo, quo hic, pictas.

In Tabula XII. eſt pictura iuvenis, ad radices rupis in valle frutetoſa ſub arbore ſedentis, panno ita velati, ut corporis anterior pars relinquatur nuda. Ex fronte eius alae prominent, ſeu pinnae. Pedes muniunt caligae alatae. Iuxta eum aſſurgit longa virga: et gladius cum capulo aureo in

vagina.

vagina conditus iacet in rupe, cum fascia aliqua seu balteo. Insidet grandi saxo, sinistra sursum tollens assidentis mulierculae vestem, et corpus eius dimidia ex parte denudans. Ornat eam diadema aureum, et monile ex margaritis: margaritae etiam dependent ex auribus. Sinistrum brachium humero assidentis iuvenis imponitur. Duo seu capita, seu personae, supra et infra inter utrumque apparent. Alterum horum capitum fronde coronatum, in ramo arboris suspenditur: alterum in exiguo trunco paululum humo tollitur.

Doctissimi interpretes varias picturae explicationes adferunt, monentque, fuisse alios, qui Perseo et Andromedae eam accommodarent: alios, qui Boreae et Orithyiae: alios, qui Veneri et Mercurio: alios denique, qui Proserpinae et Mercurio. Interim a verisimilitudine minimum abesse docent sententiam eorum, qui putant, iuvenem, cuius alata sit frons, alataeque caligae, esse Mercurium, et quidem Mercurium χθόνιον, seu νύχιον, seu ἐρεύνιον, hoc est, Orcum vel Θάνατον: deinde mulierem esse deam Maniam, seu Laram nympham, genitricem duorum Larum: duo denique capita esse duo oscilla, alterum ex arbore pendens, alterum haerens summae perticae, quae exprimant duo Lares. Virgula est insigne Mercurii, cui cave putes semper dracones implicatos esse, v. Hygin. Astron. II, 7. Homerus Virgiliusque, quando de Mercurii virga loquuntur, de draconibus nullam mentionem faciunt. Virgula ista, et gladius, Mercurii in animas potestatem significant. Gladio speciatim utitur Mercurius, ut eo abscindat capillum moribundorum, eorumque caput consecret diis infernalibus. Quibus maiorem veritatis speciem conciliabunt nonnullae observationes doctissimorum interpretum, quas breviter adiicere iuvat. Prima est ex Ovid. Fast. II, 559. ubi narrat, Laram nympham amores Iovis et Iuturnae prodidisse Iunoni, Iovemque id aegerrime ferentem abscidisse Larae linguam, nymphamque Mercurio tradidisse in Tartarum abducendam. Quum ambo in Tartarum pergentes perveniissent ad aliquod frutetum, Mercurium intentius coniicientem in nympham

pham oculos, formaque eius captum non temperaſſe ſibi, quo minus Laram comprimeret, compreſſamque geminum partum edidiſſe, duo Lares. conf. Macrob. Sat. I, 7. Secunda pertinet ad Mercurium. Obſervat Spanhemius ad Callim. h. in Dian. 69. Mercurium χθόνιον ſeu νύχιον poni pro morte. Ipſa Scholia ad Aeſchyli Choeph. 620. Ἑρμῆς exponunt Θάνατος. Stanleio ibi Ἑρμῆς eſt Mercurius Πομπαῖος, deductor animarum, qui animas ducere et reducere ſolet, qui et ſatelles Orci dicitur, de quo Virgilius Aen. IV, 242. ſeq.

Tum virgam capit: hac animas ille evocat Orco
Pallentes, alias ſub triſtia Tartara mittit.

Hic Mercurius in eodem Aeſchyli dramate v. 1. dicitur χθόνιος. Idem Mercurius ſeu Θάνατος apud Euripidem. Alceſt. 75. adeſt armatus gladio, quo abſcindat Alceſtidi capillum. Etiam Servius ad Aen. IV, 694. Mercurio comam morientium ſecandi munus adſignat. Ibi de Iride poeta loquitur, quae mittitur a Iunone, ut Didoni abſcindat capillum, facilitatemque moriendi ei adferat. Quo loco Servius ita: *trahit hoc de Alceſte Euripidis, qui inducit Mercurium ei comam ſecantem, quia fato peribat mariti.* Quod igitur munus Iridi Virgilius tribuit IV, 702. quod idem Proſerpinae v. 698. ut ſcilicet capillum morientium abſcindat, hoc idem munus convenit etiam Mercurio. Tertia obſervatio ſpectat ad duo capita, alterum in fruteto ex ramo arboris ſuſpenſum, alterum trunco impoſitum, quae vel ipſos Lares ſignificant, vel certe ſacrificia Maniae ac Laribus offerenda. Primo Cicero II. de LL. c. 8. tradit Laribus ſedem ſuam fuiſſe in ſilvis, quod ipſum et Servius de Laribus vialibus teſtatur ad Aen. III, 302. Dein non niſi duo capita iuvenilia, quorum alterum videtur coronatum eſſe, exprimunt deos Penates in numo familiae Antiae, apud Begerum et Vaillantium, non diffitentibus ceteroquin doctiſſimis interpretibus, Lares ſaepe aliter pingi. Nam interdum figuram eorum integram exprimi ſolere, ut pateat ex

Tibull. I. XI, 15. et talem eorum figuram in multis esse monumentis antiquis. Interdum exprimi comitatos cane, aut etiam capite canis adiuncto. Si duo capita, pergunt, non lares ipsos significant, erunt certe duo oscilla, seu ficta capita, arbori et trunco appensa. Maniae nempe et Laribus initio sacrificabantur pueri, postea vero, sublato hoc inhumano sacrificio, offerebantur oscilla seu ficta capita. Macrob. Sat. I, 7. Quum vero antiqui Grammatici de oscillis loquuntur, suspensa fuisse dicunt vel in arboribus, vel in perticis. v. Serv. ad G. II, 389. Aen. VI, 741.

Tabula XIII. continet puellae venustae imaginem, veste et pallio, candidoque capillo, et armis aureis ornatae. Si arcum respicias, quem remissum sinistra tenet, si telum, quod in dextra est, si brachium dextrum ex toto nudum, si nudum ex parte pectus, nudumque humerum, credas esse Dianam, aut aliquam ex nymphis Dianae comitibus, et forte famosam illam Atalantam, quam perhibent primam usam telis fuisse in venandis feris. Sed conspectus duarum vestium, earumque non succinctarum, conspectus porro reliquorum ornamentorum, venatricibus non satis convenientium, dubitationem tibi aliquam iniicere, mentemque tuam alio, et fortasse ad Venerem armatam telo et arcu, vel ad Venerem Cupidini arma surripientem, traducere.

Ut, quid coniecturas istas adiuvet, ostendant celeberrimi viri, haec fere adferunt: arcum in deam ἰοχέαιραν semper, arcum vero remissum tum convenire, quum a venatione requieſcit. Tum enim, ut Claudianus habet de R. P. II, 31. arcu remisso otia nervus agit. Quo etiam spectare dicas vestem non succinctam, quo habitu Diana est apud Begerum Th. Br. p. 64. apud Montfaucon. T. I. p. 1. tab. 87. Docent deinde, non modo Dianae venatricis nudum brachium dextrum, nudum pectus ex parte, nudum etiam humerum esse solere, sed nympharum etiam venantium. De Atalantis duabus, quarum altera cum altera saepe confundatur, adeundos monent Hyginum f. 99. 173. 270. Hyginique interpretes, et Perizonium ad Aelianum. Hic subiiciunt

iiciunt quaedam de Atalantae armis. Nam controverſiae aliquid habet, telumne miſſile ea, venabulumque, an ſagittas conficiendis feris adhibuerit, diſcrepantibus ipſorum veterum auctorum ſententiis, Oppiani, Appollonii Rhodii, Hygini, Pauſaniae, Philoſtrati. Poſſit igitur artifex videri de induſtria hic Atalantam pinxiſſe ſimul cum arcu, ſimul cum telo, quod venabulo quam ſagittae ſimilius eſt, ſine pharetra: ut exprimeret rem utramque, coniungeretque duplicem de Atalantae armis famam. Expediunt porro quaeſtionem, an Dianae nymphisque conveniant armillae, reliquaque ſeu colli, ſeu aurium ornamenta; obſervantque, nymphas ſaepe occurrere vel nudas, vel ſimplici pallio tectas, nudamque ipſam Atalantam eſſe apud Plin. XXXV, 3. et apud Gronov. T. I. Sed eſſe etiam nonnullos, qui in numis Aetolorum agnoſcant Atalantam cum monili in collo: Beger. Th. Br. p. 468. et apud Montfauc. T. I. p. 1. t. 88. n. 4. eſſe caput vel Dianae, vel alterius venatricis, cum arcu, cum pharetra, cum monili ex margaritis, et cum margaritis ex utraque aure pendentibus. Eſſe quoque qui oſtendant, Hetruſcos omnibus peraeque Numinibus dediſſe armillas, monilia, inaures. v. Buonarroti in addit. ad Demſteri Hetrur. reg. §. 1. De Venere armata legendum epigramma eſſe Anthol. IV, 12, 21. et Coluthum de R. P. 29. Moſchum II, 75. Begerum Th. Br. p. 170. Venerem denique Cupidini arcum pharetramque auferre in gemma apud Begerum p. 41.

In tabula XIV. vides partes aliquas apri, caput, ſetoſam pellem, et ungues. Licebit coniicere, picturam ad famoſam illam venationem Calydoniam pertinere, ab ipſo Homero Il. IX. deſcriptam. Quae coniectura ſi non aberrat, ſenex ille fere ex toto nudus, cuius pannus poſt tergum reiectus eſt, cuius dextrum brachium anaclinterio throni incumbit, cui inſidet, cuius denique in ſiniſtra eſt haſta longa ſeu ſceptrum; ſenex, inquam, ille erit Oeneus, rex Calydoniae, audiens legatum, eumque ſtantem. Legati caput pileo tectum eſt; pedibus ſoleas adſtringunt habenae ſeu

corrigiae, corpus velat veſtis viridis, quae dextrum humerum relinquit nudum: ſiniſtra, cuius digitum minimo proximum annulus ornat, tenet baculum, cui innititur. Imitatur geſtum verba facientis, et procul dubio repraeſentat legatum Aetolorum. Ex altera parte, qui conſpicitur, canis cum collari rubro, cuſpidibusque ferreis armato, poterit pertinere ad venationem, occaſionem, cauſamque belli et legationis. Sed canis poterit etiam referri ad iuvenem poſt ſedentis ſenis tergum ſtantem, velatum quidem veſte, ſed nudo brachio, quem Meleagrum dixeris, convertentem oculos in mulierem, quae eius coniux Cleopatra eſſe videtur, excitans maritum ad bellum, opemque ferendam Aetolis.

Quum ſacerdotum ſit, et velatum caput habere, et ſceptrum, Homer. Ιλ. α. 15. quum legatorum ſit, habere ſoleas pedibus adſtrictas, ut demonſtratum eſt T. I. et II. harum picturarum, quum denique baculus ſceptrumve ſit ſymbolum legatorum, Feith. Antiqu. Homer. I, 4, 5. is, qui in pictura ſtat velato capite, cumque ſceptro, poterit eſſe ex ſacerdotibus, quos Homerus IX, 571. miſſos ad Oeneum Meleagrumque ſcribit. Quod ad annulum legati manum ornantem attinet, etſi Plinius XXXIII, 1. ex Homeri ſilentio colligit, Troiani belli temporibus annulorum uſum fuiſſe nullum; Picturarum tamen harum Tomo I. tab. 5. n. 9. et 10. et Theſeus, et puella quaedam, habent annulum in digito. Legatis autem praecipue datum annulum Plinius l. c. ſcribit, qui nempe annulis uterentur ad ſignandum. Macrob. Sat. VII, 13.

In tabula XV. inſidet ſellae mulier, cuius ſiniſtra manus veſtem albam laevo humero fibula annectit, dextrum autem brachium anaclinterio ſellae imponitur. Tecta eſt panno tanquam pallio, pedibusque ſubiectum habet ſcabellum. Adſtat ei vetula, geſtu corporis feſtinationem prodens, quae iuvenem prope ſtantem alloquitur, velatum chlamyde ex humero pendula, cuius animum vetulae dicta horrore videntur perfundere. Quid multa? Videtur pictura ad Hippolytum

lytum pertinere, quem inexpectata nutricis vetulae oratio, de pudendo et inceſto novercae in ſe amore, perturbat. Sed qui conſiderabunt longam in manu iuvenis haſtam, qui oculos in equum convertunt, extra illud conclave, ubi praecipua res agitur, comparentem, in equum, inquam, cuius dorſum pannus velat, pectus luna diſtinguit, qui capiſtrum habet, et oream, et frenum, quo prehenſus tenetur ab aliquo puero, quem brevis veſtis, vixque ad genua demiſſa operit; qui, inquam, haec conſiderabunt, illis fortaſſe in mentem veniet Pelei, qui, ut cum Horatio loquar, fugit abſtinens Magneſſam Hippolyten, Acaſti, hoſpitis ſui, coniugem.

Euripides in Hippolyto in ſcenam inducit et nutricem vetulam, et Hippolytum, et Phaedram, deque omnibus eadem fere tradit, quae hic ab artifice expreſſa ſunt. Haſta hic eſt inſtrumentum venatorium, et equus eſt equus venator. Hippolytum vero ſe crebro exercuiſſe venando, ſatis conſtat. Hinc Phaedra apud Euripidem Hippol. 221. 230. et venatrix eſſe, et equorum domitrix, et haſtam vibrare cupit, ut ſociam ſe dare dilecto Hippolyto poſſit. Erunt, qui hunc equum pertinere putent ad genus mortis, qua Hippolytus periit, a conſternatis equis dilaceratus. Fabula de Peleo eſt apud Schol. Apollonii I, 224. Schol. Ariſtoph. ad N. 1059. aliosque. Ex Poetis alii haſtam, alii machaeram tribuunt Peleo, qui in Thetidis nuptiis equos a Neptuno accepiſſe fertur, haſtam a Chirone. Sunt qui picturam nec ad Hippolytum, nec ad Peleum referendam dicant, ſed ad Bellerophontem, qui eandem ſubiit ſortem, quum faſtidiviſſet Stenoboeam, quam Hippolytus et Peleus, quum alter Phaedram, alter Aſtidamiam ſpreviſſet.

Tabulae XVI. XVII. XVIII. tres Oceanitidas nymphas, vel Nereidas, exhibent. Prima in dorſo hippocampi protenſa iacet: ſecunda tigridi incubat, vel potius pantherae marinae, in auream pateram ex poculo aureo liquorem verſans, quem monſtrum lambendo ſorbet, cuius pellis caerulea maculis fuſcis rotundisque diſtincta eſt. Tertia inſidet

tauro marino, caput verſus nympham flectenti, quae monſtri collum brachio complectitur. Huius nymphae picturae ſubiicitur imago centauri, cui ſub dextro brachio pellis infunditur, ſiniſtrum humerum operiens, et ſuper pectore nodo conſtricta. Dextram eius baculus vel ramus gravat, ſiniſtra ſupra caput ſublata, quaſi ex fronte hiſpidos et volitantes capillos amotura.

De picturis huius generis conſulere licet Plinium XXXVI, 5. Philoſtratum Heroic. 19. Pauſaniam V, 19. Lucianum Dial. Zephyri et Noti: Moſchum in Europa 115. Begerum Th. Br. p. 194. aliosque. Ceterum hic tribus Nereidibus eſt figura formoſarum puellarum. In aliis picturis vulgo pro Nereidibus accipiuntur etiam monſtra, turpiter atrum deſinentia in piſcem, mulieres formoſae ſuperne. Docti interpretes obſervant, has non tam Nereidas exiſtimandas eſſe, quam Nereidum ancillas, Tritonis filias, formam patri ita ſimiles, ut ex parte homines ſint, ex parte piſces, ſecundum Philoſtratum II. Imag. 18. Quod hic in nympha tigridi incubante penicillus, idem ſtilus Claudiani expreſſit, de Nupt. Honor. et Mariae v. 159. ſq. ubi poeta ita:

— — *Hanc piſce volutam*
Sublevat Oceani monſtrum Tarteſſia tigris.

Illa verba, *hanc piſce volutam*, ſignificare docti interpretes arbitrantur Nereidem ex parte hominis corpus, ex parte piſcis habentem. Quum vero nullus poetarum Nereidas faciat biformes, Homero Thetidem vocante ἀργυρόπεζαν, Heſiodo Amphitriten εὐσφυρον etc. Orpheo autem h. in Nereid. XXIII. v. 5. Tritonum potius quam Nereidum figuram deſcribente, cenſent, apud Claudianum legendum *voluta*, et hanc vocem referendam ad tigridem marinam in piſcem deſinentem. Sed nec recepta lectio *volutam* alienam Nereidi figuram dabit, ſi praeeunte Burmanno explices *delapſam a piſce, quo ante vehebatur, ſublevat tigris.* Errare igitur exiſtimandi ſunt artifices, quoties pingunt Nereidas, quae dimidia

midia ex parte piſces referunt. Pictoribus ſculptoribusque, qui exprimunt tales nymphas quaſi inferne piſces, errorem iniecisſe videtur facilitas illa, qua feruntur Nereides per aquas et ſuper aquas. Cui errori fidem addidit opinio vulgi, et falſa peregrinantium narratio. Neque Homerus, neque Heſiodus, fingit Nereidas piſcibus vectas. Homerus v. c. comparat Leucotheam cum ave ſuper aquas volante Od. V. 337. Nonnus Dionyſ. VI, 307. illis tribuit δρόμον διερὸν, *facultatem in aquis ambulandi.* A quibus abeunt alii Poetae artificesque, exhibentes Oceanitidas Delphinis, Tritonibus, ſimilibusque vectas monſtris.

In tabula XIX. ſub rupe, ad radices arboris, ſedet fere nudus, nec niſi pelle in ſiniſtrum femur defluente tectus Marſyas, ſenex, docens Olympum tibia canere, eaque paxillis quibusdam inſtructa, quorum uſus eſſe aliquis videtur in aperiendis claudendisque tibiae foraminibus, ad variandum ſonum. Marſyae hiſpidi ſunt capilli, barba denſa et promiſſa, acutaeque nares. Sed facies eius nec trux eſt, ut alias, nec hiſpida, nec frons cornuta.

Cenſent celeberrimi interpretes, parachronismum hic a pictore admiſſum, qui tibias Marſyae paxillis iſtis inſtruxerit. Nam primum fuiſſe Pronomum Thebanum, qui variare tibiae ſonos ſciret, Pauſan. IX, 12. Athen. XIV, 7. Marſyam autem victum fuiſſe, quia variare modulationem neſciret. Hygin. f. 165. Sed huius parachronismi hi demum arguent pictorem, qui paxillos iſtos non niſi variando ſono inſerviiſſe certum habent, locumque Hygini, obſcuriorem fortaſſe, quam ut inde tuto aliquid colligere liceat, ex mente doctiſſimorum virorum interpretantur.

Tabula XX. tria continet: primo iuvenem alatum, cuius caput corona ex frondibus ambit, ſiniſtrum brachium parvus pannus, isque flavus velat, dextram pedum gravat; ſecundo mulierem, quae intuenti tergum obvertit, quae ſiniſtra thyrſum cum taenia praefert, dextra vaſculum: tertio ſenem calvum, barbatum, coronatum pampino, veſte aliqua indutum, ex ſiniſtro brachio ita defluente, ut non niſi

corpus

corpus inferius, pedesque tegat. Sinistra tenet baculum frondentem praelongum, cui serpens circumvolvitur.

Docti interpretes incertum relinquunt, sitne prima figura Bacchi, an Fauni, an Amoris victoris, quum hi omnes alati interdum occurrant; sitne mulier medium in pictura locum tenens Baccha aliqua, an puella initianda Bacchi mysteriis; sitne tertia figura Sileni, an Aesculapii, an Bacchi Indici, qui barbatus et senex exprimi solet.

Tabula XXI. in proiectura cuiusdam coronae seu cornicis exhibet Scyllam, dimidia ex parte mulierem, qua vero desinit mulier esse, in duas partes squamosas divisam, tanquam in duas caudas piscarias, intra quas tria monstra prodeunt, lupus marinus, vel canis, qui iuvenis cuiusdam pectus dentibus petit: equus marinus, qui mordicus inhaeret pueri alicuius capiti: denique alius equus marinus, qui alicuius humerum morsu petit. Tria haec monstra pectore tenus conspicua sunt. Scylla gubernaculum utraque manu sustinet. Fasciola quaedam ex humero sinistro infra pectus delabitur, cuius extremitates, ubi se secuere, quasi divaricatae diducuntur.

Observant docti interpretes, ex ea parte corporis, quae index est sexus, in Scylla saepe lupos, saepe canes, saepe alia marina animalia prodire, et hoc ipsum intelligi ex Tarsensium numis.

In tabula XXII. mulier incognita, quae esse Vestalis videtur, vel alia sacrorum ministra, insistit fragmento alicuius coronae, vario colore pictae, quam columna, cum quibusdam ornamentis in utraque extremitate, sustinet. Ornamenta similitudine accedunt ad aplustria. Vestis mulieris exterior similis crocotae, hoc est, tuniculae toti clausae, cum manicis amplis, descendenti ad cincturam usque, coloris subrubri, quae aliis vestibus saepe iniiciebatur, saepe vero etiam vestis interior erat ab indusio vix diversa.

In tabula XXIII. est mulier, conspiciendam praebens partem corporis dextram, nudam fere usque ad cincturam, nudumque omne pectus, satis eminutum. Dextra, in cuius

carpo

Digitized by Google

carpo eſt circellus aureus, praefert lyram flavam quinque chordarum, quam digitis tangit. Pars longi albique capilli defluit in humeros: pars intorta eſt, et corona hederacea coercita, cuius aliquot frondes ſiniſtrae imminent fronti. In capite habet ornamentum, ſimile illis, quae in capite figurarum Aegyptiarum viſuntur.

Quum hedera ſit et bacchantibus propria, et poetis, credibile eſt, hic poetriam citharistriam expreſſam eſſe. Citharistrias in publicum prodiiſſe ſaepe immodeſtius veſtitas, et prope nudas, res nota eſt ex Athenaeo XIII, 9. p. 607. et ex Bulengero de Conviv. III, 30. Si femina, de qua agitur, picta modeſtius eſſet, ea veri ſimiliter Corinna dici poſſet, de qua Pauſan. IX, 22. Alian. V. H. XIII, 25. ibique Perizonius. Sed ille ipſe immodeſtus habitus pondus aliquod eorum opinioni addet, qui Sapphus hanc eſſe imaginem arbitrantur, de cuius effrenis amoribus, carminibusque laſcivis, ſatis conſtat vel ex Ovid. A. A. III, 331. Sappho ipſa de ſe apud eundem vatem Heroid. XV, 121.

Non veniunt in idem pudor atque amor: omne videbat
Vulgus: eram lacero pectus aperta ſinu.

et v. 140. — — in collo crine iacente feror.

Quid ſimilius huic picturae eſſe, quam haec deſcriptio, poſſit? Haec eadem Sappho in numis Mitylenaeis exprimitur habitu citharistriae, et cum lyra in manu, non aliter ac hic. Quod ad ornamentum in capite attinet, tutulo ſimile, illud non eſſe aliud, quam ſolitum adminiculum muniendis ſtabiliendisque ſtatuis, coniiciunt docti interpretes.

In tabula XXIV. duo inſunt: primo iuvenis nudus, ſolam aliculam, hoc eſt chlamydem puerilem indutus, quam dextro humero fibula annectit. Utraque manu aureum vas tenet. Capillum eius compoſitum faſciola conſtringit. Videtur eſſe Hylas, Herculis ille comes, a nymphis raptus. Secundo ineſt iuvenis, itidem nudus, cum chlamyde, capilloque ornato et criſpato, cuius in ſiniſtra eſt flabellum ex pennis fortaſſe pavonis: in dextra corona radiata. Dubites,

ſitne puer miniſtrator, an pincerna, an alius, quem referre ad Hylam poſſis.

Hylas apud Gronovium A. G. T. I. eſt in marmore. Pingitur cum chlamyde, quia puer; cum hydria in manu, quia ad petendam aquam ab Hercule miſſus eſt. Secundus in hac tabula iuvenis eſſe Ganymedes videtur, pincerna Iovis. Corona radiata multis quidem Numinibus convenit, ſed praecipue Iovi. Flabellum autem eſt inſigne pueri in convivio miniſtrantis. Quibus haec explicatio displicet, his per doctos interpretes licebit puerum intelligere unguenta in vaſe portantem, cuiusmodi pueri poeta aliquis meminit apud Athenaeum IV, 5. p. 137. Lectu quaedam non indigna habent docti interpretes de flabellis, de vario eorum uſu, ſtructura, materia, deque ſervis flabelliferis, quibuscum coniungere iuvabit ea, quae leguntur apud Caſaubonum ad Suet. Aug. 82. In Calendario Lambecii quarti Seculi in Theſ. A. R. VIII. p. 100. eſt pictura menſis Auguſti, quem exprimit iuvenis bibens, et flabellum tenens ex plumis pavonis, quod huic noſtro flabello ſimillimum eſt.

In tabula XXV. duo ſunt: primo ſenex nudus, incompoſito capillo, barbaque inculta, baculum tenens manu, ſedensque. Si verum eſſet, quod ſcribit Scholiaſtes Iuvenalis XIII, 121. Gymnoſophiſtas dictos Cynicos, quod incederent nudi, poſſes prope citra errandi metum dicere, hic Cynicum expreſſum eſſe. Sed primo in Scholiis, quae quidem Henninius et Schrevelius edidere, nil tale legitur, et ſi legeretur, cum doctis interpretibus id verum eſſe negarem. Cynici enim tribonio velati, non prorſus nudi incedebant. Secundo in hac tabula pictus etiam eſt iuvenis robuſtus, ex toto nudus, cuius ſub brachio eſt diſcus flavus, quem dextra prehenſum fert. Non fallentur, qui diſcobulum pictum exiſtimabunt. Et reliquos athletas, et qui diſcum iacerent, ſolitos, ſi non ſemper, ſaepe tamen veſtes exuere, ſatis conſtat. Apud Lucianum in Anacharſide diſcoboli

coboli dicuntur nudi. Apud Mercurialem A. G. II, 7. discoboli aliqui veſtiti ſunt, aliqui nudi.

In tabula XXVI. eſt primo muliercula, ſellae aureae inſidens, ſuperiorem corporis partem nuda. Panni, corpus inferius velantis, ora eſt candida. Inſpicit in ſpeculum, quod dextra admovet oculis; ſiniſtra partem albi capilli attollit, capillo reliquo in collum humerosque defluente. Fortaſſe nihil coniectura aberrant Interpretes, quum dicunt, hanc mulierem Venerem eſſe comas componentem. Huic mulieri e regione inſidet aureae ſellae, cui etiam ſiniſtra incumbit, vir non barbatus, cuius capilli ſunt breves et incompoſiti, ſuperiore corpore nudo, inferius panno flavo velante. Dextrum brachium ſupra caput extendit. Coniiciunt Interpretes, Vulcanum eſſe, a labore requieſcentem.

Speculum ſaepe eſſe inſigne Veneris, oſtendunt Interpretes ex loco Athenaei XV, 10. p. 687. et Callim. h. in Pall. 20. ubi poeta Venerem non aliter deſcribit, quam hic manus artificis expreſſit. Adduntur nonnulla de ſpeculorum veterum forma, materia, et uſu. Qui perpendent, hic virum nec claudicantem, nec deformem, nec ſenem cum denſa barba, nec cum pileo, nec cum martello, nec forcipe pictum; hi vix de Vulcano hoc loco cogitandum putabunt. At Montfaucon T. I. p. 1. l. III. c. 1. obſervavit, in antiquis monumentis Vulcanum nec claudicantem, nec horrida deformique facie fingi. Dein quum pingatur hic Vulcanus non opus faciens, ſed a labore requieſcens, nihil attinebat vel inſtrumenta artis, vel velamentum capitis adiicere. Denique Scholiaſtes Sophoclis ad Oed. Col. 56. diſerte teſtatur, Vulcanum etiam forma iuvenili pictum fuiſſe.

Tabula XXVII. exhibet imagines duarum puellarum. Altera humi ſedet, dextro brachio ita innitens, ut manus ſolo incumbat. Dimidium corpus eſt nudum: reliquo dimidio, et parti dorſi involvitur pannus, qui et ſiniſtrum pedem nudum relinquit. Siniſtra manu praefert grandiuſculam frondem, qualem fere Antiquarii eſſe vel Adſperſorium

putant, vel flabellum. Corona ex viridi fronde, et fortaſſe ex hedera et pampino, coercet album capillum, qui flexus et in ordinem digeſtus, nodum in capite efficit inſtar taeniolae prominulae. Ex auribus pendent tenues circelli aurei. Altera puella, ſuperiori non abſimilis, itidem ſedet. Pedes et femora involvit pannus, qui dorſo infunditur, partemque dextri brachii operit, quod cymbalo innitur, cuius oram virgae quaedam aut tintinnabula ambiunt. Manu ſiniſtra cornu praefert. Ex auribus pendent margaritae. Coma eſt candida, et ex toto corona frondea velata.

Compoſuiſſe comam altera mulier doctis interpretibus videtur ad eum modum, qui dicitur *galea*, in Inſcript. apud Pignorium de Servis p. 392. Schol. Iuvenal. VI, 120. Nam in hac pictura capilli conſpiciuntur in nodum coacti in ſummitate capitis, ad imitationem criſtarum in galea. Et quum corona hederacea, et pampinea, quum frondes pro flabello adhibitae, quum denique cymbalum et cornu ad bacchantes pertineant: coniiciunt doctiſſimi Interpretes, mulieres hic pictas eſſe bacchantes, a ſaltatione et compotatione requieſcentes, vel eſſe nymphas Bacchi nutrices. Quae explicatio illis magis placebit, qui ſeſſionem et quietem convenire Bacchis negabunt.

In tabulis XXVIII. XXIX. XXX. XXXI. ſunt quatuor mulieres, quas ex veſtitu, motuque capitis, geſtuque, ex habitu motuque pedum, colligas eſſe Bacchas ſaltantes. Etſi vero ſaltare videntur omnes, veſtitu tamen, et ſitu corporis, et habitu, inter ſe differunt. Primae albam comam mitra ſeu faſcia cingit. Veſtis ampla, longa, flava, pellucida, corpus totum, ſimulque manus et caput tegit, in quo attollitur aliquantulum et intumeſcit. Caput ita reflectitur, ut mulier retrorſum oculos coniicere videatur. Secundae caput ambit corona hederacea: capillus autem eſt ſolutus et fluens. Caput retorquetur verſus humeros. Siniſtra in altum ſublata, et poſt cervices miſſa, totumque extenſum brachium partem poſteriorem veſtis longae, patulae, et pellucidae, ſuſtinet: anteriorem vero dextra. Soleae operiunt ſo-

las

Digitized by Google

las plantas. Etiam tertiae eſt veſtis patula et longa, eaque thalaſſina, tantaeque tenuitatis, ut nebula linea potius addita corpori videatur, quam velamentum. Ea ita collo, poſticoque capiti circumvolvitur, ut efficiat velut cuculum. Altera eius extremitas ex humeris funditur, altera manu mulieris attollitur. Eiusdem mulieris in ſiniſtra arcula eſt, qualis obvia eſſe ſolet in cerimoniis pompisque bacchicis. Quarta mulier thyrſum cum taenia pendula habet, capite pampinea corona cincto. Dextra in capite ſuſtinet caniſtrum, in quo rami ſunt et frondes, quae magna ex parte panno flavo velantur. Longae et fluentis veſtis parti ciſta in capite incumbit. Faſciola flava ambit carpum dextri brachii: favi ſunt etiam calcei et calceorum vincula.

Non eſt praetereundum, quod hic docti interpretes ex Athenaeo XIV, 6. p. 629. obſervant, nempe artifices, ut ſuas figuras exprimere eo motu poſſent, qui plus gratiae haberet, imagines earum petiiſſe a ſaltantibus. Ex eo enim efficitur, non eſſe prorſus certum, mulieres, quae ſaltantes exprimuntur, revera eſſe ſaltatrices.

Tabula XXXII. duas quidem picturas habet, ſed eiusdem argumenti. Exprimuntur iis duo Satyri, vel potius duo Fauni funambuli. Primi Fauni et corpus totum, et facies, eſt rubra. Capiti eius pannulus, vel pellis flava, inſtar petaſi, iniecta eſt. Alius pannus viridis in ſiniſtro eſt brachio, et thyrſus in humero. Funis, in quo Faunus dextrum brachium extendens ſaltantis geſtum imitatur, deſinit utrinque in ornamenta quaedam, quae ſunt ex frondium implexu atque contextu. Haec transverſa per totam picturam producta tres ſinus efficiunt, quorum medius eſt minimus, qui fune clauditur. Duo reliqui ſinus, qui ſunt ad utrumque latus, deſinunt in duo nodos, et clauduntur ſeu encarpo, ſeu haſta, ſeu thyrſo rectilineo, qui vicem funis gerit. Ex ſinu unoquoque medio catellae pendent, quae vaſa ſuſtinere videntur.

In Scholiis, cum alia ſcitu digna exponuntur, tum varia genera funambulorum.

Tabula XXXIII. exhibet duodecim funambulos. Primus eſt coloris praſini, tenens dextra urceolum, ſiniſtra phialam, in quam ex illo liquorem infundit: ſecundus ruber habet citharam: tertius, et quatuor tertium ſequentes geſtant thyrſos, diverſoque motu ſaltant, et ipſo motu aequilibrium aequabilemque greſſum quaerunt in fune: quintus praeter thyrſum etiam phialam tenet: octavus ruber canit tibiis: nonus itidem ruber portat lyram. Trium ultimorum primus habet lyram: ſecundus inſtrumento, ut videtur, carens, ambo extendit brachia: in tertii ſiniſtra eſt patera, in quam vinum ex vaſe defluit cornu ſpeciem habente, quod in dextra eſt. Petaſi, vel pelles flavae, velant cunctorum capita: pelles etiam aliorum ex brachiis pendent, aliorum in humeris volitant.

Hoc loco praeter alia docti interpretes obſervant, vaſa illa, ex quorum parte inferiore in modum aquae ſalientis liquor manaret, dicta fuiſſe ῥύσεις, ῥυτὰ, ex Athenaeo p. 497. Hinc Martiali *rhytia* eſſe pocula cornuum inſtar habentia.

In tabula XXXIV. ſunt quatuor picturae orbiculatae, quibus totidem Genii, cum variis ſymbolis, vel ad Bacchum, vel ad convivia pertinentibus, exprimuntur. Primi caput cingitur faſcia, chlamys ſiniſtro humero alligata ſub dextro brachio defluit. Siniſtra tenet pateram, dextra aliud vas, ex quo in pateram liquor infunditur. Secundi Genii e tergo pannus pendet, manu tenentis vas anſatum, idque grande et cylindraceum, dextra pateram, quae femori impoſita eſt. Tertius humeris portat capreolum: quartus ambabus manibus vas cylindraceum turriculae ſimile.

Etiam XXXV. tabula eiusdem generis quatuor Genios ſubiicit oculis. Primus ſaltantis ſpeciem prae ſe fert, ſiniſtra tenens aliquid calatho ſimile capiti impoſitum, dextra autem thyrſum cymbalumque cum tintinnabulis: ſecundus ambabus manibus portat vas aureum utrinque anſatum: tertius dextra poculum tenet, ſiniſtra urceolum, fortaſſe vinum aqua temperaturus: quartus ſolus alis caret, capitique impoſitam portat concham, manu ſceptrum tenet.

In

In tabula XXXVI. duo inſunt. Primo humo aggeſtae marmorea menſa impoſita eſt, cui ſtylobates itidem marmoreus incumbit, cum ſtatua ſenis, qui Priapus videtur eſſe. Is eſt barbatus, coronatus frondibus, et veſte amictus ad pedes demiſſa, ipſaque brachia et manus operiente, et circa medium corpus aliquantulum prominula. Ramus palmae iacet in menſa, prope quam eſt vas, cui inſculptae ſunt frondes, cum anſa longa rectilinea, cui implicatur faſciola. Super menſa, ad imum ſtylobaten, ſunt duo incognita inſtrumenta. In altera pictura marmoreae baſi impoſitus eſt Hermes, habens caput ſenis barbati, coronatus frondibus, cum anſis, unde coronae frondeae pendent. Humi ex una parte iacet fragmentum columnae marmoreae, cui incumbit ramus palmae: ex altera parte concha, inſiſtens tribus pedibus, ungularum ſpeciem prae ſe ferentibus. Hermae innititur circulus ex aere, quibusdam cuſpidibus munitus, qui fortaſſe eſt trochus, vel rhombus magicus. Docti interpretes monent, apud Ariſtoph. Lyſiſtr. 981. in ſcenam induci legatum, eodem modo veſtitum, quo hic ſenex eſt. Hunc legatum a non nemine compellari his verbis: Σὺ δ' εἶ τις πότερον ἄνθρωπος, ἢ κονίσσαλος; esne tu homo, an Coniſſalus? ibique iudice Scholiaſta Coniſſalum eſſe deum Priapo ſimilem: Syneſium porro cunctos deos libidinoſos vocare Coniſſalos ep. 3. Quod attinet ad incognita illa inſtrumenta, ea eſſe docti viri putant vel duas tibias, quibus locus in feſtis Priapi erat, vel duo fruſta oſſea ſeu metallica, quae crotalorum inſtar concutiantur, vel duo phallos, Priapo offerri ſolitos. His adduntur quaedam de Hermis, de rhombo et trocho magico, cuius uſus aliquis non minus in re Venerea, quam in ſacris bacchicis. Ad cuſpides in rota ſeu trocho prominentes referendum putant docti viri locum Propertii III, 12, 6.

Increpat et verſi clavis adunca trochi.

de quo conferre non pigebit Raderum ad Martial. XIV, 168. et Hieronym. Mercurialem A. G. III, 8.

Tabula

Tabula XXXVII. et Bacchum oculis ſubiicit, et Satyrum, et Priapum. Bacchum vides inter multas arbores viteſque ridentem. Caput eius coronatum eſt frondibus floribusque. Promiſſus capillus, et annulatim criſpatus, in humeros defluit. Caput ornat diadema cum taeniis, quae in capitis ſummitate conſtrictae velut duo cornua efficiunt. Pellis ex dextro humero deſcendens, et per pectus fuſa, ambit utrumque latus. Longus pannus laevum humerum ex toto tegit, item brachium, laevumque crus et pedem. Ocrea ex pelle ferina dimidium cruris, et pedem munit. In ſiniſtra eſt longus thyrſus, cui faſciola eſt alligata: in dextra cornu, in tres cuſpides deſinens. Ex cornu inverſi orificio vinum partim in pateram, partim in pectus Satyri defluit, pateram ſiniſtra tenentis. Satyrus humi iacet, dextraeque innixus ſurgere conatur, ſurrecturus etiam, ni Bacchus pedem imponeret eius ventri, qua pars hominis coniungitur parti caprinae. Ex altero latere picturae conſpicitur Priapus ſub arbore, cui vitis haeret, ſuper alta baſi vel ara quadrata. In dextra eius videtur canna fiſſa eſſe, in ſiniſtra aliud inſtrumentum non ſatis cognitum. Duae perticae, quarum altera praelonga eſt, ex capite ſurgunt.

Bacchum floribus coronari, diadema geſtare, cornutum exprimi, pellibusque cinctum, ocreatum, cornuque pro poculo uti, ſatis notum. Illud incertum, quid ſibi tres cuſpides in cornu velint, ſintne additae ut prehendi teneriique manu poſſit cornu, an ut telum Bacchi triſulcum indicent, an aliam ob cauſam. Inſtrumentum incognitum in Priapi manu eſt, fortaſſe falx Priapi propria, Virg. G. IV, 111. aut crotalum, ſeu arundo fiſſa. v. Priapeia c. 26. Apud Begerum Th. Br. T. III. p. 264. Priapus cum crotalis, ſeu arundine fiſſa, exhibetur. De arundine in Priapi capite fixa Horat. I. Sat. 8. v. 6 ſq.

In Tabula XXXVIII. baſi rotundae, ſub arbore patula, marmorea ſtatua inſiſtit, Bacchum barbatum oculis offerens, indutumque veſte talari, cui lorica muniendo pectori eſſe iniecta videtur. Caput ornat ſeu corona radiata, ſeu galea.

Siniſtra

Siniſtra praefert thyrſum, ſeu haſtam cuſpidis opertae: dextra cantharum. Baſi adiacet palmae ramus, et crater inverſus ex metallo, in quo ruber liquor: item agni caput, et hydria. In quodam monticulo collocatus eſt grandis diſcus metallicus, isque anſatus, in quo nux pinea, fruges aliae, et in medio aliquid ſerpenti ſimile.

Ex ſubiectis obſervationibus intelligere licet, Bacchum Indicum, auctore Diodoro III, 63. καταπώγωνα dictum, item Lenaeum, qui arma per univerſum orbem circumtulerit, vineasque conſerendi, et vinum torcularibus exprimendi, rationem docuerit. Bacchi barbati meminiſſe etiam Pauſaniam V, 19. qui et in numis Naxiorum, Catanenſium, Thebarum occurrat, apud Begerum Th. Br. p. 15. 432. Loricam denique pertinere ad Bacchi virtutem militarem, qui Ἐνυάλιος a Macrobio I, 19. et Ἄρηϊος ab Orpheo, dicatur. Ad ultimum, praeter vinum, cantharum, ſerpentem ad Bacchum pertinentem, propriam eiusdem Numinis eſſe nucem pineam: idcirco talem nucem fere eſſe in ſummitate thyrſi. v. Suid. in κιονοφόρει, et Clemens Alexandrin. in Protrept. p. 11. ſq.

In tabula XXXIX. tropaeum ſuper arboris trunco ex ſpoliis hoſtilibus ſolito more conſtructum eſt. Ei adſtat ex una parte Victoria alata, martellum dextra tenens, ex altera parte victor, dextra tenens vexillum quadratum, quaſi illud in tropaeo collocaturus, ſiniſtra longam haſtam: coronatus herbis, frondibus, lemniſcis. Pectus eius aegis munit cum capite Meduſae. Sub pectore balteus eſt cum manubrio parazonii. Sagum habet et chlamydem, et ocreolas, in quibus duo capita apparent.

Quae in obſervationibus addita ſunt, docent, antiquiſſimis temporibus tropaea conſtitui conſueviſſe in truncis arborum, olimque opinionem fuiſſe, ſuperbiae eſſe intolerandae, ponere tropaea durabilia ad conſervandam ſempiternam memoriam cladis victarum gentium. v. Weſſeling. ad Diodor. XIII, 24. Plutarch. Qu. Rom. 36. Sed poſtea tropaea coepta fieri ex marmore et metallo. Pauſan. II, 21.

V, 27. Spanh. m. ad Iul. Caeſ. 239. Thebanosque, quod victis Lacedaemoniis tropaeum ex aere feciſſent, accuſatos apud Amphictyonas fuiſſe, Cic. de Inv. II, 23. Nec Domitium Aenobarbum, nec Fabium Maximum laudari, quod primi Romanorum fecerint turres, quibus ſpolia adfigerent, Flor. III, 2. Strabo IV. p. 186. Ceterum Virgilium tropaeum tale, quale hoc eſt, deſcribere Aen. IX, 5.

Tabula XL. famoſum equum Durateum exhibet, qui Troiam deducitur. In hac pictura Troia pinnis ornata eſt, turribusque cincta, non ſecus ac tabula in Iliaca apud Fabretti de Col. Trai. p. 314. In hac equus Durateus pelles in dorſo habet loco ſellarum. Equi pedes inſiſtunt magnae tabulae, ſub qua orbis eſt ligneus, qui videtur rota machinae eſſe, de qua Virg. Aen. II, 235. Tryphiodor. 98. et Qu. Calaber XII, 417. Machina inſiſtit tabulae, ex qua funes prodeunt, ſeu ſtupea vincla quae collo intenduntur, Virg. II, 236. Funes trahunt homines, mirabilem in modum veſtiti, perſonati, et propemodum caninam faciem habentes. Difficile eſt dictu, cur artifex hoc loco Troianos expreſſerit perſonatos. Quum perſonae bacchantium fere propriae fuerint, quum in conviviis publicis privatisque, in pompis, feſtisque deorum dearumque ſolemnitatibus locum habuerint: coniiciunt doctiſſimi viri, id factum hoc loco eſſe ad immodicam Troianorum hilaritatem, et fortaſſe etiam ebrietatem, indicandam. Aliqui apparent ſaltantes, ſicut apud Horat. IV. od. 6. 15. Pueri puellaeque ſunt circa equum, uti apud Virg. II, 238. Adſunt qui ramulos manibus tenent et frondes, quique lampades geſtant tanquam in re laeta. Caſaub. ad Suet. Iul. 37. Faber Agoniſt. II, 10. n. 4. Mittimus cetera.

In tabula XLI. quinque picturae coniunguntur. Prima exhibet columnationem cum encarpis, quae procul dubio exprimit forum. In ea apparet primum homo erectus in pedes, barbatus, cum pallio Ei adſunt tres pueri, quorum primus pallium, reliqui duo tunicas geſtant, cum longis manicis. Omnes ambabus manibus genibus impoſitas tabellas

tabellas tenent. Tres alii ad columnam accedunt, quaſi auſcultaturi. Poſtea conſpicitur puer nudus, quem duo alii pueri ſuſtinent, alter ſuis humeris impoſitum, prehenſisque eius brachiis, alter prehenſis pedibus. Adſtat quartus virgas expediens, quaſi verberaturus.

Ad haec docti interpretes obſervant ex Lipſ. Magnilud. Rom. III, 7. et Perizon. ad Aelian. III, 21. in porticibus fororum omnes artes, tam liberales, quam ſerviles et ſordidas, exercitas fuiſſe. Itaque hominem iſtum palliatum, barbatum, ſtantem, videri vel philoſophum vel grammaticum pueris praecepta tradentem. Tres porro pueros genibus impoſitas tabellas tenentes, vel ſcripſiſſe ſuper genu, vetuſtiſſimo more, quem Homerus Batrach. 3. reſpiciat: vel intentos fuiſſe legendo ſyllabizandoque: denique puerum nudum eo caſtigationis genere adfectum fuiſſe, quod aliqui ſcriptores dicant *catomidiare*, vel *catomo caedere*, de quo Prudent. Periſteph. h. XIV. 696. et Gonſal. ad Petron. 132. In reliquis picturis videntur tabernae eſſe, in quibus panni calceique venales. In ultima pictura videtur porticus eſſe expreſſa, inſtituendis pueris puellisque accommodata. Sub adſpectum ibi cadunt quatuor figurae, quarum duae exprimunt matrem filiamque, quam in ſcholam euntem mater comitatur: figura tertia, quae eſt hominis ſedentis, quocum mater confabulatur, ludimagiſtrum; quarta denique diſcipulum exprimit.

In tabula XLII. tres picturae videntur et porticus exprimere, et variarum rerum venditores. In prima a) iuvenis, pannum album porrigens intuendum pertractandumque mulieri: b) mulier, cuius in capite ſunt flores, et quam credibile eſt meretricem eſſe: c) aliae mulieres, quae in capite galerum habere videntur, hoc eſt retiolum colligendis comis. Quando capillus ita erat compoſitus, ut in capite velut nucem pineam efficeret, dicebatur haec crinium compoſitio κρωβυλος in viris, κόρυμβος in mulieribus, σχόινιος in pueris. Schol. Thucyd. d) puer martellum dextra, aliud inſtrumentum ſiniſtra, tenens, quaſi opus facturus:

e) parva tabella, in qua duo panes, duoque caniſtra, continentia panes artopticios, ſeu ſcriblitas, quas Iſidorus vocat tortas. In ſecunda pictura porticus eſt, in qua venum expoſita ſunt variorum animalium fruſta iam cocta: deinde taberna, ſeu officina ſutoris: denique columnatio, ex parte velis clauſa, et porta cancellata. Tertia in pictura expreſſum eſſe docti interpretes coniiciunt thermopolium. Nam ea exhibet aliquot hominum figuras, quorum aliqui manu vaſa tenent: aliquis altera manu vas, altera poculum, quod ori admovet, quaſi bibiturus. Et Graecis et Romanis tabernas publicas fuiſſe, in quibus potiones calidae venderentur, colligas ex Athenaeo II, 6. III, 35. p. 123. Plaut. Curcul. II, 3. 9. quas ſublatas poſtea a Claudio tradit Dio l. LX. Qui et l. LXIX. narrat, quendam tempore luctus, ob mortem Druſillae indicti, vendita aqua calida, a Caio trucidatum eſſe.

Tabula XLIII. ſex picturas habet, quarum prima currum birotum exhibet, ſeu plauſtrum, a duobus iumentis tractum, et plauſtrarium: ſecunda mulum, cui ſella impoſita eſt, qui et antilenam habet, et poſtilenam, et loricam: tertia ſenem pauperem, mendicantem, cuius barba inculta, capilli incompoſiti, qui paucis pannulis, qua cinctura eſt, velatur, cuius ſiniſtra baculo innititur, dextra funiculum tenet, alligatum collari alicuius catelli. Mendicus adſtanti mulieri cavam porrigit manum. Quarta ſtatuam equeſtrem exhibet, mulieremque et aliquot alias figuras: quinta porticum et columnationem et encarpa, et praeter alia non neminem vendentem aliquas res in tabula poſitas. Viſuntur etiam ſportae, batillus, in quo ignis, et aenum ſeu cacabus, et χείαγρα, hoc eſt inſtrumentum prehendendis rebus, quae ſunt in cacabo, aliaque ſupellex. Ultima denique columnationem, equeſtres ſtatuas tres ſuper baſi marmorea, et in longa tabula quatuor verſus, qui videntur aliquid continere, cui legendo quatuor homines eſſe intenti videntur. Quid continere iſti verſus poſſint, facilius eſt dictu, quam quid reapſe contineant. Obſervant docti viri: 1) ſub ſta-

tuis

tuis conſueviſſe elogia poni et deſcriptiones eorum, in quorum honorem ſtatuae iſtae erectae eſſent, Ovid. Faſt. V, 563. Documento eſſe tabulas Ancyranas, Auguſtum, resque ab Auguſto geſtas, deſcribentes: 2) in porticu aliqua Athenienſium leges fuiſſe ſcriptas: 3) in columnis porticus regiae fuiſſe monumenta elocationum quarundam. Aelian. V. H. VI, 1. 4) publice affixas tabulas fuiſſe, antequam conſilium publicum haberetur, in quibus omnia capita perſcripta eſſent, in conſilio publico examinanda: 5) a Romanis publice per trinundinum propoſitas et leges, et alias res fuiſſe, in comitiis proponendas; propoſita etiam edicta magiſtratuum in albo fuiſſe: 6) affixas denique publice fuiſſe tabellas, indicantes res aliquas vel amiſſas, vel inventas. Propert. III, 23. ſ. f. Plaut. Rud. V, 2.

Tabula XLIV. exhibet primo aſinum cum ſella ſeu clitellis, veſcentem foeno in muro ſuſpenſo: ſecundo hominem ſtantem, oculosque convertentem in equitem: porro alium equitem, iuxta quem praeter equum, cui inſidet, ſunt tres alii equi, quorum omnium habenas manu tenet. Coniiciunt docti viri, alterum equitem eſſe ſingulatorem, alterum deſultorem: vel utrumque eſſe equorum domitorem; adduntque, equitum deſultorum quidem plerumque duo equos fuiſſe, ſed ab Homero nominari etiam quatuor Ιλ. XV, 679.

Tabula XLV. tres picturas continet, quarum in prima eſt puella, ſtilum ferreum dextra in altum tollens, cuſpidemque eius labris admovens, ſiniſtra tenens librum clauſum. In ſecunda eſt iuvenis manibus volumen tenens: in tertia eſt liber apertus, dein ſtilus ex altera parte acutus, ex altera planus.

Stilum in altum ſublatum tenere, eſſe eorum, qui meditantur, et aliquid excogitant, quod chartae mandare poſſint, interpretes docent, adduntque, apud Athenaeum XIII, 5. p. 582. Euripidem totum cogitationibus intentum, circumſpicientemque quid ſcriberet, aliquando a Laide oppreſſum fuiſſe; eo vero tempore Euripidem habuiſſe γραφεῖον

ἐξηρτημένον, hoc eſt ſurſum ſublatum, eodem prorſus geſtu, quo hic puella expreſſa eſt. Iuvenem volumen tenentem pro poeta haberi putant poſſe, praeſertim quum hedera coronatus ſit. Nam et volumine et hedera poetam indicari: hedera, ut ex Ovidio I. Triſt. VII, 2. A. A. III, 411. pateat; volumine autem, quia primo Calliope pingatur volumen tenens, deinde quia in numis aliisque monumentis Homerus volumen teneat, denique quia Athenis aenea Pindari ſtatua fuerit, genibus impoſitum habentis βιβλίον ἀνειλιγμένον. Aeſchin. ep. 4.

In tabula XLVI. primo ſunt duae mulieres, quarum altera ſiniſtra tenet diptycham, dextra ſtilum ferreum, cuius cuſpidem admovet ori: altera habet pannum flavum in capite, et margaritas ex auribus pendentes. Secundo in hac eadem tabula eſt homo lauro coronatus, albam veſtem indutus, tenens pateram aeream ſiniſtra, poculum aereum dextra. Hic videtur eſſe ſacrificiorum miniſter.

Scholia adiecta docent, *diptychas*, latine *duplices*, hoc eſt libellos duabus paginis tabellisque conſtantes, eſſe apud Pollucem IV, 18. γραμματεῖον δίπτυχον, apud Auſonium bipatens pugillar.

In tabula XLVII. eſt Hercules cum pelle leonina et apro in ſiniſtro humero, cumque clava in dextra; mittens alterum pedem in aenei vaſis, humi collocati, oram, ex quo iuvenis imberbis exſerit et caput et brachia, quaſi timens et ſupplex.

Diodorus Sic. IV, 2. Euryſtheum, tradit, conſpecto apro ab Hercule apportato, ita expaviſſe, ut in aeneum ſe dolium abſconderet. Quod teſtimonium ſi cum pictura conferas, facile hanc vim habere poterit, ut et vas illud eſſe aeneum dolium putes, de quo Diodorus loquitur, et imberbem illum iuvenem, ex vaſe ſe attollentem, neges eſſe alium, quam Euryſtheum Mycenarum regem. Sed ſunt tamen nonnulla, quae huic opinioni adverſentur. Ut mittam, in pictura iuvenem non ſe in vas abſcondere, ſed ex vaſe ſe attollere potius; Herculem etiam artifex barbatum fecit,

Digitized by Google

cit, iuvenem vero imberbem. Quum vero Euryſtheus Mycenarum rex Herculis fuerit aequalis, immo paullo ante Herculem natus; aut pictorem erroris inſimulabis, aut negabis imberbem illum iuvenem eſſe Euryſtheum Mycenarum regem. Accedit, Nemaei leonis caedem ante factam eſſe, quam aper Erymanthius caperetur: Euryſtheum autem poſt Nemaei leonis caedem ita ſibi ab Hercule timuiſſe, ut Mycenarum ingreſſu eum poſtea prohibuerit, omniaque monſtra, quae in poſterum allaturus eſſet, ante portas urbis collocari iuſſerit. Hinc Scholiaſtes ad Apollon. Rhod. I, 127. περὶ δὲ τοῦ κάπρου, inquit, καὶ Ἡρόδωρος φησὶν, ὅτι ἐπὶ τὰς πύλας τῶν Μυκηνῶν κομίσας αὐτὸν ἀπέθετο, hoc eſt, *aprum Herodorus tradit ad Mycenarum portas delatum*, et *ibi ab Hercule fuiſſe depoſitum*. Circumſpiciendus igitur eſt aliquis, in quem pictura potius conveniat, quam in Mycenarum regem. Apud Athenaeum XIII, 8. p. 603. Diotimo teſte, Hercules amavit Euryſthea, et ut amaſio placeret, tot labores totque pericula adiit: Διότιμος Εὐρυσθέα φησὶν Ἡρακλέους γενέσθαι παιδικὰ, διόπερ καὶ τοὺς ἄθλους ὑπομεῖναι. Quem locum Interpretes doctiſſimi ita accipiunt, quaſi non de uno eodemque Euryſtheo diverſi auctores diverſa tradant, aliis eum Herculis amaſium, aliis adverſarium dicentibus; ſed quaſi Euryſtheus rex Mycenarum plane alius eſſet, quam is, quem Diotimus ab Hercule amatum fuiſſe ſcribit. Quo ipſo huic picturae non exiguum pretium accedere cenſent, quia nimirum rem doceat, de qua cuncti mythologi taceant. Sed quum iuvenis iſte imberbis non pro Euryſtheo, Mycenarum rege, habendus eſſe dicatur, ſed pro alio Euryſtheo, Herculis amaſio: erunt, quibus in mentem veniat, vereri, ne pictura noſtra pari iure ad alium Herculis ſeu amicum, ſeu amaſium referri poſſit. Certe Anton. Franc. Gorius, vir doctiſſimus, iuvenem iſtum imberbem vel Pholum eſſe putavit, Herculis amicum, vel Hylan. Apud eum in Inſcriptionum Antiquarum T. III. p. 77. in ſepulcro quodam exhibentur aerumnae Herculis, et inter eas aper Erymanthius. De qua ſculptura Gorius ita: *In media ſarcophagi aedicula, prope Herculis pedes, ex urna ſe exerit iuvenis, qui dextram*

dextram manum, ritu opem implorantium, ad eum extendit. Credunt aliqui, hunc referre Pholum, Herculis amicum, quem poſt obitum, Heroum more, ſub monte tumulavit, quae res omni columna et mauſoleo glorioſior ei contigit, teſte Diodoro V, 2. quare ab eo mons ille nomen accepit. Sed mihi vero videtur ſimilius, hanc ſculpturam referre Hylam, Theodamantis filium, quem Hercules amavit, eumque in Myſia, flumine ſubmerſum, ad quod ad hauriendam aquam miſerat, amiſſum lacrimis proſequutus eſt. Hunc typum ſagax ſculptor adiicit, ut in hoc ſarcophago defunctum deſignaret, eique datam a diis divinitatem praemoneret. — — Hercules Orcum adiit, et animos multorum victo Cerbero eduxit, et ad vitam revocavit. Ea propter libentiſſime Romani in ſepulcris eius geſta inſculpſerunt, et tamquam propitium defunctis crediderunt. Ceterum, quantopere auctores de apro Erymanthio ab Hercule capto narrantes varient, oſtendit Leonardus Adami Arcad. Vol. I. p. 145. ſq. Rom. 1716. Haec eadem tabula habet et aliam picturam, duo athletas nudos exhibentem. Alterius ſupereſt duntaxat pectus et caput, brachiumque dextrum caeſtu armatum. Alterius in dextra diſcus videtur. Inter utrumque medio loco vas aliquod conchoides trium pedum, idque aereum eſt, in quod puer aliquis, brevi veſte velatus, aut oleum, aut aquam infundit, ex aliquo vaſe aereo, cuius una eſt anſa, et anguſtum orificium. Quemadmodum doctiſſimi viri obſervant, qui diſcobolus dictus eſt, is nonnullis videbitur pugil, putantibus, athletam non diſcum manu tenere, ſed fruſtum metalli, vel ſaxum, pro caeſtu adhibere. Certe et Mercurialis et Falconierius obſervant, pugiles interdum loco caeſtus in manu fruſtum metalli vel ſaxum habuiſſe, ad percutiendos adverſarios. Vas illud anguſti oris, et unius anſae, ampulla erit aut lecythus, in quo oleum in uſum luctantium, aliorumque athletarum. In gemmis Auguſtini T. II. tab. 61. inter multos Genios ludis gymnicis ſe exercentes, grandis concha occurrit ſimilis hic pictae. Quem vero diximus pugilem, is forte pancratiaſta eſt, cui permiſſum erat, milichias habere, h. e. tenues corrigias e corio, manibus illigatas. Pancratiaſtae non ſecus ac luctatores ex toto nudi erant, oleoque ungebantur. Plutarch. Sympoſ. II, 4. Faber Agoniſt. I, 9.

Digitized by Google

NOVA ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipſiæ

Calendis Maii et Iunii Anno MDCCLXV.

LE PITTURE ANTICHE D'ERCOLANO E CONTORNI, etc.

id eſt:

PICTURAE ANTIQUAE HERCULANI, IN AES inciſae, cum explicationibus: TOMUS III.

Neapoli, 1762. c. figg. aen. permultis, fol. max.

Pergimus in recenſendis Tomi quoque tertii Herculanenſium Antiquitatum bonis, ut cepimus. Videbunt Lectores, eſſe nos, citra morem atque conſuetudinem, copioſiores: ſed dabunt hoc et Libro ipſi, qui eſt in paucorum manibus, et doctrinae doctiſſimorum Virorum, qui explicandis Antiquitatibus iſtis a Rege ſapientiſſimo admoti ſunt, quique adeo, illuſtrandae omni Mythologiae, omnes omnium veterum Scriptorum divitias huc congeſſerunt, iucundiſſimas cognitu et fructuoſiſſimas.

Tabula XLVIII. duas picturas habet non integras, ſed ita vitiatas, ut pauca rite cognoſcas. In altera Minervam inſidentem ſaxo inſignem facit galea, haſta, et ſcutum. Docti interpretes picturam ad Herculem pertinere coniiciunt, opera Minervae a furore liberatum.

In tabula XLIX. duas picturas ad Psychen et Cupidinem referre licet. In prima duobus Cupidinibus media interposita est Psyche. Alter Cupido cistulam humeris portat: alter dextra ramum, eumque fortasse myrteum. Psyche ambabus cistulam ferens, alas papilionis habet. In secunda pictura alter Cupido dextra praefert vas unius ansae, sinistra parvulum sceptrum: alter sinistra palmam, dextra aliquid incognitum, fortasse clavum. In Psyches dextra est urna, in sinistra patera. Docti interpretes hic varia observant: 1) a Platonicis animam cum papilione comparari: 2) quas Aristoteles Hist. Animal. V, 19. dicat ψυχὰς, has a Plinio dici papiliones, Scholiastenque Nicandri φάλαιναν explicare per ψυχὴν, et per κραιοσκολάπτην, hoc est, per animalculum, quod noctu circa lucernas volet: 3) fabulam de Amoribus Psyches et Cupidinis ab Apuleio describi Met. IV. V. et VI. et ab Aristophonte in libro, qui inscribatur Dysarestia, vel Dyserastia, teste Fulgentio Mythol. III, 6. 4) multas imagines antiquas apud Sponium esse Misc. E. A. p. 7. 5) urnulam Psyches hoc loco esse fortasse urnulam illi a Venere datam, ut aquam ex Cocyto hauriret. Apulei. M. VI. 6) Si incognitum illud, quod Cupido dextra praefert, esse clavum sumas, tunc Cupidinem hic pictum similem fore illi apud Sponium l. c. qui clavo papilionem trunco arboris affigit, ut indicet fortasse, sibi amatae possessionem esse certam. Idem etiam palmam innuere videri, nempe Cupidinem ad sua vota perveniisse.

Tabula L. habet multas picturas orbiculatas, quarum praecipuae sunt, quae in medio septem planetas exprimunt secundum ordinem dierum. Primus est Saturnus, cuius in manu est falx ferrea, caput autem flavus pannus, corpus vestis flava operit: secundus Apollo cum nimbo radiato, cum chlamyde rubra, et flagello. Hunc sequitur Diana, cuius caput nimbus, corpus alba vestis, manum sceptrum ornat. Quartus Mars est, quem insignem et lorica ferrea, et cly-

clypeus, et galea criſtata, et haſta facit. Quintus Mercurius eſt, cuius petaſus eſt alatus, quem mento faſcia coniungit. Iovis, qui ſextus eſt, veſtis eſt ſubrubens. Ultima eſt Venus, cui praeterquam quod veſtis alba, monilia, et corona aurea in capite, addunt decus, etiam Cupido adeſt alatus.

In Scholiis oſtenditur, quam antiqua ſit temporis diviſio in hebdomadas, ex Philone, Ioſepho, Clemente Alex. et Euſebio: an haec diviſio ab Ebraeis pervenerit ad gentiles, ex Seldeno de I. N. et G. c. 10. et 23. an origo huius diviſionis repetenda ſit ab aſtrologia, et a vi planetarum in tellurem, ſitne in periodo ſeptenaria Saturnus primus planeta, an Sol, ex Adr. Iunio de An. et menſ. c. 6. et Puteano de Nund. c. 25. cur Saturnus, qui in periodo dierum ſeptenaria primus planeta fuerit, tandem in ultimum locum fuerit detruſus, ex Putean. l. c. Tertullian. Apol. 16.

Tabula LI. oculis offert imagines quinque hominum, qui miniſtros ſacros, ſeu graecos, ſeu barbaros, exprimunt. Celeberrimi interpretes aut ſacerdotes Ebraeos exprimi credunt, aut ſacerdotes Magnae Matris, ita tamen, ut pictorem putent in nonnullis aberraſſe. Geſtant veſtes albas, colobia, ſimileque tiarae tegumentum capitis, cum ornamento in fronte. Aliorum barba eſt promiſſa: alii ſunt imberbes. Prima imago videtur eſſe mulieris, quae ſola ex omnibus armillas habet aureas. Maxime inſignes facit omnes lamella aurea, quam pectori duae fibulae adſtringunt, et in qua aliquot ſunt lineolae horizontales, aliaque ſigna ſeu characteres interlineares: ſimilis pectorali ſummi Ebraeorum ſacerdotis, quod videtur famoſis illis Teraphim locum dediſſe apud gentes Ebraeis vicinas. Seldenus de D. S. c. 4. Aelian. V. H. XIV, 34. cuius generis pectorale etiam ſacerdotes Magnae Matris, vel potius Galli, habuiſſe videntur. Suidas in Γάλλος et προστηθίδιον. Apud Montfauc.

T. I. p. 1. tab. 4. et T. II. tab. 5. sunt mulieres cum imagine in pectore ex collo pendula, quas Inscriptio addita Magnae Matris sacerdotes dicit, et Dionys. Hal. II. p. 91. testatur, inter Cybeles sacerdotes fuisse mulierem virumque Phrygem, portantes in pectore pro more imagines.

Tabula II. videtur Venerem exprimere in Papho cultam, sub imagine metae, seu columnae rotundae in acumen desinentis. Apparet grande saxum rotundum, in acumen desinens, quod insistit arae seu basi quadratae. Saxi ex ima parte, tanquam ex aliquo vase, instar nucis pineae surgentis, et aliquot seu fascias, seu gyros, seu maculas oculo obiicientis, superficies est convexa, cuius circa extremitatem superiorem est proiectura quaedam rotunda et solida, in qua tres cuspides exiguae in altum tenduntur. Ex media proiectura columnae in altius progredientis surgit alia velut nux pinea, eaque exigua, cuius in summitate vel flammula quaedam cernitur, vel flosculus. Stat columna in aperto, et quidem in medio aedificii semicircularis, quod constat corona, quam columnae quatuor sustinent, et septo materiae non satis cognitae, quo aedificium dimidia fere ex parte claditur: item duabus partibus ex utroque aedificii imo latere exporrectis et propendentibus, in quibus duae sunt urnae, seu alia vasa, quorum similia alia septem sunt in corona. Ramusculi aliquot errant inter coronam et columnas: ex septo et basi pendent aliquot fasciae seu vittae: columnae acuminatae imponitur longa canna: et ad alteram earum partium, quas ex duobus aedificii imis lateribus exporrigi diximus, sub adspectum cadit gladius, cui fascia circumligatur. Aedificium fere omni ex parte aqua circumfunditur: et ex una parte super aliqua lingua terrae apparet homo nudus, cum virga in sinistra, dextram attollens ad frontem, in qua duas tresve distinguas cuspides, quas aeque cornua dicere possis, vel radios. Ex altera aedificii parte stat nympha, sinistra praeferens lanceam longam venatoriam, cuius vestis

suc-

ſuccincta eſt, palla vento tumida. Pharetram fert humeris, et indicem dextrae admovet ori. Prope nympham canis caput demittit quaſi bibiturus, et aliquo intervallo alius apparet canis. In alia terrae lingua, quae a continente diſiuncta videtur, ubi aedificium eſt, cernitur mulier veſte velata, ſedens, magnoque ſaxo innixa, habens aliquid in capite difficile cognitu. In vicinia eius ex una parte ſunt duae parvulae cannae, vel aliae plantae aquaticae: ex altera cervus bibens, longis quidem, ſed non ramoſis cornibus, armatus.

Quemadmodum Interpretes obſervant, huic picturae convenit deſcriptio ſimulacri Veneris Paphiae apud Tacitum Hiſt. II, 2. apud Servium ad Aen. I, 724. apud Maximum Tyrium diſſ. 38. Similis eidem eſt Venus Paphia, nunc in modum coni, nunc pyramidis, nunc metae efformata, in numis Druſi, Veſpaſiani, et Traiani, obvia apud Patinum et Vaillantium. conf. Spanhem. diſſ. VIII. de V. et P. N. Huiusmodi ſaxa lapidesque Seldenus ad genus Baetyliorum refert, de quibus Bochartus Chanaan. II, 2. Referebant autem huiusmodi lapides non modo Venerem Paphiam, ſed et alios deos, deasque, v. c. Alagabalum, Herodian. III, 3. Apollinem Carinum, et Agyea, Pauſan. I, 44. Suid. in ἀγυιεύς. Beger. Th. Br. T. III. p. 50. Iovem Milichium Pauſan. II, 9. Sic apud Theſpios Amor erat ἀργὸς λίθος rude ſaxum: ſic Mater deorum Peſſinuntia ſaxum, Liv. XXIX, 8. ſic Pheris triginta petrae quadratae exprimebant totidem deos, Pauſan. IX, 27. III, 20. VII, 22.

Haud nihil ambigunt iidem interpretes, quid ſibi veſtint tres illae cuſpides, ex proiectura rotunda in altum ſurgentes. Eas aut coronam radiatam denoture putant, aut, ſi pro flammula accipias, ipſam Venerem, aut etiam ignem elementarem, generationis vitaeque omnis principium, aut denique, ſi pro flore, tunc florem hunc eſſe poſſe papaver, quod eſt in manu Veneris Sicyoniorum, ad ſignificandam

vim prolificam, feminisque copiam. Addunt nonnulla de columna in aperto ſtante, et Plinium II, 96. Tacit. Hiſt. II, 2. ad rei illuſtrationem advocant: item de vaſe illo, quod alicui diathyro inſiſtit, unde fumus exire videtur: de reliquis vaſis, de cannis, de Cinyra, de Papho, maritima urbe, de Adonide, de cornibus vel radiis, qui in fronte hominis apparent, quos vel peculiare Cypriorum diadema exiſtimant, vel convenire proprie in Adonidem tanquam Solem: de nympha cum lancea venatoria, quam pro Diana habent: et denique de muliere iſta moeſta, quam vel Myrrham eſſe dicunt, vel ipſam Venerem, amiſſo Adonide triſtem.

Tabula LIII. exhibet topographiam. Varia ſub adſpectum cadunt: 1) bos ripae amnis adſtans, herbamque carpens: 2) canis bovem allatrans: 3) ovis et capra: 4) humile aedificium, iuxta quod arboretum ſub rupe: 5) ſtatua ex metallo, Dianam fortaſſe exprimens: 6) aliud aedificium ex duabus columnis et corona compoſitum, in qua duo ſunt vaſa metallica: 7) muliercula prope arboris caudicem ſaxo inſidens, manu pedem tenens, haud dubie pecoris cuſtos: 8) humilis ara vel menſa marmorea, cui incumbunt cannae vel baculi: 9) bos humi iacens poſt mulierem: 10) alba ovis, et poſt ovem ſedens aliquis dextro cubito innixus.

In Tabula LIV. quatuor ſunt picturae, quarum prima frondes frugesque exhibet, et vas vitreum: ſecunda vas vitreum, et caniſtrum, ſeu vannum, in qua aliquot fruges ſunt, et duae monetae, altera aurea, in qua caput apparet, altera argentea. Tertia continet ramum cum frondibus et frugibus. Quarta ficus habet in caniſtro, ſimili illis, quae noſtra aetas in uſum recepit.

Tabulae LV. et LVI. exhibent picturas miſcelli operis, et variarum mirarumque formarum, in quibus artifices potius ſequuntur phantaſiam, quam rerum naturam et veritatem.

tem. Itali et Galli vocant *Grotteſche*, quas Vitruvius VII, 5. exagitat, et recentiores pictores in cryptis Romae inventas avide arripuerunt. Pignor. Menſ. Iſiac. p. 13, In pictura media tabulae LV. apparet ſpecies candelabri, cuius particula quaedam inferior eſt excavata. Huic parti impoſitum eſt vas flavum, quod frondes itidem flavae ambiunt: orae vaſis labroque inſiſtunt duo pſittaci: ex medio vaſe virides ſurgunt frondes, ſibi invicem implicatae, flores albi rubrique cum frugibus, deſinentes in flavum opus tentoriolo ſimile. Huic imponunt alterum pedem iuvenis ex una, ex altera parte puella, ſiniſtra praeferens ramuſculum. Utriusque pes alter eſt in aere. Uterque altera manu prehendunt duo ramos, ex utroque tentorioli latere ſurgentes, qui per medium candelabri ſcapum decuſſatim progredientes, poſtquam ad florem mirae magnitudinis pervenerunt, coniunguntur etc.

Interpretes doctiſſimi animadvertiſſe ſibi videntur ſimilitudinem quandam inter tales picturas et deſcriptionem navis Ptolomaei Philopatoris, apud Athenaeum V, 9. p. 206. In verſu Ovidii Heroid. XV, 37.

Et variis albae iunguntur ſaepe columbae,
Et niger a viridi turtur amatur ave.

Τὸ *variis* aliter accipiunt, quam vulgo accipi ſolet. Burmannus *variis* interpretatur *columbis*, et ex Voſſio ad Catullum LXIX. notat, columbas diverſi coloris improbiora decerpere oſcula, quam faciunt eiusdem coloris. At docti interpretes, Harduinum ſequuti, per *varias* nempe *aves* intelligunt pavones: quibus favet Plinius X, 74. quum obſervat, amicos pavones et columbas eſſe, ſicut turtures et pſittacos. Non deerunt, quibus haec explicatio placeat. Quemadmodum Ovidius, in altero verſu, diverſi generis aves, nempe *nigrum turturem*, et *viridem avem*, hoc eſt *pſittacum*, ſaepe conſociari iungique dicit; ita in altero verſu itidem diverſi generis aves eſſe amicas, nempe *pavones* et *columbas*, dixiſſe

dixisse videri poterit. Vox *varia* igitur interdum pro *bestia* seu *fera* ponitur, et denotat *pantheram*: interdum pro *ave*, et denotat *pavonem*. De *varia* pro panthera v. Salmas. Plin. Exerc. p. 150. et Harduin. ad Plin. VIII, 17. qui inde illustrat Plautum Epidic. I, 1. 15. Augeantur ergo Lexica hoc significatu: scribatur in illis: *varia*, scilicet *bestia*, hoc est, *panthera*: *varia*, scilicet avis, hoc est, *pavo*.

In LVII. tabula expressum vestibulum alicuius templi videtur, vel porticus superior super basilicae vel similis aedificii introitu.

In tabula LVIII. lacunar est, vel tholus, quem aedificium columnaeque duae sustinent. Columnae et coronae sunt albarii operis. Coronae insistit sphinx, habens pectus faciemque mulieris, alas, capillos flavos, et in capite aliquod vas. Ex medio tholo pendet cornu aureum, vinculo subrubro alligatum. In parte picturae inferiore visitur quadrangulum, nigro perimetro clausum, exprimens mare cum piscibus et scopulis. Interpretes ostendunt ex Servio ad Aen. IX, 408. tholum esse partem lacunaris templi, ubi suspenderentur vota, vel tectum sine parietibus subnixum columnis. Addunt, coronarum ex albario opere mentionem facere Vitruvium V, 2. porro albarii operis, et operis marmorati, de quo Varro R. R. III, 7. hanc fortasse fuisse differentiam, quod alterum fieret ex gypso, alterum ex pulvere marmoris, v. Plin. XXXVI, 59.

In tabula LIX. vides partem pronai, magnificique fastigii templi alicuius tetrastyli. Fastigium seu frontispicium est triangulare, et cinctum cuspidibus, quae harpaginetulis sunt similes. Coronam et lacunar quatuor columnae ordinis Ionici sustinent, etc. Ex alia corona procedens encarpus eo usque porrigitur, donec cum flabello triangulari coniungatur, quod in medio habet speculum, exurgitque ex capite sphingis alatae, quae alto tripodi insidet, cuius partes distingui

ſtingui poſſunt omnes. Licet ergo in hoc tripode diſtinguere tres circellos firmandis et coniungendis tribus laminis, ex quibus tripus componitur: deinde cratera, ſeu pelvim primo circello inſiſtentem: porro tres crateris anſas, denique cortinam ſeu operculum tripodis. Cuperus in Homeri Apoth. p. 330. et 353. T. II. Suppl. Pol. inquirit in omnes tripodis partes, ſpeciatim vero cortinae, quae in pluribus numis non ſecus ac hac in pictura innititur tribus crateris anſis, qui ſuſtinetur tripode, ex tribus circellis, tribusque haſtis, ſeu laminis compoſito.

Tabula LX. exhibet aedificia, quae includunt tholum ſuſtentatum octo columnis ordinis Ionici, ornatumque in ambitu ſuperiore harpaginetulis, vel cuſpidibus, quibus et coronae reliquorum aedificiorum, quae ſunt ad latus, ornantur. Uni eorum ſeu cycnus, ſeu alia avis inſiſtit, deſinens in encarpum. Poſt cycnum pluteus cernitur, duabus grandibus pilis interpoſitus. Inter eas etiam conſpiciuntur trium aliarum pilarum humiliorum, ſeu forte ararum quadrangularium, extremitates. Duabus grandioribus pilis vas impoſitum eſt, quod frondes ambiunt.

Doctiſſimi interpretes oſtendunt, tholum proprie eſſe fornicem, deinde quodvis aedificium rotundum, Varr. R. R. III. 5. 12. praecipue templum rotundum, cum Veſtae, Ovid. Faſt. VI, 281. Meurſ. Ceramic. Gem. c. 7. tum aliorum Numinum, Athenaeus V, 9. p. 205. Addunt, etiam ſepulcra huius formae fieri ſolita, Pauſan. VI, 24. Denique templa rotunda, quae non haberent aedificium interius, ſed ſolas columnationes in circuitu, a Vitruvio dici IV, 7. monoptera.

Veniamus ad minores picturas, nunc in deſcriptionum initio, nunc in fine, conſpicuas. Quae prima e tabulae praemittitur pictura, eius ad utrumque latus duae arae ſunt quadratae, quas ambiunt encarpi. In media pictura loculamentum eſt in pariete excavatum, in quo paete can-

cellos ingens concha, eaque flava, ſub adſpectum cadit, poſt quam figura nuda expreſſa eſt, vas conchiforme manibus tangens. Ad utrumque loculamenti latus duo ſunt candelabra, in modum arborum facta, habentium et ramos et frondes. Utrique candelabro columba inſidet alas explicans, coniectis ſurſum oculis. Videtur artifex exprimere voluiſſe vas Dodonaeum et columbas, quas inſediſſe quercubus loquacibus ferunt.

Sicuti interpretes obſervant, auctores non modo de numero vaſorum Dodonaeorum diſſentiunt, ſed etiam de numero columbarum, item de eo, quomodo, et a quibus data in templo Iovis Dodonaei fuerint oracula, v. Stephanus Byz. in fragm. de Dodone p. 114. T. VII. A. G. Strabo VII. van Dale de Oraculis c. IX.

Quidnam figura exprimat, quae poſt vas conchiforme apparet, utrum ſacerdotem feminam, oraculi interpretem, an Echo, de quo Philoſtratus Imag. II. 34. an puerum vas percutientem, de quo Stephanus et Strabo l. c. an Dodonam, nympham, Oceani filiam, a qua nomen oraculo; an denique Venerem, cui ſimul et Iovi templum Dodonaeum ſacrum fuit, teſte Servio ad Aen. III, 466. incertum eſt. Porro, quum auctoribus Philoſtrato et Stephano, lebes Dodonaeus tactu reſonans non prius reſonare deſinat, quam cum aliquis iterato tactu ad ſilentium redegerit, ſunt quibus probabile videatur, ad hoc ipſum ſpectare geſtum ſeu pueri, ſeu puellae, manum vaſi admoventis.

Tabulae II. pictura praeponitur, quae oculis mare ſubiicit, triremesque duas cum ſolitis ornamentis, chenisco et aplustri in prora et puppi, et cum ſcutis in lateribus, item cum duobus roſtris. In alterius triremis tabulato prope proram, eſt homo nudus cum conto vel pertica in manu.

Scuta iſta triremis in lateribus eſſe ſcuta militum doctis interpretibus videntur. Ut Schefferus de Mil. Nav. III, 3. obſervat, milites navem ingreſſi ſuſpendere arma in lateri-

lateribus navis ſolebant. Iisdem interpretibus contus ille putatur eſſe portisculus, quod nomen etiam homini ipſi tribuitur, contum tenenti manu, qui hortator alias et celeuſtes dicitur, Scheffer. de Mil. Nav. IV. cap. ult.

Tabulae III. ſuperiori ſimilis pictura praemittitur, quae nempe duas exprimit naves, quarum in altera ſtat aliquis prope proram, cuius in manu eſt baculus, qui videtur eſſe proreta. Portisculo apud veteres locus aſſignatur fere in media navi. Sed prorae cura commiſſa erat proretae, ſicut nauclerus praeerat puppi. Proreta autem manu tenere perticam ſolebat, vel contum, quo exploraret ſcopulos ſyrtesque, de quibus admonebat nauclerum.

Tabulae VII. praemittitur lacunar ex figuris quadrangulis compoſitum, quae ita digeſtae ſunt, ut referre labyrinthum videantur.

Quae autem XIV. et XV. tabulis praemittuntur picturae, eae exhibent varia vaſa, et quidem: 1) guttum, vel ampullam, graece βομβύλην, de qua Schol. Apollon. II, 571. qui ποτήριον ςενοτρώχηλον dicit: Heſychius λήκυθον. Etymologus poculum eſſe dicit ita factum, ut, quum bibendi cauſa ori admovetur, bombum edat, qualem edunt crabrones. Differentiam phialae et bombylii discas ex Athenaei fragmento apud Caſaub. XI, 4. Vas ergo hic depictum aeque poculum dicere poſſis, ac vas olearium: 2) amphotidem, de qua Bayfius de Vaſc. p. 284. Begerus Th. Br. T. III. 396. 3) ollam tripedem: 4) cratera: 5) amphoram vel diotam, Beger. Th. Br. T. III. p. 389. 6) cantharum: 7) urceolum: 8) ſimpuvium vel capedinem. Quumque inter iſta vaſa ſint etiam circulus, haſta pura, oleaſter: interpretes coniiciunt, in his duabus picturis expreſſa eſſe praemia victorum in ludis athleticis, utpote in quibus victoribus varia vaſa donarentur, inter quae locus fortaſſe etiam circulis fuerit.

rit. Accedit oleaſter, ex qua corona facta daretur victor; in Olympicis, v. Faber II, 22.

Tabulae XVI. duae picturae praemittuntur, quarum in prima eſt ſeu columna, ſeu ara, pavo, ciſta albo panno tecta, baculus denique. In altera ſunt duae altae ſeu arae, ſeu columnae, ab utroque latere, porro aquila, fulmen rutilum, vas ſphaericum cum ſerto viridi, et baculus nodoſus cannae ſimilis.

Quum pavo Iunoni ſit ſacer, aquila autem Iovi, non improbanda doctiſſimorum interpretum ſententia videtur, qui alteram picturam ad Iunonem, alteram ad Iovem pertinere exiſtimant. Operta ciſta ſpectabit ad Iunonis myſteria, de quibus Pauſanias II, 17. Baculus erit Iunonis ſceptrum, cui apud Pauſaniam l. c. cuculus inſidet, in quem Iupiter ſororſ pudicitiam erepturus converſus eſt. Arae indicant rerum pictarum divinitatem. Aquila et fulmen ſunt Iovis velut notae et inſignia. Vas ſphaericum vel tonitru ſignificat, vel Iovem tonantem.

Tribus tabulis XXVI. XXVII. XXVIII. praepoſitae ſunt ridiculae picturae, quas cum Plinio *gryllos*, cum Italis *caricature* appellare poſſis. In prima earum occurrunt oculis, praeter aedificia et plantas, figurae aliquot, ſi ſtaturam ſpectes, pygmaeis, ſin reliquum habitum, ſimiis ſimiles. Primus homo, vel homunculus potius, altera manu pedum geſtat, altera urnulam ſeu amphoram parvam: ſecundus itidem amphoram et bacillum manibus, capite autem pileum altum, et acuminatum, eumque flavum: tertius etiam baculum, et pannulum rufum ſuper humeris, in capite autem pileolum flavum cum criſta: quartus denique pileum cum apice ſeu tutulo, dextroque humero bacillum transverſarium, cuius ex utraque extremitate uncinis armata duae hydriae pendent.

Ad

Digitized by Google

Ad tabulam XXVII. occurrunt aliquot homunculi, superioribus fere similes. Primus eorum capite gestat pileum tutulatum flavum: cinctura eius pannus ruber circumvolvitur, portat vas ex ligno pendulum, quod humero dextro impositum est transverse. Secundus et ipse habet pileum flavum, pannumque violaceum cincturae circumvolutum: pronus et cernuus introspicit casam aliquam pastoralem, quae esse ex genere magalium videtur, circa eum ex una parte sunt pulli gallinacei, ex altera canis, qui latrans ad homunculum primum accurrit. Tertius est capite calvo: humeris iniectus est pannus violaceus, et curvus baculus gravat manum. Quartus habet pileolum flavum, portatque duo vasa, ex ligno, quod humero incumbit, suspensa.

In Scholiis adduntur quaedam de petulantium artificum ridiculis picturis, quas Itali *caricature* vocant. Fuisse etiam veteribus tales picturas, observavit Buonarroti, ne' Medagl. p. 322. Sunt veteres scriptores, qui earum mentionem faciant. Cicero de Orat. II, 66. Aristides T. 2. in oratione Platonica secunda pro quatuorviris, p. 302. edit. Oxon. Vocabulo *ἰνδικὸς*, Ulpianus L. leg. Cornelia 5. de Iniur. creditur illud etiam genus iniuriae comprehendere, quae infertur aliis ab his, qui ridiculas hominum ignominiosasque imagines pingunt. Alciatus Praeterit. II. Tit. de Iniur. Pertinere eodem videntur picturae Antiphili Aegyptii, de quo Plin. XXXV, 10. *Idem iocoso nomine Gryllum ridiculi habitus pinxit: unde hoc genus picturae Grylli vocatur.* Artifex igitur, qui hoc loco figuram simiorum exhibuit, videtur exprimere voluisse aut nonnullorum faciem deformem, aut mores ridiculos. Pictorum est, fere animalia quaedam effingere, quando vitia hominum ridiculum in modum exprimere volunt. Sic Gallieni imago ridicula similitudine ad caprum accedit, apud Buonarroti in Numism. l. c. imago Helvii Manciae apud Cic. l. c. ad gallum: imago denique Vari Sophistae apud Philostratum II, 6. ad ciconiam.

niam. Quandoquidem vero Varus rubram narem habuit, roſtroque ſimilem, artifex videri in exprimenda eius imagine poſſit aeque veritati et ſimilitudini inſerviiſſe, ac libidini. Haec fere de ſatyricis picturis doctiſſimi interpretes. Quibus plura adiicere licebit ex *Hiſtoria Numorum Contumelioſorum et Satyricorum*, quam ante hunc fere annum vulgavit vir illuſtris, Chriſt. Adolphus Klotzius, cui ut Muſae ſemper faverunt, ita ſapientiſſimorum regum iudicium Fortunaque coepit favere. Ibi praeter Antiphilum Gryllum, exempla Cleſiclis, Bupalique, et Anthermi producit ex Plin. XXXV, 40. XXXVI, 4. Addit ex eodem Plin. XXXIII. c. XI. Cteſilochum Apellis diſcipulum, qui petulanti pictura innotuit, Iove Liberum parturiente mitrato, et muliebriter ingemiſcente, inter obſtetricia dearum. Qui locus multum facere Viro elegantis ingenii, doctiſſimoque, videtur ad illuſtrationem alius picturae petulantis, in vaſculo Etruſco a Winkelmanno dato, amorem Iovis et Alcmenae ridicule exhibentis. A picturis progreditur ad gemmas antiquas, in quibus ſatis ridiculas figuras petulantium artificum manus ſculpſit, tanquam deformes moriones et monſtroſos, capite ſemiraſo, et ridiculo vultu, in gemma Florentina, exhibita in Muſeo Florentino T. II. tab. 86. g. 3. aliasque imagines monſtroſas in Muſeo Cortonenſi p. 60. in Muſeo Etruſco T. I. tab. 186. Muſeo Florentino T. I. tab. 45. = 51. Huc pertinere idem cenſet Gorlaei gemmam in Dactylioth. P. II. g. 507. huc gemmam, quae Europam exhibet per mare hirco equitantem, apud Schlaegerum, in libello qui inſcribitur *Gemma antiqua ſiſtens Europae raptum*, Hamburgi 1734. huc denique gemmam aliquam Stoſchianam, a Winckelmanno deſcriptam. Ab amarulentis iocis, quae caelum gemmis mandavit, ad numos tranſit, tam veteres, quam recentiores, tam eos qui recte, quam eos qui perperam contumelioſi cenſentur.

Tabulae XXX. ſubiicitur pictura bovis Aegyptii ex toto candidi, cum luna creſcente inter cornua. Coniiciunt

docti viri, harum picturarum explanatores, artifici animum fuisse exprimere bovem, a Graecis dictum Epaphum, habitum filium Ius, teste Aeliano V. H. XI, 10. qui ut agnosci possit, adiectam esse lunam crescentem inter cornua, quia Io, seu Isis, exprimit lunam, teste Plutarcho aliisque. Observat Aelianus H. A. X, 11. sicut Mnevis sacer Soli fuerit, ita Apin, secundum Aegyptios quidem, sed non secundum Graecos, ab Epapho distinctum, habitum fuisse Osiridem.

Sub finem huius Tomi pictura adiecta est exhibens horologium marmoreum, ex genere eorum, quae a Beroso Chaldaeo inventa sunt, quale describit Vitruvius IX, 9. Similis constructionis horologia, diversis in locis inventa, describuntur a Zuzzeri in dissertatione peculiari, et in Ephemeridibus literatorum, (nel Giornale de' Letterati pel anno 1740. nel artic. XIV.) a P. Boscovich. Fors ita tulit, ut et alia eiusdem generis reperirentur, quorum unum, iussu Benedicti XIV. collocatum in Capitolio fuit anno 1751.

AULI PERSII FLACCI SATYRAE SEX, AD FIdem optimarum editionum, una cum variis lectionibus Codicis Ebneriani, edidit GEORGIUS FRIDERICUS SEBALDUS, tabulisque aeneis incidit IOANNES MICHAEL SCHMIDIUS.

Norimbergae MDCCLXV. sumtibus b. Balthas. Schmidii haeredum, in 8.

Quamquam nos omnino odimus eos, qui veterum monumenta edituri, neglecta codicum et librorum auctoritate, aut ostentatione ingenii, aut habendi cupiditate incensi, speciosiores formas sectantur, et quorum maiestati fugitiva ac petulanti opera insultaverunt, eos fucoso et inani splendore muliebriter exornant: tamen non sumus adeo

adeo ab omni ſpecie et elegantia alieni, quin laetemur, litterarum antiquarum ſeverae gravitati interdum extrinſecus gratiam et hilaritatem aſpergi. Habet enim haec ipſa formae dulcedo eam utilitatem, ut ſit ad alliciendos lectores aptior, et ad ſignificandam noſtrae aetatis erga monumenta antiquitatis illuſtriora venerationem, efficacior. Quis, praeter ruſtica ingenia, quae ſeveritatem et maieſtatem grammaticam ponunt in contemptu omnis artis et elegantiae, aegre unquam tulit, poſt Crucquios, Torrentios, Lambinos, Bentleios, Aldos, Gryphios, Plantinos, aliosque inſignes editores ac typographos, ad ornandum Horatium acceſſiſſe nuper in Britannia Iacobum Pinum, atque, ſervata fide Lectionum, univerſum auctorem, aeneis tabulis inciſum, et gemmis et imaginibus extructum, reipublicae litterariae tradidiſſe. Si Horatio non par, quis enim cum tali ingenio de loco et principatu certet, ſaltem, quoniam vel in ſecundis et tertiis ſtare honeſtum eſt, probabilis et lectu dignus auctor haberi poteſt Aulus Perſius Flaccus, non ille quidem, quem ingenioſe in prooemio mentitur, noſtrique homines interdum callide tacent, magiſtro ingenii et largitore ventriculo uſus, ſed virili animo, reipublicae amore, virtutis ſtudio, et odio laſciviae ac petulantiae, ad ſcribendas ſatiras excitatus. Quidquid enim acutiores quidam iactitant: nolle intelligi, temere obſcurari, abiiciendum hominem eſſe: certum eſt, hanc ipſam obſcuritatem, non tam ex faſtu et oſtentatione, quam ex animi quadam iuſtitia et ſeveritate, interioris philoſophiae cognitione, alluſionibus crebris ad hiſtoriam ſui aevi, et prudenti cautione periculi profectam, ſuam gratiam habere, nec omnino lepore deſtitui. Niſi quis forte putet, ingenioſius, ſeverius, ſignificantius caſtigari poſſe torporem et deſidiam fracti per libidinem et luxum adoleſcentis, qui paſſim ſequitur corvos, teſtaque, lutoque, ſecurus quo pes ferat, atque ex tempore vivit. Nos ſane nihil unquam ipſa illa tertia ſatira, ad mores illiberales caſtigandos, ſeverius legimus. —

Eſt

Eſt in exclamatione illa:

Magne pater divum. —
Virtutem videant, intabeſcantque relicta,

ſublimitas et gravitas quaedam haud vulgaris, ita ut in illo:

Diſcite, o miſeri, et cauſas cognoſcite rerum —

multa doctrina et probitas.

Atqui hoc imprimis ſpectarunt viri omnium aetatum litteratiſſimi, Britannici, Murmelli, Lubini, Caſauboni, Bondii, Farnabii, Pratei, cum non temere inſignem operam in edendo ornandoque Perſio ponerent, eiusque obſcuritati doctiſſimis commentariis conſulerent.

Ad tantorum vero virorum diligentiam acceſſit nuper cura *Friderici Sebaldi*, et ars elegantis artificis *Ioannis Schmidii*: quorum alter, imprimis Caſaubonum, Lubinum, et Farnabium ſecutus, textum recenſuit, addiditque ad calcem operis cum vita Perſii Lectionem Codicis Ebneriani, ex bibliotheca ſplendidiſſima Hieronymi Guilielmi Ebneri ab Eſchenbach; alter univerſum opus, ad modum Pini Britanni, artificioſe aeri incidit, addidit imaginem Ebneri, et ſingulis Satiris praefixit et adiunxit ornamenta quaedam imaginum, vel ex gemmis antiquis Montefalconii, vel ex ſuo ingenio expreſſa, et ad materiam finemque poematum ſingulorum accommodata; de quorum arte iudicium intelligentibus relinquimus.

De Codice autem Ebneriano, de cuius aetate et dignitate, noſtra quidem ſententia, aliquid praemonendum erat, ne plane nihil dixiſſe videamur, pauca dicemus. Dabimus autem illius ſpecimen aliquod et exemplum, atque id quidem ſumtum ex faceto prooemio, quo ἐνθουσιαζόντων poetarum vulgarium, et affectatam inſpirationem, exagitat.

Verſu ſtatim quarto a vulgari lectione recedit, additque τὸ *ego*, nec Caſaubono, nec aliis lectum, et a verſus harmonia plane alienum. Sed hoc levius, memorabilius illud quod dicemus.

Fronto et Murmellius, ex vetuſtis, ſic aiebant, codicibus, quos tamen nunquam nominarunt, poſt verſum ſeptimum, alium in textum receperunt, obſcurum:

Corvos quis olim concavum ſalutare.

Iodocus Badius Aſcenſius, recepit quidem, ſed diligenter de illius inconſtantia monuit: Caſaubonus ut barbarum et ridiculum abiecit: Prateus tanquam ſuppoſititium redarguit, in textu neglexit, in ſcholiis vero ex Martiali et Macrobio illuſtravit. Quanquam vero illud ipſum *concavum ſalutare*, quod adeo barbarum viſum eſt Caſaubono, poſſit aliquo modo ferri in Perſio, qui, fatente ſummo critico, graecitatis ſtudioſiſſimus eſt, et ſaepius ad analogiam graecorum ſcripſit, habetque interdum figuras audaciores; quanquam porro reſpondere videtur hic verſus illi qui infra legitur,

Corvos poetas et poetrias picas:

tamen, quoniam non ea ſemper poetarum diligentia eſt, ut omnia ſibi ad verbum reſpondeant, et potuit fieri, ut aut interpretationis loco de ſuo adderet lector quidam, aut propter deos, et iratum in ſuperiori verſu corvum, ſuopte ingenio adſcriberet non inepte; Critici omnes, pluralitate codicum inclinati, verſum plane neglexerunt. Atque his quidem nova fides accedit ex Codice Ebneriano, qui nullam eius mentionem facit. — Ceterum ad hunc locum, tanquam per ſaturam, notabimus, Ebnerianum non habere ridiculum illud *blandiri*, quod fracto et enervato verſu ἀντὶ τῦ *conari* nonnulli habent apud Caſaubonum. — Exprimit omnino τὸ conari naturam, τὸ blandiri autem omnem huius verſus elegantiam tollit. — In decimo verſu prooemii Liber Ebnerianus cum Puteano conſpirat, nempe pro *refulſerat* legit *refulgent*, de qua lectione videndus eſt Caſaubonus.

Sed nec illud videtur eſſe negligendum. Vetus Scholiaſtes, ad ultimum prooemii verſum, notaverat eſſe qui non *melos* ſed *nectar* legerent. Obſervante Aelio Antonio Nebriſſenſi, et Prateo, Angelus, Politianus, aut vetuſtorum codicum, aut Scholiaſtae auctoritate, illud Nectar probavit, ut

verſum

versum hipponacticum eiusque mensuram sustentaret. — Derisit illam lectionis temeritatem Marullus ingenioso epigrammate, quod Prateus adiecit: Hermolaus vero Barbarus, et Casaubonus, auctoritate hymni Homerici in Mercurium, ostenderunt, anceps natura sua hoc verbum apud Graecos esse, et mox corripi, mox produci, ex liquidarum consonantium licentia; eadem ratione etiam legi apud Antipatrum, in Epigrammate aliquo. Accedit ad haec auctoritas Ennii ex Annalibus, quem locum observavit Prateus. Ingenue igitur fatemur, τὸ *cantare nectar* nobis apprime ab hoc loco alienum videri, nec necessariam illam duplicationem consonantis, quam quidam ad analogiam Virgiliani illius, *relliquiae Danaum*, admiserunt. Fatendum tamen est ingenue, cum Scholiaste consspirare Codicem Ebnerianum. — Sed haec quidem differantur, usque dum magis de antiquitate codicis constet, quem certe ignoravit Casaubonus, dum scriberet, Membranas omnes legere *melos*. Quod reliquum est, commendamus Lectoribus lectionem reliquarum Variantium Codicis istius.

In universum vero Editoris et artificis diligentiam laudamus, et ut uterque hanc operam aliis quoque monumentis antiquitatis impendat, et sit de optimis exemplaribus, imprimis in imaginibus et gemmis, a quorum delectu omnis elegantia pendet, sollicitus, rogamus. Liber vero, honesto et aequo addictus pretio, videri potest apud Fritschium, bibliopolam Lipsiensem, cui imprimis haec cura ab editore commissa est. Haec, Lector, nolebamus tacere. Tu conatum artificis Noribergensis liberalitate tua sustentato.

IOHANN WINCKELMANNS, PRAESIDENTENS der Alterthümer zu Rom, etc. Geschichte der Kunst des Alterthums.

Erster und zweyter Theil.

hoc eſt:

IOHANNIS WINCKELMANNI, MONUMENTORUM Antiquitatis, quae Romae ſuperant, Inſpectoris, Scriptoris in Bibliotheca Vaticana, Societ. Antiquariae Londinenſis, Academiae Pictorum Romanae S. Lucae, Hetruſcae item Cortonenſis, Socii, HISTORIA ARTIUM ANTIQUITATIS. Partes II. quaternis, pagg. in univerſum 431. cum praefat. ſynopſi et catalogo ſcriptt. pp. 52.

Dresdae, 1764. in officina libraria aulica Waltheri.

Venit tandem ea temporis felicitas, ut Germania, tot ingenii doctrinaeque monumentis, inde a plurimis ſeculis, illuſtrata, iam et magiſtra elegantiſſimarum artium, quarum aeternum victura gloria nunc etiam Graecia et Roma vetus celebrantur, et Italia quoque recentior ac Francogallia mirifice exſplendescunt, eſſe incipiat. Cuius laudis praeſtantiam cum patriae noſtrae merito gratulemur, magis tamen etiam nos laetari par eſt, cum praecipuae in ea comparanda tuendaque partes Saxoniae noſtrae eſſe videantur. Nam cum utriusque *Friderici Auguſti* ſapientia, bonitas, et in plurimis aliis virtutibus, pulcherrimarum artium cognoſcendarum colendarumque impenſus amor, conceſſus his terris per annos ſeptuaginta divinitus fuiſſet, adeo illorum beneficio, artium et humanitatis omnis ſtudia inter nos caput extulere, ut nulla ſit Germanici nominis provincia, quae cum hac noſtra comparari eo argumento poſſit. Iam illa ſedes Principum noſtrorum Dresda, artium quoque per Germaniam efflorescentium fere ſedes hoc tempore habetur. Illic Muſeum vere Regium, tot picturae miraculis clariſſimum, illic Academia Artium, auſpiciis Divi *Friderici Chriſtiani*, et *Mariae Antoniae*, (quae Poeſeos, Picturae, Muſices, artium omnium quaſi quandam Deam in ſe reddidit,) inſti-

Digitized by Google

inſtituta; illic *Hagedorniani* excellens vis ingenii, artificumque doctiſſimae manus, non ſine ſumma admiratione ſpectantur. Eodem ex domicilio artibus liberalibus adamato prodiit nuper ingenioſiſſimus earum ſpectator et iudex *Winckelmannus*: natus ille quidem in Marchia Brandenburgenſi; ſed ita ad ſacraria artium deductus Dresdae, et munificentia inprimis Divi *Frider. Auguſti* ſublevatus, ut non Italiae magis, quam huic urbi principali debeat. Huic igitur contigit, quod ante ipſum nemini, ut Germanus in ea gente, quae operum antiqui[illegible] eruditae aeſtimandorum peritia ceteras omnes vincit, dein Romae, in ipſo illo venerando artium et elegantiae veteris monumento, tamen doctrina, pulchritudinis ſenſu, intelligendi acumine, et intima cum artibus conſuetudine, emineat hodie longe plurimum, iamque quod ab Italis accepit, inſignibus ingenii acceſſionibus auctum, rurſus in eos ceterasque gentes artium ſtudioſas effundere poſſit, innumeraque eos docere, partim nova, partim multo quam adhuc verius argutiusque obſervata. Quod cum non paucis ab eo iam libris factum ſit, hoc item grati agnoſcimus, quod lingua patria potiſſimum ſibi utendum exiſtimavit. Accidit enim hac tali ſcriptoris primarii diligentia, ut lingua ipſa nitorem quendam, et accommodatam artium ſubtilitati exprimendae formam induat, qua adhuc, ſi ab immortali *Hagedornii* de pictura opere diſcedas, fere caruit. Eadem etiam opera, eiusmodi ſcriptorum copia exornatur Germanorum eloquentia, quae in claſſicis numerari, opponique aliis gentibus, ſua dialecto exarata oſtentantibus, merito poſſint. Quae ſi ad viros doctos unice referenda eſſent, Romanum in iis ſermonem deſideraremus; iam cum artificum, et eorum gratia qui artes amant, propoſita ſint vel maxime, praeclare factum eſt, quod artes veterum theotiscis literis Vir doctiſſ. illuſtravit.

Ad Opus ipſum ut accedamus, eorum quae *Winckelmannus* ad hunc diem ſcripſit, ſpecioſiſſimum, utiliſſimumque, fatemur, tantam ei obſervationum optimarum varieta-

tem et copiam ineſſe, ut libellus nobis ſcribendus ſit, non relatio, ſi eas complecti univerſas velimus. Neque igitur hoc agemus. Accendemus potius lectorum in hunc librum ſtudia, exhibita illius delineatione accuratiori, quae capita omnia, in quae ille tributus eſt, pervagetur; quam ſequentur praecepta quaedam et exempla commemoratu inprimis digna. Sed neque monumentorum antiquitatis, quorum imaginibus liber omnis velut gemmis quibusdam diſtinctus eſt, a nobis mentio negligetur; praeſertim cum nullum ex iis antea unquam vulgatum fuerit. Sunt quidem in his fumoſa aliquot et ὑποβολιμαια; ſed de his alio loco dicetur.

Hiſtoriam artium antiquitatis cum ſcribere ſe profitetur Auctor Cl. non eam modo animo deſignavit, quae narrationem de ortu et viciſſitudinibus artium tradit, ſed ampliorem ſimul τῆς ἱστορίας poteſtatem, quam ſyſtema vulgo, h. e. complexum diſputationum et praeceptorum de natura, generibus, et adminiculis artium, adpellamus. Hanc nobiliorem de artibus veterum differendi rationem Parte I. quae paginis 312. abſolvitur, tenuit Noſter; hiſtoriam autem artium ipſam, quae anguſtiore ſenſu dicitur, Parte II. a p. 313-431. Exſtant quidem libri nonnulli, quorum auctores hiſtoriam huiusmodi daturos ſe polliciti ſunt, ut *Monerii* (Monier) Hiſtoria Artis; ut *Durandi* Verſio Francogallica et explicatio poſtremorum librorum Hiſt. Naturalis *Plinii*, quam inſcripſit Hiſtoriam picturae veterum; ut *Turnbulli* de eadem pictura Diſſertatio. Sed hi omnes, iudice *Winckelmanno*, cum artes ipſas parum noſſent, ea tantum de illis expoſuerunt, quae ipſos libri, aut fama, docuerant. Quas viri docti ediderunt ſtatuarum veterum deſcriptiones, alia omnia quam artis penetralia oſtendunt. Imminuitur potius plerorumque puſilla ſedulitate, magnitudo operum vetuſtatis, veraque de illis ſententia coniecturis et iudiciis vaniſſimis corrumpitur; quod pluribus exemplis, et clarorum librorum recenſu, ut *Richardſoniani*, *Montefalconiani*, et aliorum, A. Doct. evincit. Multi inprimis Antiquitatum enarratores decepti ſunt, cum non animadverterent, quae-

nam

ſiam monumentis veterum mutilis, a recentiore manu, refingendorum cauſa, adiecta fuerint, atque adeo haec pro vetuſtis venditarent, ut inter multos *Fabrettus* (de Column. Traiana, c. 7.) qui ſoleam ferream equo cuidam in opere anaglypho, quod Romae ſpectatur, additam, non dubitavit ex antiquitate repetere. Ab his aliisque erratis, quae vel negligentia gignit, vel artium imperitia, facile immunem praeſtitit *Winckelmannum* attentiſſima ſaepiusque repetita omnium monumentorum antiquitatis, quibus obſervationes ſuas confirmat, contemplatio: ut nullum ſit in iis, quod non curioſe, et mentis non minus acie, quam oculis, luſtraverit. Dixit tamen et de plurimis aliis monumentis, quorum probandae ſic ſatis exſtant in libris figurae. Quod celebrata quaedam antiquitatis opera omiſit, alterutri cauſae tribuendum eſt; vel quod nihil ad conſilium operis huius iuvandum, h. e. hiſtoriam artium illuſtrandam faciunt, vel quod Roma, imo quaedam eorum ex ipſa rerum natura, exceſſerunt. Ex poſteriori genere eſt v. c. pictura, *Nymphaeum* referens, quam *Holſtenius* edita Romae 1675. fol. deſcriptione, poſteris commendavit, iam ſitu et ſqualore deſtructam poſſeſſores Romani occultant. Ceterum maxime artes Graecorum ſpectaſſe ſe hoc libro ait Auctor Cl. et cum copioſe de iis diſſeruerit, tamen retinuiſſe quaedam, Graecis aptiora quam linguae recentiori; ut dialogum de pulchritudine, ſcriptum ad imitationem *Phaedonis Platonici*. Quidni igitur ſigillatim Latina lingua hunc eundem dialogum in lucem egredi patiatur? Uſus eſt etiam nonnumquam coniecturis, non vagis, ſed fundamento quodam ſubnixis; quas tamen in opere tali adeo nemo miretur, ut eas potius ad artes veterum accuratius iudicandas plurimum conferre, intelligentes fateri neceſſum habeant. Expoſuimus praecipuum Praefationis argumentum, cuius in exitu indicat Auctor, editurum ſe propediem ſcriptum lingua Hetruſca opus ingentis voluminis, quod explicationem monumentorum antiquitatis ex omni genere complectatur, maxime marmorum

rum anaglypticorum, numquam omnino publicatorum, quae vel prorſus obſcura viſa ſint antiquariae rei conſultis, vel prava ab illis interpretatione donata. Tabulas figurarum radio in aes inſcriptarum ultra ducentas in eo ſpectandas nunciat, quas ducendarum linearum peritia Romae hodie principi, *Io. Caſanovae*, quem pictorem ſtipendio ornaverit Divus *Fridericus Auguſtus*, debituri ſint emtores: ut adeo nullum futurum ſit opus, quod vetera monumenta graphices adiumento intuenda ſiſtat, vel accuratione, vel ſenſu elegantiae quo elaboratum eſt, cum hoc comparandum. Addere iam licet, hoc tantae exſpectationis opus, paullo poſt illud, de quo referimus, prodiiſſe: noſtras tamen in manus nondum pervenit; ſed *Caſanovam* nunc Dresda tenet, Academiae ſuae ſidus et ornamentum.

Antequam autem Praefationem mittamus, breviter enarranda nobis ſunt monumenta antiquitatis, quae in ipſa operis fronte, picturae linearis beneficio praefulgent. Indicem libri, (vulgo titulum vocant,) ſpectabilem reddit Carniola Muſei Stoſchiani, qua quinque Heroes, ex ſeptem illis celeberrimis belli Thebani, ſummo artificio ſcalpti viſuntur: gemma Hetruſci operis longe rariſſima et antiquiſſima, cuius in nominibus ſcriptura ad Pelasgicam et literas Graecas vetuſtiſſimas proxime accedit; de qua videndus eſt Auctor in Opere ipſo p. 99. ſq. Epiſtolam, qua Opus ſuum Divo *Friderico Chriſtiano*, Saxoniae Electori deſideratiſſimo, dicavit, praecedunt capita *Diomedis* et *Ulyſſis*, ex baſi eiusdem Muſei depromta; claudit autem opus anaglyphum Romae ſuperſtes, quod *Bellerophontem* cum Pegaſo oſtendit. Praefationis exordium rurſus anaglyptico opere exornatur: ſervatur illud in villa Card. *Alex. Albani*, redditque quandam religioſae caerimoniae ſpeciem; exitus autem Praefationis *Promethei* imagine, humanam mulieris formam fingentis, in Carniola Muſei Stoſchiani.

Prior igitur Pars Operis, ut diximus, ſyſtematica eſt, naturam artium ipſam inveſtigans. Ac primo quidem ad origi-

Digitized by Google

originem et initia artium aſcendit Auctor Doctiſſ. ponitque quaſi fundamenti loco, artes quae lineari picturae ſuperſtruuntur, a *neceſſariis* coepiſſe; hinc *pulchra* in illis requiſita eſſe; ventum denique eſſe ad *ſuperflua*. Primae quidem imagines hominem, non qualis cernentibus adparet, ſed pro ambitu omni quem explet, deſcribebant. Secuta eſt proportionum et ἀκριβείας indagatio, qua ſuffulti, magnum quid audebant artifices. A magnitudine artes apud Graecos ſenſim ad ſummam pulchritudinem progreſſae ſunt. Coniunctis partibus earum omnibus, et lenociniis etiam adiectis, ſuperflua tandem ſuperaddita fuere: quo factum eſt, ut magnitudo artis amiſſa ſit, et haec ipſa demum interierit. Haec eſt quaſi σκιαγραφία huius artium hiſtoriae.

Initia artis a ſimpliciſſimis conformationibus ducta ſunt, et, quemadmodum Auctori videtur, a conatu quodam ſculpendi: nam infantes quoque in molliore maſſa facile figuram aliquam effinxerint; lineas autem in plano non item duxerint. (Sed dicat fortaſſe aliquis, linearem picturam, eadem facilitate, vel umbra corporum adiuvante, oriri potuiſſe.) Origo itaque artium eiusdem apud omnes gentes antiquitatis eſſe videtur, nec illis patria ſingularis tribui poteſt. Verum pro aetate populorum et tempore introducti apud eos cultus Deorum, artis inventio diverſa dicenda eſt. Chaldaei certe et Aegyptii prius quam Graeci, ſummas illas mentes, quas venerabantur, modo in ſenſus incurrente efformarunt. Aegyptus inprimis ab antiquiſſimis inde temporibus artes coluit. Apud Graecos diu ſimpliciſſimae fuerunt: triginta iam Deos colebant viſibiles, neque tamen adhuc humana forma eos veſtiebant, contenti truncis vel quadratis lapidibus, quibus eos ſignificarent. His lapidibus capita poſtea impoſita ſunt; mox ſexus diſcrimen quodammodo notatum; denique a *Daedalo*, ut vulgaris opinio fert, inferior pars ſtatuae informis in pedes diviſa eſt, primaeque ab eodem ſtatuae humanae e ligno factae,

ctae. Erant illis formae rectilineae, et quasi simplices circumscriptiones umbrae humanae: quas figuras vulgo Aegyptias vocant. Sed artes a Phoeniciis potius, quam ab Aegyptiis, accepisse videntur Graeci. Sollenne erat his gentibus, scriptura signare opera artium: Aegyptii quidem eam in basi et columna, cui figurae innitebantur, collocabant; Graeci contra et Hetrusci in ipsa figura. Etiam status et actio figurarum vetustissimarum apud Graecos similes erant Aegyptiacis, h. e. rectae et omnis motus expertes. Retinuerunt primam hanc conformationem Aegyptii, sed Hetrusci et Graeci artifices, scientia subtiliore praediti, eam deseruerunt; adscita quidem graphice accuratiore, sed eadem duriore. Coepit autem sculpendi ars exerceri primum in argilla; quae et postea servata est, cum artes maiora incrementa sumsissent: quod docent anaglyptica opera ex eo genere, et vasa picta. Hinc ad lignum transierunt artifices, tum ad ebur, lapides, marmor, (ex quo primum caput tantum, manus et pedes statuarum ligneárum formabantur,) aes, quo Itali statuarum conditores prius quam Graeci usi fuisse videntur. His de materia artium prima disputatis, quae multis exemplis e veterum scriptis illustrantur, subiungit Auctor Doct. causas diversitatis artium apud populos earum amantes. Quaerendae illae sunt primum in singulari vi, quam situs et clima regionum, temperies aeris et victus, non modo in corpore incolarum formando, sed etiam in eorum ratione cogitandi effingenda, exserit. Cum enim ipsa faciei diversitas non parum conferat ad dignoscendas inter se nationes: nemini mirum videri potest, eandem quoque in artibus ab hoc illove populo excultis proprio charactere elucere. Ita figurae quas Aegyptii artifices perfecerunt, corpora incolarum imitabantur, dissimillima recentiorum Aegyptiorum formae, qui quum ex advenarum colluvie compositi sint, instituta fere omnia nova sequantur, et a labore abhorreant, pingues moles circumferunt. Graeci semper pulchritudinis

dinis laude floruerunt, eamque, non obſtantibus tot mutationibus, quae in terris eorum contigerunt, adeo adhuc tuentur, ut, quo propiores ſint regiones coelo Graeciae, tanto admirabilior natura in formandis corporibus humanis appareat. Hinc Italorum vultus plerumque ſublimius aliquid et perfectius ſpirant, obſervante *Winckelmanno*, et Neapolis inprimis, quae temperatiori et aequabiliori coelo utitur, quam aliae partes Italiae, quod climati Graeciae proxima eſt, frequentes habet hominum formas, quae pulchritudinis exemplar artificibus praebere poſſint. Subtiliores et callidiores Romanis Neapolitani ſunt; hi tamen a Siculis, atque hi rurſus a Graecis eo nomine vincuntur: adeo coelum in ipſa mente formanda dominatur. Sed formoſiſſimi Graecorum omnium Iones olim fuerunt, benigniore ſub coelo, quam ipſa Graecia, habitantes. Iam in artium quoque monumentis gentes illae habitum climatis ſui expreſſerunt. Audaces et portentoſi in figuris condendis Aegyptii et Perſae fuere; Graeci contra, quod moderatiore coelo et πολιτείᾳ regerentur, et loquendo pingebant et fingendo: plena apud eos omnia imaginum, in poetis non minus quam in artificibus; phantaſia legibus adſtricta, et ſenſus pulchritudini potiſſimum conſiderandae adſueti. Graecorum quidem ii, qui minorem in Aſiam tranſierant, placidiore quam reliqui, et quaſi muſica lingua utebantur; primi inter eos poetae, philoſophi et hiſtorici orti ſunt; ipſe *Apelles*, ille Venerum pictor, ſub hoc voluptuoſo coelo natales ſortitus eſt. Sed quum iidem a vicinis Perſis denique libertate ſua privarentur, artes inter eos ſedem figere praecipuam non poterant. Hanc potius Athenis invenere; quarum democratica gubernandi forma civium ſpiritus elevavit, adiuvit ſenſum pulchri ad omnes propagandum, effecitque, ut cives opulenti ſplendidis aedificiis publicis, operibusque artis procurandis amorem et auctoritatem apud ſuos adipiſcerentur. Ex hac poſtea urbe, velut e regia ſua, artes in alias terras egreſſae ſunt. Sane educatio et ratio reipu-

blicae adminiſtrandae, quanta vi in homines agant, cum temperatura coeli coniuncta, et variorum Graeciae populorum indoles diverſa docet, et hodiernarum gentium quarundam ab artibus abhorrens ingenium. Egregios poetas eſſe Anglos, fatetur Noſter; nullum tamen inter eos pictorem clarum ſurrexiſſe, idem adiicit; eandemque fere eſſe Francogalliae ſortem, multis fruſtra ſumtibus in picturae incrementa elocatis. Raros eſſe in gentibus omnibus a benigniore coelo Graeciae remotis, artifices excellentes; licet unum aut alterum natura illis non negaverit. Parentes autem artium in Germania *Holbenium* et *Dürerum*, ſtupendo ingenio fuiſſe iudicat; et pares imo maiores futuros *Raphaele*, *Corregio* et *Titiano*, ſi, quemadmodum hi, monumenta veterum cognoſcere potuiſſent. Haec ex Capite primo decerpenda exiſtimavimus, in cuius fronte compoſita e variis antiquitatis reliquiis figura conſpicitur, quae ſculpturam et architectonicen deſignat, in fine autem rurſus *Prometheus*, membra hominis inter ſe iungens, ex gemma Muſei *Stoſchiani*.

Capite II. natura artium inter Aegyptios, Phoenices et Perſas florentium inveſtigatur. Apud Aegyptios quidem, de quibus Sectione I. traditur, non poterant artes idem culmen, quod in Graecia, aſcendere, quod et corpora eorum minus pulchre efformata eſſent, Sinenſibus fere ſimilia, fuscoque colore obſcurata, et omne gentis ingenium a laetitia et voluptate alienius erat: nam muſicam et poeſin, antiquiſſimis certe temporibus, prorſus non colebant: hinc phantaſiam vehementioribus remediis excitare conabantur. Erant illis leges ſeverae, neque carere regum imperio poterant. Ritibus autem ſuis et cultui vetuſtiſſimo adeo tenaciter adhaerebant, ut tum quoque, cum Romanorum in poteſtatem perveniſſent, odia illic civitatum mutua propterea exercentur. Ad has cauſſas, quae artium incrementa inter eos remorabantur, accedebat odium populi erga omnes ritus peregrinos, praeſertim Graecos, quo fiebat, ut parum

cura-

curarent artium inter alias gentes progreſſus, legibus adſtricti ad ſolam maiorum imitationem. Imo artifices eorum in nullo fere honore erant, pari cum opificibus gradu conſtituti: neque artes ex inſito quodam amore et ſtudio colebantur, ſed ut in reliquis vitae generibus, in hoc quoque filius patrem ſequebatur, et propoſitam normam perpetuo tenebat. In primis anatomiae ſcientia carebant Aegyptii artifices, quod in operibus ſuis ſatis prodiderunt. Quod ad *ſtilum* artis Aegyptiae, ut adpellat Auctor, h. e. delineationem nudarum figurarum, et earum veſtiendarum rationem, vetuſtior quidem illius forma recta omnia, lineasque parum ſinuatas prae ſe fert; nulla in figuris eorum gratia, harumque ſtatus durior et coactus, membrorum nulla actio; oſſa et muſculos parum, nervos et venas prorſus non expreſſas videas: ne alia memoremus in ſingulis corporis partibus figurarum Aegyptiarum, quae p. 41-44. perſequitur *Winckelmannus*; quibus et obſervata addit de Deorum apud illos imaginibus. Deſcendit deinde p. 47-52. in deſcriptionem veſtimentorum et ornatus, quem antiquiſſimi huius gentis artifices figuris ſuis adiiciebant. Secuta eſt aetas artium ea, qua Aegyptii ſub Graecorum imperio nonnihil elegantiora opera extuderunt, parum tamen a veteri ratione deſciſcentes. Tandem et imitationes operum Aegyptiorum, iubente *Hadriano*, effictae ſunt, de quibus p. 55. ſq. dicitur. Poſthaec elaborationis rationem, et materiam, in qua illa ſuſcepta eſt ab Aegyptiis artificibus, p. 61-67. diligenter enarratam et confirmatam exemplis, legimus. Poſtremo loco obſervat Noſter, numos Aegyptiorum nullos ad nos perveniſſe, atque adeo nullam hinc artium hiſtoriae lucem accendi poſſe, quamvis veſtigia ſuperſint, v. c. in obolis mortuorum ori inſertis, monetas apud eos cuſas fuiſſe; in univerſum autem hiſtoriam artis Aegyptiae ſimilem eſſe, ut regionem ipſam, ingenti vaſtaeque planitiei, cuius tamen ambitum ex aliquot turribus complecti oculis poſſis; cum contra Graecorum et Hetruſcorum artes provinciae montium plenae

comparari poſſint, cuius fines oculis emetiri non liceat. Ceterum in principio huius de Aegyptiorum artibus diſputationis, expreſſa eſt figura Sphingis, quae in Obelisco Solis Romae adhuc viſitur.

Sectio II. huius Capitis de artium inter Phoenices et Perſas incrementis quaedam tradit. Illi quidem cum pulcherrimas Aſiae Africae que oras colerent, viverentque coelo ſub aequabili, forma ſine dubio praeſtanti fuerunt, eandemque artium operibus impreſſiſſe videntur. Multarum rerum in artibus inventores fuere, quae etiam mercatura, divitiis et luxu apud eos alebantur. Sed nihil ex hoc genere ſupereſt, quam numi Carthaginienſium, in Hiſpania, Malta et Sicilia cuſi. Poſtremi quidem ab optimis Graecorum numis, non alia re, quam literis Punicis, differunt. Qui Phoenicum in vicinia habitabant Iudaei, ab artibus quidem exercendis, vel religionis ſuae inſtitutis quodammodo arcebantur; ceterum forma eorum minime ab his ſtudiis abhorrebat, obſervavitque in poſteris adhuc eorum *Scaliger*, (in Scaligeranis) ſimos inter eos non reperiri. Imo graphices quoque et ſcitorum operum manu perficiendorum multos inter eos gnaros fuiſſe apparet, cum *Nebucadnezar*, quod ex 2 Reg. XXIV, 16. intelligitur, ſolis Hieroſolymis mille artifices abduxerit, qui vario lignorum, metallorum et lapidum genere diſtincta opera (eingelegte Arbeit) fabricabant. Ita enim vocem חָרָשׁ interpretatur Noſter; quae utrum hanc vim habeat, nos non definimus; adeo ampla eſt חָרַשׁ a quo verbo orta eſt, notio. Quae fuerit artium apud Perſas fortuna, monumenta quaedam e marmore ſculpta, et gemmae ſcalptae, quae ad hanc aetatem pervenerunt, docent. Gens ipſa egregia forma fuit; ſed artes in ea progredi longius non poterant, his fere de cauſis. Primum nudata veſtibus corpora pingere, moribus eorum indecorum habebatur, propterea que artifices eorum, quod ſummum eſt in arte, nudarum formarum imagines, conſectari non poterant. Porro veſtitu eo utebantur, qui

nullam

nullam varietatem in ornando admittebat. Deos humana forma numquam effingebant; quae autem ſuperſunt *Mithrae* imagines, ex Caeſarum Romanorum aetate videntur profectae, et a Parthis deſumtae, qui puritatem cultus divini maiorum ſuorum deſeruere, quorum tamen reges literis artibusque Graecorum fautores ſe praebuerunt. Clauditur hoc Caput obſervationibus nonnullis egregiis de artium inter populos eos, de quibus differit, fatis et delineatione operis anaglyphi Romani, ſed ad imitationem Aegyptiacorum facti.

Pervenimus ad Caput III. hoc eſt ad disquiſitionem de artibus Hetruſcorum et vicinarum gentium. Libertas certe, qua Hetruſci ſub regibus ſuis fruebantur, quam etiam conſervarunt civitate Romana donati, artium honori plurimum profuit, quae commerciis quoque terra marique agitatis nutriebantur. Miretur igitur aliquis, eos longius ab artium Graecarum faſtigio abfuiſſe. Verum conſtat, Hetruſcos fuiſſe atrabiliarios, eamque ob cauſſam multo minus, quam Graeci, ad percipiendam pulchritudinem idoneos. Sane apud eos primum in Occidente divinatio aliaque ſuperſtitionis genera orta ſunt. In ipſis exſequiis et in theatris cruentas pugnas edebant, quas et in urnis ſepulchralibus expreſſerunt. Romani contra in talibus urnis, quas a Graecis plerumque elaborari curaſſe videntur, iucundas potius imagines, fabulas vitam humanam ſpectantes, mortis amoenas icones, Naiades *Hyllum* rapientes, et alia huius generis proponebant: quo pertinet etiam verſus ex inſcriptione nondum edita in domo *Capponiana* Romae:

ΗΡΠΑΣΑΝ ΩΣ ΤΕΡΠΝΗΝ ΝΑΙΑΔΕΣ ΟΥ ΘΑΝΑΤΟΣ

Hanc autem indolem ſuam quo minus vincere potuerint Hetruſci, et artes diligentius colere, bellis impediebantur, quae cum Romanis infelicia geſſerunt; a quibus inter aliam praedam bis mille ſtatuae ex urbe Hetruſca Volſinio Romam

mam avectae sunt. Qua ratione Deos et Heroas effinxerint Hetrusci, inde a p. 86. docet Auctor, deinde praecipua artis eorum opera enarrat, quae supersunt; dolet tamen, difficulter ea a Graecis distingui posse. Laudat inprimis statuas Hetrusci operis, Vestalem in Palatio Iustinianeo, Sacerdotem in Villa Albana, duas Apollinis statuas itidem Romae, Dianam in Museo Herculano, et alias; ex anaglyphis autem, non modo Hetruscorum sed omnium anaglyphorum quae Romae spectantur, antiquissimum, in Villa Albana, quo Iuno Lucina, vel Rumilia Dea editur. His addit quaedam de gemmis scalptis et numis Hetruscorum, ac denique de urnis ex marmore porphyretico fabricatis, quas *Gorius*, (Mus. Etrur. praef. p. 22.) tradit in Magno Ducatu Hetruriae repertas esse; cuius tamen narrationi fidem nullam adhibet Auctor, quod verisimile sit rem omnem ex monastica Legenda ortam esse. Dicit post haec accuratius a p. 104. de charactere et propriis virtutibus artificum Hetruscorum, secundum triplicem aetatem et mutationem, quam artes apud illos subierunt. In his tertia demum aetas ex imitatione operum Graecorum naturae et elegantiae convenientiora progenuit. Adsunt huic Capiti exempla operum Hetruscorum illustriora, in principio quidem eius anaglyphum Romanum, Apollinem, Dianam et Mercurium altare circumstantes sistens, in exitu autem Sectionis II. *Tydeus*, ex clarissimis illis ἑπτὰ ἐπὶ Θήβας, in carniola Musei *Stoschiani*, opus longe pulcherrimum Hetrusci generis. Tertia denique Sectione ostendit Auctor Clar. quantum in artibus profecerint vicini Hetruriae populi, Samnites, Volsci et maxime Campani, additque delineationem Vasis Campani e Museo *Ant. Raph. Mengs*, pictorum hodie principis, quo amor Iovis in Alcmenam comicis figuris adumbratur.

Sed properat ab his animus ad Caput IV. atque adeo ad contemplandas artes in beata earum sede, Graecia. Atque

que hic Sectione I. causas investigat Auctor, quae Graecorum artes ad minime dubium principatum evexerint. Repetit autem illas primum a coeli et naturae, quae Graecis concessa erat, benignitate. Nam in temperatissima amoenissimaque eorum regione pulcherrimae corporum formae prognatae sunt, cuius dotis ipsi sibi Graeci conscii fuerunt; neque in ullo alio populo tantum pulchritudini tributum est, ut adeo certamina quoque illius inirent. Itaque nihil quod pulchritudinem spectabilem redderet, in obscuro illic manebat, eaque artificibus Graecis quotidie ante oculos versabatur. Porro hoc artium inter Graecos fastigium debetur etiam gubernandi apud eos formae, et institutis variis, inprimisque libertati, praemiis quibus eos adficiebant, qui in ludis et exercitiis corporis reliquos vicissent, ac denique formato per libertatem ad sensus sublimes ingenio populi. Accedebat existimatio summa, qua artifices in Graecia fruebantur. Honoratissimi illic erant viri sapientes; solos autem artifices sapientes esse dixit *Socrates*, (in *Platon.* Apologia,) quod sapientes essent, nec viderentur. Iisdem aditus patebat ad omnia reipublicae munia; nomina eorum operibus praestantissimis addebantur, de his autem iudicium ferebant intelligentissimi ex omni populo; ut adeo laudis et gloriae caussa in artibus studium ponere potuerint. Omnia enim genera artium et opificiorum, etiam in minutis rebus, debito honore, et quadam nominis immortalitate donabantur. Neque illud tacendum est, artes inter Graecos Diis potissimum, et heroum victorumque per ludos honori, dicatas fuisse, non privatis libidinibus, civium aedibus exornandis, cet. quae ipsa destinationis sublimitas artificum ingenia ad summa quaeque vocabat. Prius autem apud Graecos sculptura et pictura efflorvere, quam architectonice; quod illae ab imitatione initia ceperunt, haec contra ab ideis et ratiociniis. Prior etiam sculptura eminuit, quam pictura, spectabaturque iam Iupiter *Phidiae*, et Iuno *Polycleti*, perfectissimae, quas antiquitas habuit, sta-

tuae, cum lucis et umbrae usus in pictura Graecorum nondum nosceretur. Nam *Apollodorus* et *Zeuxis*, qui XC Olympiade floruerunt, primi eum usum ostenderunt. Hinc nomen σκιαγράφος illi tributum, erravitque *Hesychius*, cum pro σκιόγραφος legendum putaret σκηνόγραφος. Haec fere in prima huius Capitis Sectione docet Auctor, cuius frontem exornavit longe pulcherrima gemma scalpta operis Graeci, quae olim in Museo *Farnesio* Neapoli servata est, ab annis autem inde viginti periit, ostendens *Theseum*, occisam a se *Phaiam* seu *Laiam*, composito ad poenitentiam et misericordiam vultu, contemplantem. Sed in exitu Sectionis carniola proponitur, in eaque pater *Achillis*, *Peleus*, capillos filii devovens Sperchioni fluvio Thessaliae, si quidem ille salvus e bello Troiano redierit.

Iam de natura artis Graecorum interiore, Sectione II. copiosissime agit *Winckelmannus*, et accuratissime, a pag. 141-212. Quo magis autem haec disputatio observationibus elegantissimis, et inter se perpetuo cohaerentibus, referta est, tanto minus nobis licebit, praesertim postquam satis iam in superioribus enarrandis diserti fuimus, eam in pauca contrahere. Legent eam, quicunque artis Graecorum penitius cognoscendae desiderio tenentur. Nos summam illius duntaxat indicabimus. Duabus partibus continetur: quarum altera nudorum corporum delineationem apud Graecos sistit, altera figurarum vestitarum e sexu feminino. Illa cum pulchritudinis contemplatione inprimis nitatur, eam describit Auctor diligentissime. Ostendit enim, quomodo vera eius notio ab artifice arripienda sit, quomodo in operibus eius efformanda, partim cum singulares formae eduntur, (quam dicit *individualem* pulchritudinem,) partim cum plurium partium pulchrarum consociatio tentatur, (quam *idealem* vocat,) quae sit inprimis ex posteriori genere pulchritudo Deorum iuventa florentium apud Graecos, ubi de Faunis, de Apolline, Mar-

Marte, Hercule, et Baccho agit; quam pulchritudinem virilis Deorum aetas, quam heroes, ac denique Deae tueantur. Hinc a pag. 167. docet, quales in exprimendis animi motibus, et actione corporis, gesserint se Graecorum artifices: ubi exempli causa duo illa maxime admiranda antiquitatis opera, filias Niobes et Laocoonta, cum filiis duobus, producit, quorum illae timorem certissimae mortis et iam iam instantis, hic acutissimum dolorem, qui omnem corporis sensum occupavit, demonstrat. * Sed de utroque Opere videnda est accuratior Auctoris descriptio Parte II. p. 336. et 347. Venit postea ad proportionem corporis humani in operibus artis expressam, et ad pulchritudinem singularum partium illius describendam, monetque iuvenes artium studiosos et peregrinantes, ne, quod saepius fit, censores naevorum in operibus antiquitatis antea agant, quam quid sit in illis pulchrum, sentire didicerint. Ostendit etiam, quam felices fuerint Graeci artifices in delineandis animalium figuris. In primis autem curiosus est a p. 190-212. in describendis eorum figuris femininis, ornatuque et vestibus harum, non modo genera vestitus omnia persequens, sed etiam observans, quam apte quodlibet huic vel illi parti corporis inditum fuerit.

Tertia Sectione huius Capitis incrementa et occasum artium Graecarum enarrat Auctor, quatuor illis aetates, et totidem characteres adsignans. Prima aetas in *Phidia* desinit, in eaque *stylus vetustior*, ut adpellat Noster, regnavit. Secutus est sub hoc artifice, aliisque eiusdem temporis, *stylus sublimis*, et magnum in primis spirans; a *Praxitele* ad *Lysippum* et *Apellem* usque, plus gratiae accessit artibus, unde *stylus pulcher* et elegans ortus est; denique *stylus imitatorum* paullo post omnia occupavit, artesque sensim in peius ruerunt. Quid proprium sit cuique stylo, quae illius monumenta superstint, accurate hoc loco docetur. In postrema inprimis aetate observat Auctor, quantum imitatio

ſummi faſtigii quod ars conſcenderat, artifices depreſſerit, ſeduxeritque ad nimiam in minutis diligentiam: qui tandem ſola fere capita elaborarunt felicius, ſtatuis efformandis iam minime pares. Eidem aetati adſcribendae ſunt pleraeque urnae ſepulchrales, quarum videtur magna ſemper copia venalis proſtitiſſe. Eiusmodi urna, ſed nonnihil vitiata, exſtat in Villa Albana; in ea *Ulyſſes* ſpectatur, malo navis alligatus, et tres Sirenes, quarum ille cantum metuit, lyra partim, partim tibia ludentes, tertia etiam canente, inſerto manui volumine; adiecta eſt haec inſcriptio, nondum vulgata:

ΑΘΑΝΑΘΩΝ ΜΕΡΟΠωΝ
ΟΥΔΕΙC· ΕΦΤ· ΤΟΥΔΕ· CΕΒΗΡΑ
ΘΗCΕΥC· ΑΙΑΚΙΔΑΙ
ΜΑΡΤΥΡΕC· ΕΙCΙ· ΛΟΓΟΥ
ΑΥΧΩ· CωΦΡΟΝΑ· ΤΥΝΒΟC· Ε
ΜΑΙC· ΛΑΓΟΝΕCCΙ· CΕΒΗΡΑΝ
ΚΟΥΡΗΝ· CΥΡΥΜΟΝΙΟΥ· ΠΑΙ
ΔΟC· ΑΜΥΜΟΝ· ΕΧωΝ
ΟΙΗΝ· ΟΥΚ· ΗΝΕΙΚΕ· ΠΟΛΥC
ΒΙΟC· ΟΥΔΕ· ΤΙC· ΟΥΠω
ΕCΧΕ· ΤΑΦΟC· ΧΡΗCΤΗΝ
ΑΛΛΟC· ΤΦ ΗΕΛΙωΙ

Poſthaec quarta Sectione partem mechanicam ſculpturae Graecorum, h. e. materiam, in qua illa monumenta ſua condidit, perſequitur *Winckelmannus*. De marmore primum dicit, cuius diverſa apud vetes genera ſingulari libro enarraſſe ait *Garofalum*; ſed nec pulcherrimi marmoris naturam docuiſſe, et in locis veterum colligendis non probaſſe ſibi diligentiam. Addit, ſollenne eſſe antiquitatis ſtudioſis, ut e Pario marmore opera artium formata pronuntient, cum tamen quale illud fuerit fere ignorent, multoque frequentior fuerit Penthelii marmoris uſus, quod quibus

bus rebus a Pario diſtet, hodie nos fugit. Ab aliis de marmore obſervatis tranſit ad ebur, aes, aliaque arti veterum inſervientia: unde quae decerpi poſſent lectu digna, Lectoribus libri permittenda ſunt. Inſcriptionem tantum huc referemus, ex Villa Albana, nondum editam, quod numorum inauratorum mentionem habet, ſervatis mendis in verſu quinto et penultimo:

D. M.
FECIT. MINDIA. HELPIS. IVLIO. THALLO
MARITO. SVO. BENE. MERENTI. QVI
FECIT
OFFICINAS. PLVMBARIAS. TRASTIBERINA
NVMVLARIORVM. QVI. VIXIT
ANN. XXXII. M. VI
ET. C. IVLIO. THALLO. FILIO
DVLCISSIMO. QVI. VIXIT
MESES. IIII. DIES. XI. ET. SIBI. POSTERISQVE
SVIS

Sectione denique quinta picturae Graecorum reliquiae, quas inventa Herculanenſia ampliſſimas reddidere, deſcribuntur, ac primo quidem loco quae Romae repertae ſunt, poſtea quas Herculanum dedit. In his laudat Auctor maxime Saltatrices, Bacchas, et Centauros, et cum his Achillem, qui muſicam a Chirone docetur. Exeunte autem anno LXI. in ruinis Stabiarum quatuor picturae inventae ſunt, de quibus diligenter a pag. 269-275. dicit Auctor; aliae nonnullae Romae anno LX. ex quibus ipſe duas poſſidet non contemnendas; et eodem anno in vicinia Romae picturae nonnullae, in his Ganymedes longe pulcherrimus. Plerasque autem harum picturarum, Caeſarum aetati adſignandas eſſe putat Auctor, et Graecis artificibus adſcribendas. Subiungit denique diſputationem de ratione,

udo tectorio pingendi, ad quam illae omnes factae sunt. Haec ille de historia artium apud Graecos, quae ipsa monumentis earum quibusdam illustravit, ut p. 141. gemma, quae olim in Farnesio Museo Neapoli fuit, Bacchi et Ariadnes capita summae pulchritudinis ostendente: p. 213. duobus vetustissimis numis Syracusanis: et p. 262. picturis duabus non longe Roma, ut supra diximus, repertis: altera saltantes tres foeminas, cum homine tibiam inflante; altera Erichthonii historiam refert, Palladem nimirum cum corbe seu cista mystica, cui ille inest, et filias Cecropis tres, quarum uni cura illius demandata fuerat.

Breviter iam Capite V. p. 289-312. de artium apud Romanos honore dicitur. Supersunt adhuc quaedam ipsorum opera, cum adiectis artificum Romanorum nominibus. Verum hi antiquissima aetate Hetruscos imitati sunt, seriore autem Graecos. Itaque vix proprium aliquid in colendis artibus fuisse Romanis videtur. Quod alii contrariam sententiam amplexi sunt, inde ortum est, iudice Nostro, partim quod figuras in Romanis operibus propositas ad Romanam historiam retulerunt, non, quemadmodum debebant, ad Graecam; partim quod nulla artium opera, in quibus parum elegantiae esset, Graecis adscribere, propter reverentiam gentis, ausi sunt, sed Romanis tribuerunt. Ipsos natales artium apud Romanos, earum incrementa, vicissitudines, et historiam omnem, inde a Regibus ad devictum usque a Paullo Aemilio Perseum, a p. 294-302. expedit Auctor. Hinc ad p. 312. de vestitu omni armisque virorum Romanorum ita differit, ut artifices inde de monumentis artium Romanis tanto accuratius iudicare discant. Praefixa est huic capiti pars vasis cylindrici, cui Castor et Pollux incisi sunt, hic quidem Amycum cestu superatum arbori alligans, adstante Pallade, et figuris aliis: opus ex antiquiore Reipublicae Romanae aetate. In exitu autem huius Capitis aliud vas Romani operis exhibetur, quo ea videntur

Winkel-

Winckelmanno proponi, quae *Homerus* Odyſſ. XVIII, 369-467. narrat.

Atque ita pervenimus ad alteram Partem huius Hiſtoriae, progredientem a p. 313-431. et artium Graecarum hiſtoriam anguſtiore vocabuli ſenſu tradentem. Hoc enim loco primum epochas quasdam hiſtoriae artium Graecarum conſtituit Auctor, ut aetatem Phidiae, Alexandri M. ſucceſſorum eius, Caeſarum Romanorum, ac denique Septimii Severi, refertque ad ſingulas fata artium ac reipublicae ſtatum, quo illae vel adiutae ſunt, vel depreſſae, artifices nobiliſſimos, opera eorum, diverſas provincias in quibus artes floruere, ut Graeciam ipſam, Siciliam, Aegyptum, Magnam Graeciam, Bithyniam, Pergamum, ac Romam denique. Inter omnia opera, quae hic deſcribuntur copioſius, et cum vero pulchritudinis ſenſu, eminent inprimis *Niobe* et *Laocoon*, de quibus iam ſupra diximus, dein fragmentum illud clariſſimum, ſeu truncus ſtatuae *Herculis* in ſuburbano Romano, cui *Belvedere* nomen eſt, et eodem loco *Apollinis* ſtatua, omnium operum, quae ars veterum protulit, propter incredibilem et humana forma auguſtiorem non modo pulchritudinem, ſed dignitatem etiam et ſuavitatem ſublimiorem, ſummum, in quo deſcribendo, enthuſiasmo quodam abreptus eſt Noſter p. 392. ſq. Mittimus alia in hac hiſtoria, lectu quidem illa iucundiſſima atque utiliſſima, ſed paullo magis, quam illa ſuperioris Partis, vulgata; quamvis et hic rariores obſervationes plurimae, et ex penetralibus artium depromtae, interſperſae ſint. Triſtior eſt exitus libri, cum in tot operum praeſtantiſſimorum, ipſarumque artium interitu deſcribendo, verſetur. Hunc poſtquam iuſtiſſimis querelis proſecutus eſt Auctor, adhortatur artifices, ut vel in ipſis operum antiquitatis reliquiis, vel etiam ectypis intuendis et rimandis, ſummam diligentiam ponant. Accuratius de artibus ſcripturos fuiſſe veteres, niſi illae tantum apud eos culmen attigiſſent, et innumeris operibus omnium ore atque oculis fuiſſent celebratae: nobis, quibus

bus tenuis hereditas ex hoc genere contigerit, tanto attentius ea utendum esse. Ceterum, in principio huius Partis gemma expressa est Musei Farnesiani, in qua Iupiter spectatur, fulmine gigantes feriens, opus *Athenionis*, qui nomen adiecit; porro opus anaglyphum e Villa Albana, in quo sculptor protomen filii considerat, cum uxore. Liber autem omnis clauditur eximia Sarda, seu Carniola, e Museo *Carlilii*, Viri generosi in Anglo-Britannis, quae Mercurium Criophorum refert, habetque et ipsa artificis nomen *Dioscoridis*.

Nobis, qui tanto locorum intervallo a praestantissimis Graecarum artium monumentis, sculpturae maxime et picturae, arcemur, nihil fere supereſt, quam ut impense laudemus quidquid collatum est a *Winckelmanno* ad ea opera illustranda hoc libro studii, eique et nostro, et posteritatis nomine gratias agamus. Habent viri docti, habent artifices, et elegantiae omnis studiosi, quod contemplentur opus; dignissimum profecto, quod inventis, observationibus, iudicandi subtilitate sua, exornent, augeant, confirment.

Digitized by Google

NOVA ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipſiæ

Calendis Iulii et Aug. Anno MDCCLXV.

INTEGRATIO QVARUNDAM QUANTITATUM differentialium, quae originem habent a Lineis, quae ad Circulum referuntur, Auctore Archidiacono IO. FRANCISCO de TUSCHIS a FAGNANO, ex S. Honorii Marchionibus, Nobili Romano, et Patritio Senogallienſi.

Celeberrimus, famaeque nunquam interiturae Vir, *Iohannes Bernoullius*, in quodam ſuo Schediasmate, inſcripto: *Continuatio Materiae de Traiectoriis reciprocis, imprimis de Pantagonial.* ad Articulum XI. utitur his verbis: *Unde hoc emergit paradoxum, omnes has formulas* $\frac{S\,a^3\,dt}{(a^2t+2t^3)}$; $\frac{S.(a^3-at^2)\,dt}{2(a^2t+t^3)}$; $\frac{S.(a^3-3a^2t^2)\,dt}{(a^2+t^2)\times(3a^2t-t^3)}$ etc. *per ſolas Areas hyperbolicas, vel, quod perinde eſt, per meros Logarithmos integrari, adeoque nihil, ut alias in huiusmodi fractionibus rationalibus plerumque fit, abſolute integrabile, vel reducibile ad Arcus Circuli, in illis comprehenditur, quod a priori invenire res forſan eſſet difficilioris indaginis.*

Tab. II. Hoc est: Fig. 1. sumpto in Quadrante Circuli *CAMNB* radio *CA* (*a*) descripti Arcu *AM*, qui a Tangente *AT* $= t$ determinetur, quoniam $\frac{a^2 dt}{a^2+t^2}$ est differentiale Arcus *AM*; $\frac{2a^2t}{a^2-t^2}$ est Tangens Arc. 2*AM*; $\frac{3a^2t-t^3}{a^2-3t^2}$ est Tang. Arc. 3*AM*; si fiat Arcus $AM = A$, et radius $CA = 1$. Integratio differentialium $\frac{dA}{\text{Tang. } A}; \frac{dA}{\text{Tang. } 2A}; \frac{dA}{\text{Tang. } 3A}$ etc. id est, posito quod *n* significet quemcunque numerum integrum positivum, generaliter Integratio differentialis $\frac{dA}{\text{Tang. } nA}$ habebitur per Hyperbolae quadraturam, sive per Logarithmos. Non igitur rem prorsus inanem praestitisse me arbitror, si methodo usus perquam simplici, Bernulli Theorema generalius enunciatum *a priori* demonstraverim, simulque alia Theoremata indicaverim, quae quandam cum Bernulliano affinitatem habent, eademque adhibita methodo facile demonstrantur.

Lemma Problematicum.

Invenire relationem inter Tangentes *t*, et *T* duorum Arcuum circularium *A*, *nA*, qui sunt ad invicem ut unitas est ad *n*. Denotat *n* quemcunque numerum integrum, fractum, positivum, vel negativum, irrationalem, et quoque imaginarium.

Solutio.

Sit radius Circuli $= 1$. Quoniam per Hypothesin *A*. *nA* :: 1. *n*; erit per elementa Calculi differentialis *dA*.

Digitized by Google

$dA. \; n\,dA :: 1. \; n$, hoc eſt in terminis analyticis $\frac{dt}{1+tt} : \frac{dT}{1+TT} :: 1. \; n$; ideoque $\frac{n\,dt}{1+tt} = \frac{dT}{1+TT}$

et ducendo in $\sqrt{-1}$

$\frac{n\,dt\sqrt{-1}}{1+tt} = \frac{dT\sqrt{-1}}{1+TT}$, et integrando

$$L.\frac{(1+t\sqrt{-1})^n}{(1+tt)^{\frac{n}{2}}} = L.\frac{(1+T\sqrt{-1})}{\sqrt{1+TT}}$$

et ſublata expreſſione Logarithmica

$$\frac{(1+t\sqrt{-1})^n}{(1+tt)^{\frac{n}{2}}} = \frac{1+T\sqrt{-1}}{\sqrt{1+TT}}$$

Fiat nunc $1+tt=uu$, eritque $\sqrt{1-uu} = t\sqrt{-1}$, hinc ſurrogando, Aequatio praecedens immutabitur in

$$\frac{(1+\sqrt{1-uu})^n}{u^n} = +1\,\frac{1+T\sqrt{-1}}{\sqrt{1+TT}}, \text{ et quadrando}$$

$$\frac{(1+\sqrt{1-uu})^{2n}}{u^{2n}} = \frac{1+2T\sqrt{-1}-TT}{1+TT}, \text{ atque addendo}$$

at utramque partem unitatem, inde per 2 dividendo

$$\frac{(1+\sqrt{1-uu})^{2n}}{2u^{2n}} + u^{2n} = \frac{1+T\sqrt{-1}}{1+TT} = \frac{1}{1-T\sqrt{-1}}$$

Conſequenter $1 - T\sqrt{-1} = \frac{2u^{2n}}{(1+\sqrt{1-uu})^{2n}+u^{2n}}$,

et transferendo, postea per $\sqrt{-1}$ dividendo

$$\frac{(1+\sqrt{1-uu})^{2n}-u^{2n}}{((1+\sqrt{1-uu})^{2n}+u^{2n})\sqrt{-1}}=T$$

Postremo in praecedenti aequatione loco $\sqrt{1-uu}$ reponatur $t\sqrt{-1}$, et loco u^{2n} substituatur $(1+tt)^n = (1+t\sqrt{-1})^n (1-t\sqrt{-1})^n$ eademque convertetur in

$$\frac{(1+t\sqrt{-1})^{2n}-(1+t\sqrt{-1})^n (1-t\sqrt{-1})^n}{((1+t\sqrt{-1})^{2n}+(1+t\sqrt{-1})^n (1-t\sqrt{-1})^n)\sqrt{-1}}=T$$

Id est

$$(1)\quad \frac{(1+t\sqrt{-1})^n-(1-t\sqrt{-1})^n}{((1+t\sqrt{-1})^n+(1-t\sqrt{-1})^n)\sqrt{-1}}=T$$

Quod erat inveniendum

Scholion.

I.

Sit Cotang. Arcus $A=u$, et Cotang. Arcus $nA=V$. Per Trigonometriae Elementa $t=\frac{1}{u}$; $T=\frac{1}{V}$, ergo substituendo profluet ex aequatione (1)

$$(2)\quad \frac{((u+\sqrt{-1})^n+(u-\sqrt{-1})^n)\sqrt{-1}}{(u+\sqrt{-1})^n-(u-\sqrt{-1})^n}=V$$

II.

Sit Sec. Arc. $A=s$, et Sec. Arc. $nA=S$; erit $\sqrt{ss-1}=t$; $\sqrt{SS-1}=T$, et per aequationem (1)

(3)

$$(3)\qquad \frac{2s^n}{(1+\sqrt{ss-1}\sqrt{-1})^n+(1-\sqrt{ss-1}\sqrt{-1})^n} = S$$

III.

Sit Cosec. Arc. $A=r$, et Cosec. Arc. $nA=R$; erit ex Trigonometricis $\frac{1}{t}=\sqrt{rr-1}$; $\frac{1}{T}=\sqrt{RR-1}$; ideoque peractis solitis substitutionibus, riteque calculando, aequatio (1) immutabitur in

$$(4)\qquad \frac{2r^n\sqrt{-1}}{(\sqrt{rr-1}+\sqrt{-1})^n-(\sqrt{rr-1}-\sqrt{-1})^n} = R$$

IV.

Sit Cosin. Arc. $A=x$; Cosin. Arc. $nA=X$, eritque $x=\frac{1}{s}$, et $X=\frac{1}{S}$; consequenter per aequationem (3)

$$(5)\qquad \frac{(x+\sqrt{1-xx}\sqrt{-1})^n+(x-\sqrt{1-xx}\sqrt{-1})^n}{2} = X$$

V.

Sit Sin. Arc. $A=y$, et Sin. Arc. $nA=Y$, eritque $x=\sqrt{1-yy}$, $X=\sqrt{1-YY}$, ideoque substituendo, rectequetractando praecedentem aequationem, ex ea prodibit

$$(6)\qquad \frac{(\sqrt{1-yy}+y\sqrt{-1})^n-(\sqrt{1-yy}-y\sqrt{-1})^n}{2\sqrt{-1}} = Y$$

VI.

Sit Sin. verf. Arc. $A=q$, et Sin. verf. Arc. $nA=Q$. Cum sit $x=1-q$; $X=1-Q$, ex aequatione (1) proveniet

$$(7)\quad \frac{2-(1-q+\sqrt{2q-qq}\sqrt{-1})^n-(1-q-\sqrt{2q-qq}\sqrt{-1})^n}{2}=Q$$

VII.

Non diſſimili modo, ſi abſciſſa complementi ad ſemicirculum Arc. A ſit L, et abſciſſa complementi ad ſemicirculum Arc. nA fuerit L; cum ſit $q=2-L$; $Q=2-L$, praecedens aequatio exhibebit

$$(8)\quad \frac{2+(L-1+\sqrt{2l-ll}\sqrt{-1})^n+(l-1-\sqrt{2l-ll})^n}{2}=L$$

VIII.

Non aliter ſi fuerit corda Arc. $A=m$; corda Arc. $nA=M$, cum ſit $q=\frac{mm}{2}$; $Q=\frac{MM}{2}$, erit per aequationem (7).

$$(9)\quad \left(2-\frac{(2-mn+m\sqrt{4-mm}\sqrt{-1})^n-(2-mn-m\sqrt{4-mm}\sqrt{-1})^n}{2}\right)^{\frac{1}{n}}=M.$$

IX.

Tandem ſi fuerit corda complementi ad ſemicirculum Arcus $A=p$, et corda complementi ad ſemicirculum Arcus $nA=P$, tunc $l=\frac{pp}{2}$; $L=\frac{PP}{2}$, et ſubſtituendo aequatio (8) erit

$$(10)\quad \left(2+\frac{(pp-2+p\sqrt{4-pp}\sqrt{-1})^n+(pp-2-p\sqrt{4-pp}\sqrt{-1})^n}{2}\right)^{\frac{1}{n}}=P.$$

Theorema Fig. 1.

Sumpto in Circuli Quadrante AMB radio CA (1) deſcripti Arcu $AM=A$, cuius Tangens AT, retineatque n, quam habuit in Lemmate, ſignificationem. Dico Integrale quantitatis $\frac{dA}{\text{Tang. } nA}$, pendere ab Hyperbolae Quadratura, ſive a Logarithmis.

Demon-

Digitized by Google

Demonſtratio.

Sit Tangens $AT = t$. Inde ſumatur Arcus AN, cuius Tangens $AS = T$, ita tamen ut locum habeat aequatio (1); tunc erit per Lemma Arc. $AM = \frac{1}{n}$ Arc. AN; ideoque diff. Arc. $AM = \frac{1}{n}$ diff. Arc. AN, hoc eſt in terminis Analyticis $\frac{dt}{(1+tt)} = \frac{dT}{n(1+TT)}$

Ulterius Tang. Arc. nAM = Tang. Arc. $AN = T$; ſi ergo quae praecedit Aequatio per hanc dividatur erit,

$$\frac{dt}{\text{Tang. Arc. } nAM\,(1+tt)} = \frac{dT}{nT(1+TT)}$$

$$\text{Sed } \frac{dT}{nT(1+TT)} = \frac{1\,dT}{n\,T} - \frac{1\,T\,dT}{n\,(1+TT)}$$

$$\text{Ergo } \frac{dt}{\text{Tang. Arc. } nAM\,(1+tt)} = \frac{dT}{nT} - \frac{T\,dT}{n(1+TT)}$$

Atque integrando

$$\frac{S.dt}{\text{Tang. Arc. } nAM\,(1+tt)} = \frac{1}{n} L.T - \frac{1}{2n} L.(1+TT)$$

hoc eſt

$$(11)\quad \frac{S.dt}{\text{Tang. Arc. } nAM\,(1+tt)} = \frac{L.\,T^{\frac{1}{n}}}{(1+TT)^{\frac{1}{2n}}}$$

Nunc loco $\frac{dt}{1+tt}$ ponatur dA, et loco Arc. AM ponatur A, eritque

$S.dA$

$$\frac{S.\,dA}{\text{Tang. } nA} = \frac{L.\,T^{\frac{1}{n}}}{(1+TT)^{\frac{1}{2n}}} \quad Q.\ E.\ D.$$

Scholion I.

Quando Arcus AM Quadranti AB aequatur, notum eſt, Arc. A tangentem t evadere infinitam, ideoque poſito quod n ſit numerus integer affirmativus, infinita quoque erit Arcus nA Tangens T; ideoque, cum in hoc caſu utrumque aequationis (11) membrum aequetur nihilo, patet, quod in hac Hypotheſi eadem aequatio (11) ſit completa.

Exempla.

Sit $n = 1$. Per aequationem (1) erit $T = t$, ergo per aequationem (11)

$$\frac{S.\,dt}{t+t^3} = L.\,\frac{t}{\sqrt{1+tt}}$$

Sit $n = 2$, per eandem aequationem (1) Tang. 2 Arc. AM, hoc eſt $T = \frac{2t}{1-tt}$, dabitque aequatio (11)

$$\frac{S.\,dt(1-tt)}{2t+2t^3} = L.\frac{\sqrt{2t}}{\sqrt{1-tt}} \text{ divis. per } \frac{\sqrt{1+tt}}{\sqrt{1-tt}} = \frac{1}{2}\,L.\frac{2t}{(1+tt)}$$

Eſto $n = 3$. Per aequationem (1) erit Tang. 3 Arc. AM, id eſt $T = \frac{3t-t^3}{1-3tt}$, Ideoque

$$1+TT = \frac{1+3tt+3t^4+t^6}{(1-3tt)^2} = \frac{(1+tt)^3}{(1-3tt)^2}$$

Factis

Factis ergo debitis ſubſtitutionibus, in aequatione (11) haec evadet

$$\frac{S.\,dt(1-3tt)}{(1+tt)\,\mathrm{X}\,(3t-t^3)} = L.\,\frac{(3t-t^3)^{\frac{1}{3}}}{(1-3tt)^{\frac{1}{3}}}\ \text{divis. per}\ \frac{\sqrt{1+tt}}{(1-3tt)^{\frac{1}{2}}}$$

Id eſt $S.\,\dfrac{dt(1-3tt)}{(1+tt)\,\mathrm{X}\,(3t-t^3)} = L.\,\dfrac{(3t-t^3)^{\frac{1}{3}}}{\sqrt{1+tt}}$

Exempla ſuperius allata eadem exhibent integralia, quae dedit Bernullius.

Scholion II.

Pro Methodi applicatione exercenda ſequentia lubet adiiocre Theoremata.

Praeſupponuntur reſpectivae aequationes (1), (2), (3), (4), (5), (6), (7), (8), (9), (10).

A; dA; et n eandem, ut ſuperius, retinent ſignificationem.

Theorema I.

$$S.\,dA\,\mathrm{X}\,\mathrm{Tang.}\,nA = L.\,(1+TT)^{\frac{1}{2n}}$$

Theorema II.

$$\frac{S.\,dA}{\mathrm{Cotang.}\,nA} = L.\,\frac{(1+VV)^{\frac{1}{2n}}}{V^{\frac{1}{n}}}$$

Theorema III.

$$S.\,dA\,\mathrm{X}\,\mathrm{Cotang.}\,nA = L.\,\frac{1}{(1+VV)^{\frac{1}{2n}}}$$

Theorema IV.

$$\frac{S.\,dA}{\mathrm{Sec.}\,nA} = \frac{1}{n}\sqrt{SS-1}$$

Theorema V.

$$S.\,dA \times \text{Sec.}\,nA = \frac{1}{n} L.\,(S. + \sqrt{SS-1})$$

Theorema VI.

$$\frac{S.\,dA}{\text{Cosec.}\,nA} = -\frac{1}{n}\sqrt{\frac{RR-1}{R}}$$

Theorema VII.

$$S.\,d.\,A \times \text{Cosec.}\,nA = \frac{1}{n} L.\,(R - \sqrt{RR-1})$$

Theorema VIII.

$$\frac{S.\,dA}{\text{Cosin.}\,nA} = \frac{1}{n} L.\,\frac{(1+\sqrt{1-XX})}{X}$$

Theorema IX.

$$S.\,dA \times \text{Cosin.}\,nA = \frac{1}{n}\sqrt{1-XX}$$

Theorema X.

$$\frac{S.\,dA}{\text{Sin.}\,nA} = \frac{1}{n} L.\,\frac{(1-\sqrt{1-TT})}{T}$$

Theorema XI.

$$S.\,dA \times \text{fin.}\,nA = -\frac{1}{n}\sqrt{1-TT}$$

Theorema XII.

$$\frac{S.\,dA}{\text{fin. verſ.}\,nA} = -\frac{1}{n}\sqrt{\frac{2-Q}{Q}}$$

Theorema XIII.

$$S.\,dA \times \text{fin. verſ.}\,nA = -\frac{1}{n}\sqrt{2Q-QQ} + A$$

Theo-

Digitized by Google

Theorema XIV.

$$\frac{S.\,d\,A}{\text{Abſcif. Compl. } n\,A} = \frac{1}{n}\,\frac{\sqrt{2-L}}{\sqrt{L}}$$

Theorema XV.

$$S.\,d\,A \times \text{Abſcif. Compl. } n\,A = \frac{1}{n}\sqrt{2L-LL}+A$$

Theorema XVI.

$$\frac{S.\,d\,A}{\text{Cord. } n\,A} = \frac{1}{n}\,L.\left(\frac{2-\sqrt{4-MM}}{M}\right)$$

Theorema XVII.

$$S.\,d\,A \times \text{Cord. } n\,A = -\frac{2}{n}\sqrt{4-MM}$$

Theorema XVIII.

$$\frac{S.\,d\,A}{\text{Cord. Compl. } n\,A} = \frac{1}{n}\,L.\left(\frac{2+\sqrt{4-PP}}{P}\right)$$

Theorema XIX.

$$S.\,d\,A \times \text{Cord. Compl. } n\,A = \frac{2}{n}\sqrt{4-PP}$$

In his omnibus Theorematis Quantitas conſtans, ſuo loco et tempore adhibenda, non omittatur.

A. C. CELSI DE MEDICINA LIBRI OCTO. Ex fide vetuſtiſſimorum Librorum recenſuit, innumeris depravationibus, partim aliunde, partim ab Lindenio invectis, liberavit, Lectiones Variantes et Animadverſiones, tum aliorum probatiſſimorum Auctorum, Caeſarii, Conſtantini, Ioſ. Scaligeri, Caſauboni, Almeloveenii, Morgagni, Trilleri, tum ſuas, nec non Indices copioſos

pioſos, aliaque adiecit CAROLUS CHRISTIANUS KRAUSE.

Lipſiae, ſumtibus Caſpari Fritſchii, MDCCLXV Alph. 2. plagg. 11. in octavo.

Quod dudum et litterati Viri, et veteris Medicinae cultores in votis habuere, ut tandem aliquando A. C. CELSI Opus eximium, tot foedis mendis, partim Librariorum incuria et negligentia, partim LINDENII male ſeduli cura, ſeu, ut rectius dicamus, temeritate invectis, liberaretur, id demum a Cl. KRAVSIO effectum, imo vero propemodum perfectum eſſe, vehementer gaudemus. Iam ſub finem anni MDCCLXII. vir idem clariſſimus ediderat Specimen emendationum locorum complurium in libris quatuor poſterioribus Auctoris eiusdem. Quae cum idoneis harum rerum aeſtimatoribus admodum probarentur, fuere qui totum CELSVM ab Viro rerum ad artem medicam pertinentium apprime guaro ornatum vehementius etiam atque etiam expeterent. Neque illos, quam de Viro doctiſſimo conceperant, ſpes et opinio, feſellit. Quocunque enim oculos convertimus, et circumſpectum, et minime infelicem emendatorem ſuſpicimus. Quod ne fruſtra, aut aſſentandi cauſa dixiſſe videamur, quam Vir Clariſſ. ſecutus ſit rationem exponere decet. CELSI textum, prout primum ab LINDENIO partim emendatus, partim depravatus, in publicum A. MDCLVII. prodiit, ac poſtea iterum iterumque ac ſaepius ad verbum deſcriptus circumfertur, ex editione Patavina A. MDCCL. contulit cum veruſtiſſimis editionibus, quarum praecipuae ſunt Florentina, omnium prima, Veneta prima, ſecunda, tertia, et quarta, ſeu Iuntina, Aldinae duae, Pariſienſis A. MDXXIX, H. STEPHANI, PANTINI RONSSEI, ut recentiores et viliores ex prioribus omittamus. Inſpexit quoque LOMMII Commentarium in Librum primum, PAWII Commentarium in Librum octa-

octavum; nec non Verſiones, Britannicam, Gallicam, et Germanicam ſeculi decimi ſexti. Ab his tamen nihil omnino profecit. Neque lectiones variantes, ex Libro octavo Celſi Codicis Florentini ab ANTON. COCCHIO deſcriptas, et Florentiae A. MDCCLIV. evulgatas, praeteriit. Parum tamen et hae adiuvere. Epiſtolis Venerandi MORGAGNI plurimum tribuit; ſubinde tamen ab ſententia acutiſſimi Viri receſſit, iudiciique ſui rationem, adiectis animadverſionibus, reddidit. Easdem Epiſtolas ita contraxit, ut in Notis ſubiunctis Illuſtris Viri obſervationes fere omnes compendio temporis legi poſſint. Iisdemque Notis ſubiecit Illuſtris Viri, DANIELIS WILHELMI TRILLERI, Animadverſiones in Libros tres priores. Editionum Indiculum auxit, et novum Indicem alimentorum et medicamentorum a CELSO commemoratorum addidit, tam locupletem, ut ex locis, ubi medicamenti et alimenti alicuius mentio facta eſt, vix quidquam deſideretur. ALMELOVEENII notas, textui ſubiectas, ſervavit non ſolum, ſed auxit etiam; loca quoque parallela diligentius, et ſic notata cernimus, ut emendationes ab Editore factas, luculenter cuique comprobatum iri ſperemus. His in conſpectum quendam productis, de ratione emendandi dicemus. Loca CELSI, quae in editione ſupra dicta attingenda viderentur, digeſſit in genera quatuor. Quaedam omnino perſpicua viſa ſunt, quamvis editiones priores omnia alia exhibeant. Alia ſunt, et numeroſiſſima quidem, ubi apud priscos rectiora legas. Neque pauca invenit Editor, ubi dubitare poſſis, priſca an recentior lectio praeferenda ſit. Nec deſunt, ubi nulla editio, ſive priſca fuerit, ſive recentior, ſenſum ſuppeditat perſpicuum. Primi generis loca non mutanda eſſe, quisque intelligit. Ex eorum numero ſunt ſequentia. Pag. 2. l. 21. omnes priores editiones habent: *nonnulli clari viri medicinam exercuerunt* etc. Lindeniana vero: *nulli clari* etc. quae lectio, cum planiſſime reſpondeat verbis conſequentibus, ab Editore ſervata eſt. Pag. 535. l. 16. priſcarum editionum lectiones admodum variant,

LINDENIVS pro *correpto* aut *correcto* habet *porrecto;* quod, quia ſenſum perſpicuum praeſtat, Editor retinuit, ſimulque Illuſtrem MORGAGNVM, qui l. 19. pro *baculum* legi *brachium* vult, verum non vid ſſe docet, totumque obſcuriorem locum illuſtrat. Secundi generis loca haec ſunt: p. 108. l. 29. p. 109. l. 5. LINDENIVS puerilem paene depravationem textui plano ac perſpicuo intulit, quam ab Editore ſublatam cernimus. P. 114. l. 5-9. apud priores editores ſcriptum eſt: *Ac ſi quando is* (ſc. morbus) *non in toto corpore, ſed in parte eſt, magis tamen ad rem pertinet, vim totius corporis molliri, quam propriae partes aegre* (alii *aegrae*) *ſanentur.* In hoc loco *Lindenius* poſuit *At* pro *Ac;* et poſtrema verba mire mutavit, ſcripſitque: *moliri, quam partis,* cum *per eam partes aegrae ſanentur.* Editor docet, locum, prout a priſcis editus eſt, perſpicuum eſſe, ſi ſcribas *proprie* pro *propriae*, et vocalem *quam* non ad verbum *magis* referas, ſed per *quantumvis* vel *quamvis* exponos. CELSVS enim antea de curationibus communibus dixerat, quibus propriae ab eo opponuntur. P. 499. l. 28-30. obſcurior omnibus antea viſus locus, feliciſſime et emendatus et illuſtratus eſt. Priſci ſcripſerant: *ſub his quoque muſculis, qui tempora connectunt, os medium, in exteriorem partem inclinatum, poſitum eſt.* LINDENIVS ſcripſit: *Super hos quoque muſculos etc.* Sed Editor lectionem priorum editorum reſtituit, et *os medium* per os *cuneiforme* exponit, ſuaeque explicationis rationem reddit, et ORIBASII auctoritate ſe tuetur. Ad genus locorum tertium Editor refert verba p. 163. l. 7. 8. ubi LINDENIVS pro *ſemen iunci* poſuit *iunci flos.* Utraque enim lectio non omnino improbabilis eſt. Praeter hanc tamen mutationem veteris textus, Lindenium *illud* et *hoc* cum *illum* et *hunc* praeter neceſſitatem commutaſſe docetur. Locorum genus quartum eſt, ubi nemo ante Editorem veram lectionem reperire potuit. In his emendandis laudes non mediocres promeruit Cl. KRAVSIVS. Nam multa admodum, ſolo ingenio adiutus, reſtituit, quod tamen, ne luxuriaret,

riaret, continuit; uti in locis quibusdam manifeſtum eſt. Ita p. 281. l. 30. ante LINDENIVM legebatur: *mel, abſinthii cyathus:* pro his LINDENIVS poſuit *mellis abſinthii.* Editor priſcam lectionem retinuit quidem, ſed tamen monet, legendum eſſe *melampſithii cyathus;* quam lectionem veram eſſe, omnes, quicunque locum inſpexerint, fatebuntur. Pag. 502. l. 33. priſci ſcripſerant: *Ac ſic, uno flexu modico in promptum dato, caeteris negotiis homo et rectus inſiſtit, et aliquid ad neceſſaria opera curvatur.* LINDENIVS, pro more, locum, quem non intellexit, audacter mutavit, *in pronum* pro *in promptum, aliquantum* pro *aliquid* ſubſtituendo. Sed Editor docet, priſcam lectionem et veriſſimam eſſe, et explicatu facilem, dummodo pro *uno* legas *una.* Quae quidem circumſpectio emendatorem arguit nullo modo temerarium. In iis autem locis, ubi ingenio indulſit, nullam a Lectoribus veniam ſibi expetit, neque cenſuram acerrimam ſibi diſplicituram eſſe profitetur. Magnum nos iudicii acumen ab Editore adhibitum eſſe, certe negare non poſſumus. Et ubi forſan aliquid humani admiſſum fuerit, ex lectionibus variantibus, magna diligentia collectis, congeſtis, et textui ſubiectis, veriorem ſibi viſam quisque lectorum facile ſubſtituet. Ipſe autem textus ceteroquin debita cura deſcriptus eſt, et ſaepius, ſola interpunctione mutata, quam antea lectu facilior. Quibus rebus effecit *Kraufius*, Vir doctiſſimus, his Eruditorum Actis ſcribendis Collega noſter amantiſſimus, ut magno ſibi beneficio obſtrinxerit rem publicam litterariam, et inſigne ſimul doctrinae, criſeos, intelligentiaeque medicae documentum, publice propoſuerit.

HISTORIA ZARINGO-BADENSIS. AUCTOR IO. DANIEL SCHOEPFLINUS, Hiſtoriographus Franciae. TOMUS PRIMUS.

Carolsruhae, ex officina Maklotiana, MDCCLXIII. Alph. 2. plagg. 15. quaternis, c. tabb. aen.

Non

Non dubium eſt, quin univerſam Germaniae hiſtoriam brevi tempore multo pleniorem atque accuratiorem habituri ſimus, ſi omnium eius partium ſingularium deſcriptiones darentur, deſcriptionis *Cel. Schoepflini*, quam de rebus Badenſibus confecit, ſimiles; id quod tamen pro ratione temporis noſtri, quae ita fert, ut perpaucis hiſtoriarum ſcriptoribus Scrinia publica pateant, quemadmodum huius operis Auctori patuerunt, vix expeti debet, ne dum expectari. Tanto igitur accuratiores erimus in percenſendis iis, quae opere hoc, omni eruditionis apparatu conſpicuo, continentur, quanto expeditius alioquin eſt iudicium de vulgaribus illis libris, quibus non tam donamur, quam obruimur. Fontibus Auctor in conſcribenda hac hiſtoria uſus eſt partim monumentis Chartisque publicis, partim Scriptoribus Sec. XVI. et XVII. Ioh. Piſtorio, Ioh. Friderico Iunglero, Gabriele Foerſtero, Io. Gamanſio, Friderico Theobaldo Sahlero, Carolo Friderico Drollingero. *Lib. I.* Cap. I. continetur introductio in totum opus, in qua Auctor Domum Badenſem una cum Lotharingica et Auſtriaca originem ex Alſatia trahere demonſtrat, ab Etichone Alſatiae Sec. VII. Duce. Huius a filio natu primo Adelberto, uti Marchiones Badenſes et Archiduces Auſtriae, ita ab altero Eberhardo Duces Lotharingiae, deducendi ſunt. Scriptores huc pertinentes habemus *Auguſtinum Calmetum*, qui ſingulari libro expoſuit origines Ducum Lotharingicorum; *Herrgottum*, qui Auſtriacorum; et qui Badenſium denique Marchionum hiſtoriam ſcripſit, Cel. Schoepflinum. Omnis haec eius Hiſtoria Septem diverſis diſtinguitur Periodis, de quibus nunc ſigillatim dicemus. Prima, ab Etichone, Alſatiae Sec. VII. Duce, ad Bertoldum I. Zaringiae Ducum et Badenſium indubitatum Satorem, ill. Auctori vocatur *Alſato-Brisgovica*. Secunda, a Bertoldo I. ad Bertoldum V. qui Sec. XIII. Zaringorum fuit poſtremus, *Zaringica*. Tertia ab Hermannis VI, Marchionibus Badae, ſibi ordine ſuccedentibus, *Hermanniana*. Quarta

ta eſt *Bada-Hachbergica*, a Satore *Henriciana*, quae deinceps in *Hachberga-Hachbergenſem*, et *Hachberga-Sauſenbergenſem* diviſa fuit. Quinta Badenſis eſt ſenior, ab auctore ſuo *Rudolphina*, quae usque ad Bernardum I. procedit, ſub quo Hachbergicus Marchionatus ad Lineam Badenſium rediit, Hachbergica cum Ottone extincta, quod A. 1418. evenit. Sexta *Bernardiana* eſt, a Bernardo I. ad Chriſtophorum usque ſe extendens, ſub quo Sauſenbergicae quoque terrae A. 1503. ad Badenſem ſtirpem redierunt, Sauſenbergenſi extincta. Septima denique Periodus, quae *Chriſtophoriana*, a Marchione Chriſtophoro, ad noſtrum usque tempus decurrit, Badenſis eſt iunior, in Bada-Badenſem denuo, et Bada-Durlacenſem tributa. Antequam vero Auctor ad ipſum rerum, quas ſcripturus erat, expoſitionem accederet, antiquiora tria Syſtemata, quae de origine Marchionum Badenſium condita ſunt, proponit, et quid de iis, eorumque conditoribus ſtatuendum ſit, docte disquirit. Primi illorum Syſtematum auctor eſt Petrus Andlavienſis, qui Badenſium Marchionum originem ex Italia repetiit; quam eius opinionem, in Libro de Imperio Rom. L. 1. C. 15. divulgatam, Auctor noſter Cap. 2. bene refutat. Alterum Syſtema conditori debetur Guilimanno, qui, relicto Syſtemate Italico, primus Marchiones ex Helvetia deduxit. Huius ſententia examinatur Cap. 3. Tertium denique Syſtema, Cap. 4. expoſitum, eſt eorum, qui gentem Badenſem derivant ex Alſatia, quam eius originem a Vignierio primum propoſitam, explicuerunt deinceps Eccardus et Herrgottus, Auctor vero noſter rationibus ita ſtabilivit, ut, quod in dubium vocari poſſit, nihil in ea reliquum ſit. Haec igitur ſunt, quae Libro I. huius Operis co[illegible]mentur. Libri II. ratio haec eſt. Cap. 1. exponitur hiſtoria Bertoldi I. ab A. 1060. ad A. 1077. Ab A. 1052. Bertoldus iſte in monumentis nomine Ducis inſignitur, nulla tamen adhuc ullius provinciae mentione facta. Henricus III. Imp. ſpem ei fecerat regendi Ducatus Sueviae; quam tamen, cum Imperator A. 1056. diem

obiisset, neglectis mariti defuncti promissis, fefellit Agnes, Henrico IV. filio impuberi tutrix constituta. Quam ut repararet iniuriam, Bertoldo A. 1057. concesit Ducatum Carinthiae, cui deinceps Henricus IV. Marchiam Veronae addidit. Utramque vero regionem non XIII. annis amplius tenuit, proptera, ut videtur, inde depulsus, quod cum Rudolpho Sueviae Duce bello se coniunxerat contra Henricum. Nihilo minus tamen Ducis titulum retinuit, iniuriam sibi factam, si quando posset, ulturus. Verum fortuna utebatur adeo adversa, ut et Comitatum Provincialem Brisgoviae, quem huc usque tenuerat, amitteret. Ita Bertoldus Ducatu non solum Carinthiae et Marchionatu Veronae, sed et Brisgoviae Comitatu privatus, A. 1077. decesit. Liceat huc transferre, quae de Bertoldi ingenio et moribus Auctor tradidit. Morte eius, inquit, Germania principem magnae auctoritatis amisit, qui, amisso quoque Carinthiae Ducatu, Primores inter ubique comparuit, formidabilis Caesari. In magna constitutus fortuna, dignus sane fuit maiore, quam tamen semper adversam expertus est. Enimvero inter ardentes illas Imperii et Sacerdotii lites, quid speraret Bertoldus, vir pacificus, nec infensus aulae Rom. quam detestatus est Caesar, bonam causam male defendens, et inter corruptos aulicos ac assentatores munera ac dignitates partitus, quas indignis frequentius, quam dignis contulerat. Sub finem huius Cap. adiuncta est brevis, de Bertoldi I. uxoribus et liberis, disputatio. Cap. 2. excutitur historia Bertoldi II. ab A. 1077. ad A. 1111. qui filiorum Bertoldi I. natu maximus, patri in titulo Ducis, et in Landgravii Brisgovienfis dignitate, successit. Is sequentibus temporibus delatum sibi a Proceribus Sueviae Ducatum, Friderico Staufensi, transactione facta, cessit. Refutat hoc loco Auctor Ottonem Frisingensem, qui in iis, quae de Ducatu Sueviae memoriae prodidit, Bertoldum istum cum filio Rudolphi, tempore Henrici IV. imperium affectante, male confudit. Hinc sequuntur res gestae Bertoldi II. Is A. 1084. assumto Guelpho-

phone Bavaro, et Burcardo Nellenburgenſi, cum copiis Conſtantiam profectus, Othonem Epiſc. inde depulit, Gebhardumque fratrem, qui Hirſaugiae monachum agebat, Epiſcopum inſtituit. Inſtitutis porro monaſteriis quibusdam aliis, ex itinere Romano, quo Henricum V. Imp. comitatus fuerat, redux, A. 1111. vitam finiit. Adiecit tandem Auctor characterem, quem vulgo dicunt, Bertoldi II. ex Ottone Friſingenſi deſumtum, et uxoris eius atque liberorum commemorationem. Cap. 3. legitur hiſtoria Bertoldi III. quae ab A. 1111. ad A. 1122. procedit. Bertoldus iſte primus eſt, titulo Ducis Zaringiae ornatus, id quod Auctor ex Chartis publicis demonſtravit. Pacto, quod de inveſtituris cum Papa Paſchali II. Imperator Henricus V. iniverat, conficiendo, conciliatorem ſe praebuit hic Bertoldus, et A. 1122. Calixtinae etiam Chartae transactionis cum Henrico V. ſubſcripſit. In Brisgovia civitatem Friburgum aedificavit, ſolemnique mercatu inſtruxit. Biennio fere poſt conditam urbem, Hugoni Comiti Dagsburgenſium, adverſus ſubditos rebelles auxilio profectus, interiit. Huic, cum ex uxore Sophia Guelfica prolem maſculam non ſuſcepiſſet, ſucceſſum eſt a Conrado, cuius ab A. 1122. ad 1152. hiſtoria Cap. 4. traditur. Conrado A. 1125. Ruſtenus, Blaſianus Abbas, Advocatiam monaſterii ſui tradidit, quae deinceps in Zaringica domo ad extinctos usque Duces permanſit. Pari fortuna A. 1126. mortuo Guilielmo III. Burgundiae Comite impetravit et hunc Comitatum a Lothario Imp. fruſtra ſe Raynaldo, Guilielmi defuncti patruo, opponente. In reliquis eius, quae ab Auctore deſcribuntur, rebus geſtis, memorabile eſt illud, quod, cum tanta apud Lotharium gratia valuiſſet, Conradi III. Imp. qui Lothario ſucceſſit, etiam arma in ſe concitavit. Bellum tamen perbreve fuit. Poſtrema Capitis parte de morte, uxore, et liberis Conradi agitur. Potentia Gentis Zaringicae ad ſummum faſtigium ſub Conrado evecta, poſtea magnitudinis ſuae partem ſub eius filio Bertoldo IV. amiſit. Quod quomodo acciderit, Cap. 5. illu-

ſtratur, in quo omnino hiſtoria Bertoldi IV. ab A. 1152. ad 1186. pertractatur. Fridericus I. Imp. malis uſus artibus, A. 1156. Regnum Burgundicum Bertoldo ſubtraxit, conceſſis ei, Burgundiae loco, tribus civitatibus, Lauſanna, Geneva, atque Sedano; propter quas tamen ipſas non paucae illi commotae ſunt lites, Epiſcopis, ſe non niſi Caeſarem agnituros Principem, uno ore profitentibus. In Italiam Bertoldus bis ſecutus eſt Fridericum I. Imp. primum A. 1157. tempore belli Mediolanenſis, et iterum 1167. Alia quaedam Bertoldi IV. acta, mortem, uxorem, liberos, commemorat Auctor ſub finem capitis, ubi et reperitur elogium eius, quod extat apud Guntherum, qui eum vocat

Virum magnis ſpectatum ſaepe periclis
Allobrogumque Ducem, cuius ſub iure fatigat
Lenis Arar placidas, Rhodano quas commodat, undas.

Cap. 6. enarratur hiſtoria Bertoldi V. ab A. 1186. ad 1218. Hic, ut Bugdorfium inter atque Friburgum, quam urbem pater eius condiderat, conſtitueret nexum, in peninſulae colle, quem circumfluens Arola, murus, foſſa, et propugnacula defenderent, Bernam conſtruxit A. 1191. Aliquot annis poſt, Colonienſis et Trevirenſis Praeſules, una cum Henrico Palatino Rheni, eum et in Imperatorem eligere conſtituerant, quam tamen ipſe dignitatem detrectavit, electum ab Imperii quibusdam Principibus Philippum Suevum adiuturus. Expoſitis dehinc variis eius rebus geſtis, mentionem facit Auctor contentionum, quas poſtremis vitae ſuae annis Bertoldus cum Aula Rom. habuit. Obiit A. 1218. Friburgi Brisgoviae, qua in urbe ſtatua lapidea ei poſita eſt, quam Auctor non deſcripſit tantum, ſed et ſculptam libro ſuo inſerendam curavit. Quod ad uxores Bertoldi et liberos attinet, de iis mira inter recentiores eſt diſſenſio, cui componendae Auctor noſter operam dedit, et data hinc occaſione, Wattevillianam Ducum Zaringicorum ſeriem, accuratius examinatam, confutavit. Cap. 7. repetuntur primum

mum res geſtae Ducum Zaringicorum memorabiliores, ex quibus deinde potentia eorum, et iura, illuſtrantur et confirmantur. Porro ſplendor gentis et nobilitas, ex tributis ei in monumentis cognominibus explicantur; qualia ſunt: *Praecelſae nobilitatis vir*, *egregiae nobilitatis vir*, *unus ex nobiliſſimis regni optimatibus*. Denique de amplis illorum poſſeſſionibus, et praecipue de Rectoratu Burgundiae, quem tenebant, ſermo inſtituitur. Rectoratus iſte, ab initio Transiuranum Burgundicum regnum omne et Arelatenſe complexus, poſt transactionem cum Friderico I. Imp. A. 1156. initam, non niſi ad Burgundiam Transiuranam, ſeu Helvetiam ſolam, pertinuit. Fuit haec Zaringicorum in Burgundiam poteſtas non propria, ſed adminiſtratoria; quare et Vicarii tantum Caeſaris habebantur; quo nomine Bertoldus IV. a Friderico I. in Aurea Bulla expreſſis verbis appellatus eſt. Ultima capitis pars ſiſtit Ducum Zaringicorum, tum Miniſteriales et Clientes, tum Titulos. Hi ſunt, ut dicantur: *Dux*, *Zaringiae Dux*, *Advocatus Turicenſis*, *Rector Burgundiae*, *Dux et Rector Burgundiae* coniunctim, et improprie *Dux Burgundiae*, eadem ratione, qua et regnum Burgundiae interdum Ducatus nomine venit. Cap. 8. deſcribitur diviſio Zaringicorum bonorum triplex. Prima, mortuo Bertoldo I. facta eſt, filium eius Bertoldum II. inter et nepotem Hermannum II. In altera Adelberto, fratri Bertoldi IV. terrae Teccenſes, quae pro uſu illorum temporum Ducatus nomen induerant, ſunt adiudicatae. Tertia denique A. 1218. evenit, gente Zaringica extincta. Quo tempore, ut ad Bertoldi V. Sorores, Agnetem et Annam, Allodia omnia, ita ex Feudis ad Domum Badenſem Landgraviatus Brisgoviae, tranſiit. Egeno, maritus Agnetis, terras Suevicas cum Friburgo, Brisgoviae civitate, nactus, poſtea nomen dedit genti ab urbe iſta petitum. Annae maritus, Ulricus, Comes Kiburgi, omnia accepit Helvetiae bona allodialia, quae Conradus Zaringus, eiusdemque poſteri, ab A. 1127. ad 1218. acquiſiverant. Hinc Auctor copiam ſibi factam ratus,

Cap. 9. de Ducibus Teccenſibus, et Cap. 10. de Comitibus Friburgenſibus, multa erudite diſputat. Progredimur iam ad Lib. III. quo prima hiſtoriae Badenſis Periodus, *Hermanniana* dicta, continetur. Cap. 1. exponitur hiſtoria Hermanni I. ab A. 1052. ad A. 1074. Illuſtratis familiarum Badenſis atque Zaringicae coniunctionibus, Hermanni vitae ratio traditur, qui amplexus vitam monaſticam, occaſionem dedit Auctori, multa de more iſtorum temporum praeclare monendi, qui ita ferebat, ut, relictis regnis, principes ſaepiſſime ad monaſteria ſe conferrent. Pius iſte Princeps, qui absque dubio conditor Domus Zaringo-Badenſis cenſendus eſt, Scriptoribus illorum temporum ſimpliciter appellatur Marchio, ſenſu non eo, ac ſi Marchionatum aliquem ipſe tenuerit, ſed quod Bertoldi, Ducis Carinthiae et Marchionis Veronae filius natu ſecundus fuerat. Ad finem huius Capitis pluribus declarat Auctor, quae et qualis fuerit Iuditha Hermanni I. uxor, et qui liberi. Hermanno ſucceſſum eſt a filio Hermanno II. cuius ab A. 1074. ad A. 1130. hiſtoria legitur Cap. 2. In aliis, quae de eo traduntur, inprimis notari meretur illud, quod ipſo regnante, prima Marchionis Badenſis mentio fit. Qua Auctor uſus occaſione oblata, de variis Badae antiquiſſimis temporibus fatis diſſerit. Cap. 3. agitur de Hermanno III. qui ab A. 1130. ad 1160. quoad regnavit, primus inter Zaringo-Hermannidas bellica efloruit gloria, ſub Conrado III. et Friderico I. Impp. in Germania, Italia, et Terra Sancta bellantibus, ſtrenuus miles. A. 1154. Caeſar in Italiam profectus, Veronae praefecturam Hermanno commiſiſſe videtur, unde poſtea titulus Marchionis Veronenſis in familia eius invaluit. Exſtat praeterea monumentum Italicum, in quo Hermannus noſter, non ſolum Marchio Veronenſis, ſed et Dux de Carentano appellatur. Obiit A. 1160. filio Hermanno IV. ex Bertha uxore ſuſcepto, ſuperſtite, qui patris non modo regni, ſed virtutis etiam haeres, Friderico I. in expeditione orientali praeclaram navavit operam. Eius hiſtoria, quae Cap. 4. continetur.

Digitized by Google

tur, ab A. 1160. ad A. 1190. pertinet, quo anno in Oriente, adverſus nominis Chriſtiani hoſtes pugnans, interiit. Marchio Veronenſis et ipſe fuit. Filios reliquit Hermannum V. Henricum I. et Fridericum, quorum duo natu maiores, pro more tum in Germania recepto, haereditatem paternam inter ſe partiti, conditores, alter Badenſis, alter Hachbergicae ſtirpis extiterunt. Cap. 5. perſequitur A. Seriei Badenſis hiſtoriam, quae complectitur res geſtas Hermanni V. ab A. 1190. ad 1241. Interemto Hermanno IV. Marchia Veronenſis a Badenſi Domo videtur ablata eſſe, etſi in ſucceſſorum eius Actis, ſubſcriptionibus, et Sigillis, non omnino exulat. Fridericus, Hermanni V. frater, regni, ut e monumentis docetur, particeps, obiit in Palaeſtina, omnibus bonis ſuis allodialibus Ordini Teutonico Ulmae legatis. Memorabilia Hermanni V. haec fere ſunt: quod ius ſuum in haereditatem Dagsburgicam omne ceſſit Bertoldo, Argentinenſi Epiſcopo; Brunſuicum urbem, eiusque tractum, Friderico II. Imp. vendidit, eundemque contra filium Henricum VII, quantum potuit, defendit. Ad finem Capitis mores Hermanni, et poſteritas, commemorantur. Sub Hermanno VI. cuius hiſtoria ab A 1243. ad 1250. exponitur Cap. 6. opes Badenſium huc usque mediocres magnam habiturae videbantur acceſſionem, niſi violenta huius Principis, Neapoli occiſi, morte, ſpes omnis haec denuo intercidiſſet. Iunxit ſibi matrimonio Hermannus iſte Gertrudem, Henrici Ducis Auſtriae filiam, qua coniunctione non multum abfuit, quin Ducatus Auſtriae ad Domum Badenſem perveniret. Friderico enim, Auſtriae Duce, A. 1246. improli defuncto, regnum vi ſucceſſionis devenit ad Gertrudem, uxorem Hermanni Badenſis, qui ſuſcepto A. 1249. ex ea filio tutor conſtitutus, Auſtriam, quoad vixit, adminiſtravit. Poſt obitum eius, qui 1250. evenit, Gertrud et Margaretha, Friderici Victorioſi, ultimi Ducis ſoror, Auſtriae regimen coniunctim ſuſceperunt. Cuius tamen regni muliebris paullo poſt pertaeſi Proceres Auſtriae, lega-

tos

tos mittunt ad Henricum Illuſtrem, Misniae Marchionem, de eligendo ex filiis eius Duce. Qua re cognita, Wenceslaus III. Bohemiae Rex Legatos hos, per fines regni ſui tendentes, Pragam invitavit, filium ſuum Ottocarum iis Ducem ea lege propoſiturus, ut Margaretha vidua coniux ei daretur. Quo facto, Gertrud, et cum ea ſimul Domus Badenſis, Auſtriae Ducatum prorſus amiſit, quippe quem poſtea Ottocarus, Patri Wenceslao ſuccedens, cum Regno Bohemiae coniunxit. Gertrude matre filius Fridericus infelicior, non ſolum regno cum ea expulſus, in Miſnia apud amitam Conſtantiam exulavit, ſed poſt etiam, inita cum Conradino amicitia, una cum eo in expeditione Italica miſere periit, ſupplicio, uti conſtat, affectus Neapoli A. 1268. Et tum Hohenſtaufica univerſa Domus uti cum Conradino concidit, ita cum Friderico ſenior Domus Badenſis interiit Linea. Sequitur Periodus II. ſive *Hachbergica*, in qua illuſtratur Marchionum Bada-Hachbergicorum hiſtoria. Cap. 1. enarrantur res Marchionum Hachbergicorum, ante illorum in duas Lineas diviſionem, geſtae. Originem familiae Hachbergicae Auctor petendam cenſet ab Henrico I. qui circa annum 1190-1231. vixit. Allodialis uterque Marchionatus fuit, Badenſis et Hachbergenſis, donec ille Sec. XIV. hic Sec. XV, libera Marchionum oblatione, Feuda Imperii fierent. Explicata Henrici I. hiſtoria, Auctor progreditur ad Henricum II. Mortuus is A. 1290. duos reliquit filios, Henricum et Rudolphum, quorum quum uterque Patri in regno ſuccederet, inde rurſus aliae duae ortae ſunt Lineae, altera Hachbergo-Hachbergica, ab Henrico III. altera Hachbergo-Sauſenbergica, a Rudolpho fundata. Prior illa, quae nomen habet a Caſtro Hachberga, A. 1418. cum Ottone II. qui terras ſuas A. 1415. Bernardo, Marchioni Badenſi, vendiderat, ceſſavit. Altera, a Caſtro Sauſenberga dicta, eadem ratione deſiit Anno 1503. translatis a Philippo terris ad Chriſtophorum, Marchionem Badenſem. Cap. 2. Auctor exponit Marchionum Hachbergo-

Hach-

Hachbergicorum hiſtoriam, quorum, uti diximus, Henricus III. auctor extitit. Huic A. 1330. mortuo ſucceſſit filius Henricus IV. quem denuo filiorum natu maximus excepit Otto I. in praelio Sempacenſi, pro Leopoldo Auſtriae Duce dimicans, cum ingenti Nobilium numero interemtus. Filios Otto aut habuit nullos, aut, ſi habuit, ante patrem eos obiiſſe neceſſe eſt, cum duo ei fratres in Marchionatu ſucceſſerint, primum Iohannes, dein Heſſo. Huius Otto II. filius, unicus omnium Hachbergicarum poſſeſſionum haeres factus, cum A. 1418. caelebs decederet, terrae eius omnes ad Marchiones Hachbergo-Sauſenbergicos redierunt. De Marchionibus Hachbergicis Auctoris iudicium ſuis ipſius verbis adſcribimus. Ducentos, inquit, per annos, non niſi quinque generationibus propagati, terrarum diviſionibus inter ſe debiles ſemper atque inglorii. Cap. 3. tranſit Auctor ad hiſtoriam Marchionum Hachbergo-Sauſenbergicorum, Hachbergenſi, tum fortuna, tum rebus geſtis, multo ſuperiorem. Incipit vero ab A. 1300. quo Henrici II. Hachbergici Marchionis filius natu minor, Rudolphus, facta diviſione, ſortitus eſt Caſtrum Sauſenbergae, unde deinceps Linea Sauſenbergica appellari coepta eſt. Ad hanc paternae haereditatis partem Rudolphus paullo poſt addidit Dynaſtiam Roetelanam, Walthero, Roetelano Dynaſta, cuius ex gente credibile eſt uxorem Rudolphi fuiſſe, A. 1311. mortuo. Decedens reliquit filios tres, Henricum, Rudolphum, et Ottonem, qui paternas maternasque haereditates ita ſunt inter ſe partiti, ut in Marchionatu ſuccederet Henricus, quem tamen quatuor non amplius annis tenuit, fatis A. 1318. improlis functus. Quare reliqui duo fratres, Rudolphus II. et Otto defuncti fratris Marchionatum nacti, ab A. 1326. ad A. 1384. coniunctim eum adminiſtrarunt. Anno poſt moritur Rudolphus, relicto Rudolpho III. filio adhuc impubere, cuius per tres fere annos Otto tutor, tandem et ipſe ſine prole extinctus eſt. Quo facto Rudolphus III. totius Sauſenbergicae ac Roetelanae ditionis ſolus poſſeſſor extitit.

Eius hiſtoria ab A. 1388. ad A. 1428. usque pertingit. Impetravit A. 1397. a Wenceslao, Romanorum Rege, privilegium, quod ex ſententia Auctoris ita ſe habuit: Ut ipſe coram Imperatore eiusque iudiciis aulicis tantum; eius autem Miniſteriales, Officiales, et ſubditi, coram ipſo Marchione ſolo, in iure ſe ſiſtere tenerentur. Idem privilegium Fridericus III. Imp. A. 1452. Romae denuo confirmavit. In reliquis Rudolphi praeclare factis cenſeri meretur etiam hoc, quod, cum Baſilienſis civitas novum ſibi magiſtratum, ſub nomine Ammeiſter, inſcio Epiſcopo creaſſet, huiusque ea de re querela ad Concilium Conſtant. fuiſſet delata, Rudolphus, litis arbiter factus, rem eo perduxit, ut novus ille Baſilienſium magiſtratus aboleretur. Rudolpho III. ſucceſſit filius Wilhelmus, qui tamen tradita, ob aeris alieni gravitatem, A. 1441. filiis, Rudolpho et Hugoni, ſive potius eorum tutori, Ioanni, Comiti Friburgenſi, terrarum ſuarum adminiſtratione, ipſe ab eo tempore in Aula Caeſarea utplurimum commoratus eſt, negotiis tam bellicis, quam civilibus curandis, adhibitus. Wilhelmi natu maior filius, Rudolphus IV. legitimam cum attigiſſet aetatem, traditas a tutore ſibi terras adminiſtravit, una cum fratre Hugone, qui tamen paullo poſt caelebs e vita migravit. Auctae dehinc non mediocriter ſunt eius terrae, accesſione Comitatus Neoburgici, quem A. 1457. Ioannes, Comes Friburgenſis, moriens teſtamento ei legavit. Lites enim de hoc Comitatu Rudolpho ab initio motae, partim lata Friderici III. Imp. ſententia, partim Helvetiorum in eum benevolentia et praeſidio, facile ſunt compoſitae. Obiit A. 1487. De animi eius indole ita tradit Auctor: Tranquilli fuit animi Princeps, non, ut pater, bellator, nec ceteris ei dotibus par, niſi quod eum ſuperavit parſimonia, ſuperavit felicitate, opibus atque divitiis. Tanta fuit eius fortuna, ut duas Dynaſtias non mediocres, Badevillanam et Novo Caſtrenſem Helveticam, intra XIII. annos, ſine armis, ſine bello, quin et absque labore, teſtamentis acquireret. Ultima Capitis huius pars con-

continet Philippi ab A. 1487. ad A. 1503. hiſtoriam, in qua notatu inprimis dignum eſt pactum Philippi cum Chriſtophoro Marchione Badenſi initum, cuius ratio haec fuit, ut alterius Badenſium familiarum extinctis haeredibus maſculis, bona eius omnia, ſive propria, ſive feudalia, cederent alteri. Quo conſtituto deceſſit A. 1503. Philippus, familiae Hachbergo-Sauſenbergicae ultimus. Appendicis loco primae huic Hiſtoriae Badenſis Parti Auctor Landgraviatus Brisgovienſis, nec non Roetelanae et Uſenbergicae Dynaſtiarum fata, adiunxit. Brisgoviae hiſtoria quatuor diſtinguitur Periodis, quarum prima, *Epocha vaga* ab Auctore dicta, continet Brisgovienſium Sec. VIII. Comitum nomina et fata; altera, *Zaringica*, illuſtrat hiſtoriam Landgraviatus Brisgovici ſub Ducibus Zaringicis; tertia eſt *Hachbergica*, a Marchionibus Hachbergicis ita dicta, qui, extincta gente Zaringica, Brisgoviae Landgraviatum tenuere; quarta denique incipit a Friderico I. Comite Friburgenſi, unde et Epocha *Sauſenberga-Friburgenſis* nuncupatur. Quod ad Roetelanam attinet Dynaſtiam, haec Sec. XI. ſuos iam habuit dominos, quorum tamen gentem ſcriptores memoriae non prodiderunt. A. 1315. tranſiit, ſub nomine Allodii Franci, ad Marchiones Sauſenbergae. Eadem ratione et Dynaſtia Uſenbergica ſuos ab initio dominos habuit, a quibus A. 1400. ad Heſſonem Marchionem Hachbergicum, partim emtionis, partim teſtamenti lege, pervenit.

Haec igitur eſt Summa Partis huius I. nulla eruditionis, diligentiae, et ſubtilitatis laude non digniſſimae; cuius reliquas partes eadem, qua hanc, ratione, impoſterum percenſere labor erit iucundiſſimus, immo nullus erit. — Fere obliti ſumus laudare chartae et typorum elegantiam, quae hoc Opere talis omnino eſt, ut fateamur, nos a longo inde tempore nil ſimile vidiſſe.

IACOBI PHILIPPI D' ORVILLE, SICULA, QUIbus Siciliae veteris rudera, additis antiquitatum tabulis, illuſtrantur. Edidit, et Commentarium ad Numismata Sicula, XX. tabulis aeneis inciſa, et ad tres inſcriptiones maiores, Geloam, Tauromenitanam, et Rheginam; nec non minorum inſcriptionum Syllogen, orationem in Auctoris obitum, et praefationem adiecit PETRUS BURMANNUS ſecundus. PARS PRIMA.

Amſtelaedami ap. Gerardum Tielenburg, MDCCLXIV. 276. pagg. in fol. exceptis dedicatione, praefatione, indice, aliisque.

Quotquot non ignorant, et quis eſt doctorum hominum qui ignoret, quantopere de litteris humanioribus meritus ſit *d' Orvillius* V. Cl. quantoque aſſenſu, quanta approbatione et laude excepta ſint quae ille ſcripſit, gaudebunt nobiscum, fruenturque hoc eius opere poſthumo, quod, haud plane perfectum ab eo relictum, in manus Cl. B. venit, qui, ut dignum auctore olim ſuo iſtud ederetur, quo eſt in bonas litteras ſtudio, curavit. Sunt ſane *Sicula* haec digna, quae ab omnibus legantur; cum ob monumenta antiqua in iis indicata, deſcripta, illuſtrata, tum ob multa Scriptorum veterum loca, quae paſſim videbis emendata atque explicata; modo ob enarratorum iucunditatem, elegantiam, utilitatemque, modo ob additas, aptasque iis, quae traduntur, illuſtrandis tabulas, tam hiſtoriae artium, quam litteraturae cauſa. Quum autem videamus, hoc opus ſplendidum, (nam et charta nitida, et typi luculenti, ei reſpondent,) ob pretii magnitudinem a paucis emi poſſe, mini-

minime ab iis, quibus tamen inprimis eius uſum optaremus: neceſſe eſſe credimus, ut paullo uberius de eo lectoribus noſtris exponamus, ea inprimis indicaturi, quae ad auctorum veterum explicationem faciunt. Editor opus ipſum Ferdinando IV. utriusque Siciliae regi dedicavit, praefationemque praemiſit, quae XL. paginis abſolvitur, multaque memoratu digna continet, e quibus aliqua ſeligemus. In iis, qui Siciliae deſcriptionem dedere, inprimis magni habentur Thomas Fazellus, et Philippus Cluverius; prior ipſe Siculus, poſterior ultramontanus, laudatus a Bocharto, vituperatus ab Iacobo Bonanno, aequae poſteritatis laudes ſemper nactus. Etenim Iacobus Sponius, quamvis ſpem fecerat (in miſcell. erud. antiq. p. 176.) edendae *Siciliae veteris et novae*, tamen in Siciliam numquam profectus, arbitrante Cl. B. id praeſtare non potuiſſet, quod d' Orvillius praeſtitiſſe creditur; qui magna cum diligentia hanc inſulam peragravit, eiusque monumenta ipſe vidit, minimeque aliorum, ut ille, narrationibus nixus eſt. Peractis enim, quae in Angliam, Galliam, et Italiam fecerat, itineribus, magno deſiderio tenebatur Siciliae videndae, quam et anno huius Seculi XXVII. ingreſſus eſt. Quam ex itinere hoc ceperit utilitatem d' Orvillius, cumque aliis, adiuvante Burmanno, nunc communicaverit opus ipſum teſtatur: obſervaſſe hic ſufficit, Charitonis Editorem clariſſimum, in Sicilia verſatum, omnium monumentorum diligentem fuiſſe ſcrutatorem, moremque Addiſſonii, comparandi ea cum locis veterum ſcriptorum, (quem et Winkelmannus noſter ſequitur.) eſſe imitatum, quaeque prae ceteris ei placerent in ſchedas contuliſſe. Ex quo theſauro facile ei depromere licuit, molienti Siculorum editionem; *duo enim priora folia iam typis deſcribenda ante obitum curaverat auctor.* Reliqua dein ab eius filio, Ioanne d' Orville, commorante nunc in Anglia, tradita ſunt Burmanno V. C. qui, ea ut ederet, ab illo petierat. Hic iſtis in lucem proferendis magnam dedit operam: nimirum omnia in ordinem di-

gesfit, singulis capitibus synopsin praefixit, contulitque veterum auctorum loca. Nec diffitemur, magnas editori habendas esse gratias, qui, ut desideriis virorum eruditorum satisfieret nulli studio pepercit. Quorum interest accuratam tenere Scriptorum antiquitates Siculas illustrantium notitiam, horum voto lecta pagina VII. satisfaciet, in qua duo huius generis auctores, ab aliis neglecti, commemorantur. D'Orvillius reliquit XXIX. tabulas aeri incisas, (non, ut Gorius narrat, XX.) quibus Cl. Editor IV. addidit, inter schedas Auctoris repertas. Delineavit antiquitates, praesente auctore, iuvenis Siculus, Franciscus Nicolletti. Et meliores quidem hae tabulae habentur iis, quae ex parte etiam in Pancratii antiquitatibus Siciliae etc. italico sermone scriptis, inveniuntur; de quibus pauca differit Burmannus. Neque vero cum nostri Siculis comparanda est, quam Io. Brevalius, Eques Britannus, MDCCXXXVIII. dedit de *Sicilia*, narratio; licet forte aliqui nimis eam aestiment. Etenim Brevalius omnino postponendus est d'Orvillio, sive eruditionem spectes, sive accurate agendi morem; quod et Burmannus aliquot exemplis probat, qui multus est in recensendis d'Orvillii meritis laudibus. Maffeius Nemausense Amphitheatrum Veronensi postponit, in litteris ad B. scriptis; d'Orvillius autem anteponit, e cuius parte stat etiam Montefalconius, ut Cl. Editor ostendit. D'Orvillius inter antiquitatum Sicularum delineationes reliquerat etiam ichnographiam *Sepulcri Virgiliani*, quam in opere ipso ab eo omissam, neque commemoratam, aeri incidendam duxit Burmannus. (Fortasse ideo sepulcri huius mentionem non fecerat, quoniam ab aliis istam rem satis tractatam esse videret.) Iam Cl. Editor in enarrandis iis, quae ad alteram d'Orvilliani operis partem observavit, atque adiecit, inde a pag. XXVII. versatur. Complectitur enim ista pars primo loco CCXL. numismata Sicula, XX. tabulis aeneis incisa, ita, ut in singulis XII. expressa sint numismata, quae partim aliter, vel vitiose, in Parutae Sicilia numismatica prostant, partim vero inedita fuere.

Com-

Digitized by Google

Commentarium autem ad haec numismata Sicula quo minus perficeret celeberrimus Vir, d' Orvillius, morte impeditus est. Nec illotis manibus, ut aiunt, ad illum persequendum accessit Cl. Burmannus. Nam ab aliquot annis rei nummariae indefessam dedit operam, instruxitque, ut ait, satis numerosum numismatum graecorum et latinorum museum; quod eius studium hoc magis facimus, quo certius est, nostro tempore rem nummariam non satis pro dignitate coli. Quis non optet, ut Cl. Burmannus rariora illa numismata graeca, de quibus loquitur, in lucem proferat, atque illustret? Qui ante nostrum editorem colligendis numismatibus Siculis tempus operamque contrivere, ut Hubertus Goltzius, Philippus Paruta, (cuius proh dolor commentarius ubi sit ignoratur,) Philippus Cluverius, Ez. Spanhemius, Sig. Haverkampius, et inprimis Iosephus Maria Pancratius, et Dennery, explicandorum eorum, (si posteriorem utrumque excipias,) aut plane nullam, aut valde exiguam habuere rationem. Pancratii igitur, (quem et Antonius Bayardus, in Prodromo ad Antiquitates Herculanenses dignis laudibus ornat,) Dennerique scriptis, usus est Cl. B. in Addendis, inde a pag. 604. Laudamus igitur merito dignum ingenua mente ardorem, quae ab aliis praeclare dicta sunt in usum convertendi, laudemque, quam merentur, iis vindicandi, non supprimendi. Nemo tamen negabit, et Burmanno laudem boni interpretis numismatum in hoc ipso opere occurrentium deberi. Sed etiam in iis, quae in altera Parte loco secundo tractantur, Inscriptionibus, quarum titulus mentionem facit, adornandis explicandisque optime versatus est. Haec de praefatione dixisse sufficiat. Accedimus ad Opus ipsum, cui post praefationem praemittitur Elegia in I. P. d' Orville Sicula, auctore P. Burmanno secundo; Iani Grotii poëma ad P. Burmannum sec. I. P. d' Orville Sicula, una cum commentario suo ad Numismata Sicula edentem; denique index additarum Operi tabularum.

Opus

Opus ipſum XVI. abſolvitur capitibus, quae ſingula perluſtrabimus. E latere paginae primae conſpicitur imago Cl. auctoris affabre aeri inciſa, vultu humanitatem ingeniique acumen ſpirante. In ipſo primo capite multa iam inſunt memoratu digna, quae videbimus. Nuceriae (Nocera) inque civitate Cavenſi per breve tempus commorati ſunt d' Orvillius comitesque, occaſione vel otio luſtrandi codices Mſcr. ibi ſervatos haud potiti. Mare, iam ad Palinuri promontorium, a Sicilia nomen ſortitur; omne enim mare, quod quavis ex parte in Siciliam protenditur, ſic vocatur: ita Strabo (l. VI. p. 395. B.) Alpheum flumen dicit ἐκπίπτειν ἐπὶ τὴν Σικελικὴν θάλασσαν, quam particulam vertere omiſit interpres. Urbem Terinam, unde ingens ſinus Terinaeus, iam Golphus Stae Euphemiae, nomen accepit, opulentam fuiſſe, crebri numi argentei et aerei teſtantur. In Heſychio legimus: Στρογγύλη, συνεχομένη καὶ Λιπαρᾷ νήσῳ; quod poſterius Weſſelingius (ad Antonini Itinerarium p. 516.) Λιπάρας νῆσος legit: d' Orvillius vero καὶ κατὰ Λιπαρὰν νῆσος, e regione, non procul a Lipara. A ſiniſtra maris Tyrrheni rupes Scyllae obſervata eſt, et promontorium Siciliae Pelorus procul conſpectum, de quo Silius (lib. XIV. 78.) Celſus arenoſa tollit ſe mole Pelorus. Interiora urbis Meſſanae non reſpondent exteriori eius nitori; nec tamen caret templis quibusdam et monaſteriis ſatis conſpicuis. In domo Principis Calvaroſſae duas ſtatuas viderunt peregrinatores, quarum unam Scipionis Africani, alteram Hannibalis perhibebant eſſe; utraque vero olim poſita fuit in templo primario eodem loco, ubi codd. mſcr. Conſtantini Laſcaris erant adſervati. In has membranas inquiſiverunt noſtri, ſuntque experti, hanc bibliothecam, teſte Mongitore, (Delineat. Sicil. p. 26.) eſſe paſſim expilatam, et tandem a Siciliae moderatoribus direptam evanuiſſe. Extra urbem eſt coenobium d. Salvatoris, quod Monachi graeci, Baſiliani dicti, incolunt: multos illi hodie, at olim plures, poſſidebant libros *graecos* calamo exaratos. Ex Scriptoribus non eccleſiaſticis hos quinque inve-

invenerunt: 1) Chronicon Simeonis Magiſtri et Logothetae. 2) Lexicon quoddam graecum antiquum. 3) Nomocanones Apoſtolorum. 4) Compendium libri Galeni de ſimplicibus medicamentis etc. 5) Theophili inſtitutiones, quarum liber primus periit. Meſſanam traiecerunt Rhegium, poſitum in oppoſito Italiae littore; mare vero inter Meſſanam et Rhegium male audit ob vortices frequentes, in primis pars quaedam Charybdis nomine inſignita: quare auctor Cl. cum Ph. Cluverio credit, totum hoc fretum nomine Charybdis appellandum eſſe, fuiſſeque olim appellatum; quod et aperte dicit Thucydides IV. 24. Rhegium vero eſt urbs mediocris, ſed fertili ſatis et amoeniſſimo loco ſita, ob proſpectum in campos et fretum. In coenobio ſuburbano anaglyphum erutum iis conceſſum fuit. Ad magnam piſcium copiam, qui certo anni tempore circa littora Rhegina in ſummis aquis ſolent ludere, facillimaque opera capi, quin Magnus Aurel. Caſſiodorus l. XII. ep. 14. reſpexerit, nullus dubitat Cl. d'Orville, in fine capitis primi.

De Capite ſecundo, et reliquis Primae Partis, dicemus deinceps, ut et de Parte altera: nam eſt talis hic liber, ut ſi vel praecipua Lectoribus noſtris proponere velimus, quae eo continentur, recenſiones plures faciendae ſint.

NOVA LITTERARIA.

LECTVRIS

S. P. D.

IOANN. LVDOV. SCHVLZE

GR. ET OO. LL. IN ACAD. FRIDERIC. P. P. O.

Quae hoc tempore bonis literis adfulget lux, ſpem facit quam iucundiſſimam, fore, ut Eruditis non diſpliceat

consilium nostrum de adornanda nova Operum THEODORETI, Cyri quondam Episcopi, Editione graeco-latina, quam sumtibus suis typis exscribendam curabit Bibliopolium Orphanotrophei Halensis. Solent quidem plerumque, qui de paranda nova Scriptoris cuiusdam editione cogitant, omni opera in id incumbere, ut studium suum de meliori commendent: ea autem est THEODORETI a multis inde Seculis auctoritas et praestantia, ut confidamus, vix quendam inter nos esse futurum, qui non intelligat, hoc Scriptore aegre carere posse, quotquot de Sacrarum literarum V. et N. T. sensu solliciti sunt, rerumque in ecclesia olim gestarum scientiae iustum statuunt pretium. Facile itaque a nobis impetramus, ut in laudando THEODORETO, utpote optimae frugis Scriptore, simus brevissimi. Id potius agemus, ut Lectoribus praevie constet, quo tendant conatus nostri, quibus instructi subsidiis ad hoc negotium accesserimus, et quas nobis posuerimus leges.

Ex quo hoc consilium, quod Deus felix faustumque esse iubeat, inivimus, diu multumque meditati sumus, quanam methodo disponenda sit nova, quam paramus, editio, et unde petenda sint auxilia, quibus adiuti eam satis utilem, et Lectorum commodo promovendo aptam reddere possimus. Non commisimus hucusque, ut quidquam negligeremus, quod ad scopum nostrum pertineret. Excussimus itaque Academiae urbisque nostrae Bibliothecas, ut quaecunque in usus nostros iure vocari possent, colligeremus, collectaque rite disponeremus. Suntque inter civitatis nostrae literariae Proceres, quos amicorum nomine veneramur, haud pauci, quibus nos obstrictos publice profitemur, animumque pro consiliis nobiscum communicatis testamur gratissimum. Nec tamen intra urbis nostrae limites contineri debuit studium nostrum. Optantes, ut liceret nobis Codicum frui praesidio, nostramque editionem novis accessionibus locupletare, auxilium Eruditorum, quibus Codicum MSS. usus permittitur, enixe implorandum esse putavi-

tavimus. Cumque inter noſtrates non deeſſent literarum Fautores, qui honeſtis precibus noſtris locum darent, audaciores facti ſumus, et amicorum ope, Eruditos, quos Vindobona, Florentia, Auguſta Vindelicorum, Bamberga, et Guelpherbytum, in ſinu ſuo fovent, obſervantiſſime rogavimus, ut e Codicum ſuorum adparatu quaedam ad exornanda ſtudia noſtra conferre haud dedignarentur. Et fauſto, ut aiunt, omine, impetravimus, ut ILLVSTRES INCLYTAE CIVITATIS AVGVSTANAE PROCERES, ſeptem antiquorum et probae notae Codicum uſum nobis indulgere, eosque manibus noſtris committere non dubitarent; quod inſigne bene merendi ſtudium in laetam ſpem nos erigit, et cum devinctiſſimi animi teſtimonio publico a nobis celebrari debuit. Alias quoque acceſſiones, et inter haſce ἀνέκδοτα quaedam, exorto nobis Vindobonae laeto ſidere, propediem exſpectamus.

Quae cum ita ſint, hoc unicum nobis ſupereſſe viſum eſt, ut, quod hucusque non niſi Fautoribus et amicis innotuerat conſilium, nunc cum Eruditis omnibus communicemus; methodum, quae prae reliquis ſeſe nobis commendavit, deſcribamus; omnesque, qui hiſce ſtudiis favent, obſervanter rogemus, ut ſi quid reliquum fuerit, quod vel augendae, vel ornandae huic THEODORETI editioni inſervire poſſit, ſuis nos adiuvent conſiliis, ſicque de bono publico egregie mereantur.

Hae autem ſunt, quas nobis poſuimus, leges. Editionem imitabimur, quam ante hos centum et quod excurrit annos, IAC. SIRMONDVS S. I. Lutetiae Pariſiorum A. MDCXLII. quatuor Tomis, forma maxima, in lucem emiſit, quae et ſuffragia Eruditorum iure meruit. Huic praeſtantiſſimae Editioni, quae hoc tempore paucisſimorum manibus teritur, nec ſine ingenti pretio comparatur, accesſit A. MDCLXXXIV. Tomus quintus, Opera et ſtudio IOANN. GARNERII, Viri de hoc litterarum genere bene meriti. Iure ſuo GARNERIVS *Auctarii* titulum elegit, quo librum

ſuum exornaret. Multa enim hoc Volumine quinto complexus eſt, quae ad augendam *Sirmondianam* editionem apprime faciunt, quaeque in nova hac, quam paramus, ſuo loco inſerenda curabimus, ne Lectoribus diutius moleſtum ſit, quae diſiecta et ſeparata ſunt colligere. Diſſertationes quinque, quas GARNERIVS Auctario ſuo immiſcuit, propaedeumatici, ut inter Eruditos conſtat, ſunt argumenti. Exiſtimavimus itaque, nos non fini tantum, quem GARNERIVS ſibi propoſuerat, ſed Lectorum etiam commodo conſulere poſſe, ſi ab his Diſſertationibus initium diſponendae novae editionis fecerimus. Quo autem ordine hae Diſſertationes diſtribuendae ſint, ne quaedam moleſtia Lectoribus reliqua eſſet, aut moles huius vel illius Voluminis nimium augeretur, de eo ſatis diu dubii haeſimus, donec in hoc acquieſceremus conſilio, ut nova noſtra editio quinque Tomis, formae quam vulgo octavam maiorem dicunt, abſolveretur. Horum autem omnium haec nobis praecipue placuit diſpoſitio:

Volumini *primo* praemittetur e GARNERII Auctario Hiſtoria THEODORETI, *deinde* Pars prior Diſſertationis ſecundae, quae agit de libris illis THEODORETI, quos hoc Volumen complectetur; *porro* Diſſertatio de fide THEODORETI; *denique* Diſſertatio de quinta Synodo. Haec demum excipient libri iſti, quos SIRMONDVS Tomo editionis ſuae primo inſeruit, inter quos locum ſuum illis etiam dabimus, quae GARNERIVS ad Commentarium in Pſalmos, e Codicibus aliisque ſubſidiis, congeſſit.

Volumini *ſecundo* noſtrae Editionis ea tantum pars Diſſertationis ſecundae *Garnerianae* erit praemittenda, quae ad libros hoc Tomo ad exemplum SIRMONDI comprehendendos ſpectat.

Voluminis *tertii* initium faciet pars tertia Diſſertationis ſecundae *Garnerianae*, quae de libris ad hunc Tomum pertinentibus exponit. Huic Volumini, ne quid a GARNERIO paratum neglexiſſe videamur, ſuo loco addemus *tum* breve illud

Digitized by Google

illud Fragmentum e Catena in Lucam, *tum* Epistolas illas XXVII. ad calcem subiungendas.

Volumini *quarto* praemittetur ultima Dissertationis secundae *Garnerianae* pars, quae ad hanc Operum THEODORETI sectionem sese refert. Hanc sequetur Dissertatio GARNERII de THEODORETI et Orientalium caussa. Haec omnia excipient libri illi quos SIRMONDVS quarto et ultimo editionis suae Tomo complexus est, ita tamen, ut suo loco *septem* THEODORETI *Sermones* e GARNERII Auctario addantur, simulque FVLVII VRSINI Emendationes in libros de curandis Graecorum affectibus adhibeantur.

Volumen *quintum* praeter GARNERII Dissertationem de Dialogis adversus Arianos, Macedonianos, et Apollinaristas, constituent *septem* illi *Dialogi*, graece et latine a GARNERIO in lucem emissi, et EVTHERII Tyanorum Episcopi Sermones, quos GARNERIVS Auctario suo instar appendicis adiecit. His tandem accedent quaecunque nobis nova, anteaque inedita, tum e nostris, tum ex aliorum Codicibus, innotuerint. Spes etiam suboritur fore, ut ope Codicum, qui nobis ad manus sunt, et auxilio Virorum eruditorum, qui tali beneficio nos exornaverint, varia a re nostra haud aliena in fine Tomi quinti adiiciantur, quae tum ad varias lectiones notatu digniores spectent, tum periculorum criticorum nomine se tueri possint. Versioni latinae, ubi opus fuerit, medelam adferemus, et quicquid in editionibus prioribus praetermissum est supplebimus: a notis autem in margine subiiciendis abstinebimus, nisi forte in GARNERII caussa, nonnunquam satis mala, aut alias ob rationes, paucis monendus sit Lector. Haec sunt quae Eruditorum iudicio submittimus. Absit, ut quidquam superbius de nobis praedicemus. Malumus praestando, quam promittendo gratiam apud Lectores inire; haecque est votorum nostrorum summa, ut operam haud inutilem in refingendo THEODORETO collocasse videamur. Deum T. O. M. precamur, ut hisce laboribus clementissime annuat, omnesque conatus nostros

in ſummi nominis ſui gloriam, et proximi commodum cedere iubeat feliciter.

Prodiit Lutetiae Pariſiorum *Hiſtoire des Rois Catholiques Ferdinand et Iſabelle*, cuius mentionem facere nos hoc loco, e re Lectorum noſtrorum exiſtimavimus. *Ferdinando Catholico*, in omnibus aetatis ſuae regibus non facile alius erit, cuius hiſtoria magis cognoſci, diligentiusque excuti mereatur ab iis, qui artis politicae et occultas cauſas, et in rebus peragendis vim, perſpicere cupiant. In deſcribenda eius hiſtoria Auctor viam ſecutus eſt faciliorem illam, qua, neglectis fontibus, ex quibus hauriuntur, res ad ordinem annorum, quibus quaeque geſta eſt, enumerantur. Quod tamen Scriptori Francico facile condonamus. *Prima* huius operis *Pars* tribus libris diſtinguitur. Primo continetur Introductio ad totum opus, in qua proponitur obſervatio pia illa quidem, et vera, ſed adeo vulgaris et trita, ut denuo illam apponere haud dubie piguiſſet, niſi Auctor, de initio hiſtoriae ſuae ſollicitus, loco aliquo communi opus haberet, qui idoneum ad Ferdinandum et Iſabellam praeberet tranſitum. Deum enim (hic eſt locus, quem tractat) Reges ad utilitatem hominum conſtituiſſe, quis, quaeſo, eſt, qui rationibus demonſtrari hodie cupiat, aut demonſtratum legere, cum res ſit notiſſima. Ab introductione iſta, praemittitur hiſtoria Hiſpaniae antiquior usque ad Ferdinandum et Iſabellam, adeo brevis, ut, ne originem qualicunque Compendio debeat, merito vereamur. Sequitur tum ipſius Ferdinandi hiſtoria, cuius vero nos res geſtas, uti traduntur, non eſt cur hoc loco repetamus omnes. Satis erit earum praecipuas annotaſſe. Multus eſt Auctor in explicandis iis, quae ad Bertrandum, Iohannae Reginae Caſtilianae tantopere amatum, ſpectant; cum tamen rem, ut vulgo notam, attingere, quam integris paginis deſcribere, ſatius erat. Pag. 17. ſunt diſquiſitiones et meditationes Auctoris de regno Arragonenſi. Vitiis, inquit, ut in aula Caſtiliana, ita in Arragonenſi, palam indulgebatur. Quae, ut aliae huius generis de Arragonia et Caſti-

Caſtilia narrationes, tam mire, tamque obſcure, univerſo huius hiſtoriae ſyſtemati immiſtae ſunt, ut, niſi accuratiſſimam habeas rerum notitiam, ex tantis tenebris lucem aliquam aegre ſis eliciturus. De diſſidiis Arragonenſibus, quae multis verbis hic traduntur, tacebimus. Pag. 75. multa Auctor queritur de Iohannae reginae puerperio, quae altero anno, poſtquam a Coniuge diſceſſerat, filium enixa eſt. Quem eventum totum terrarum orbem male habuiſſe, prout Auctor exiſtimat, non facile erit cui perſuadeatur. Quod ad cauſſas attinet, quibus Iſabella mota, ex reliquis Principibus omnibus maxime Coniugem ſibi elegerit Ferdinandum, praeter iam notas, apud Auctorem invenimus nullas; conventionem vero Coniugum primam, multis, uti ſolet, deſcriptam. Hinc ſequuntur eventa communia, praeſertim quae ſpectant ad bella adverſus Mauros in Hiſpania geſta, quae ſane in univerſa Hiſpaniae hiſtoria, non vero in ſingulari Ferdinandi, locum habere debebant. Profecto enim res, quae Biographiam conſtituunt, longe diverſae ſunt ab iis, quae hiſtoriam univerſam; ex quo fit, ut ſcriptorum hiſtoricorum illud genus ſit longe difficillimum, adeoque non, niſi multa virium ſuarum exploratione habita, aggrediendum.

Secundae Partis eadem fere eſt ratio, quae prioris. Auctor ſaepiſſime viae, qua Biographo incedendum erat, oblitus, incidit in univerſam Europae ab A. 1494. ad 1516. hiſtoriam, quam hoc loco indicare animus non eſt, praeſertim quum de modo narrandi Auctoris, qualis ſit, in ſuperioribus dixerimus. Lenius ſane ferremus de hoc libro iudicium, nec locum plane Auctori inter Biographos negaremus, modo coniunctionem, quam habuerunt Ferdinandus et Iſabella cum publico univerſae Europae ſtatu, demonſtraſſet. Sed et de hoc altum apud eum ſilentium. Igitur ſi proprios hiſtoriae lepores, venuſtatem, bonam tradendi rationem, ſi non anxie quaeſitas, ſed vi ingenii repente ortas meditationes, ſi denique concinnam, ingenuam, et commendationem veri prae ſe ferentem orationem hoc in libro quaeras, fruſtra fueris.

Nihil

Nihil enim eiusmodi ineſt. Ingenium Hiſtorici exploraturus inprimis attendere debet deſcriptionibus perſonarum principum. In iis enim conficiendis vis ingenii potiſſimum ſe exſerere poteſt, modo ſcriptor eam recte temperare et coercere ſciat, ne, dum ingenio nimis indulget, obliviſcatur veri, in quo hiſtorici ſumma virtus cernitur. Videamus, ne de altera Parte huius Operis plane nihil dixiſſe videamur, de deſcriptione Ferdinandi ab Auctore facta; ex qua, qualis ſit ratio eius pingendi, facile apparebit. Ferdinandus, inquit p. 351. multa bona habebat. Erat laborioſus, temperans, prudens, et ingentis animi. Sed vitia eius virtutibus neque pauciora erant, neque minora. Erat enim iniuſtus, ſuperſtitioſus, avarus, intemperans. (Hoc vitium magis debebat definiri, ne contradictorium videatur, ſi quis legerit, Ferdinandum ſimul fuiſſe *temperantem* et *intemperantem*.) Quod ad conſtantiam attinet, imitabatur exemplum Coniugis etc. *Iſabella* diligebat miniſtros ſuos fideles, Ferdinandus contra illorum ingeniis et virtutibus invidebat. Hic volebat terras acquirere, illa regere. Ferdinandus vitia Iſabellae habebat omnia, virtutibus longe illa inferior, etc. Profecto, in exarando Ferdinandi charactere vitia non ita confundi debebant cum virtutibus, uti Auctor confudit. Nam in univerſum in deſcribendis moribus videndum hoc eſt, ut per gradus lectores quaſi ſcriptor ducat, exponatque modum, quo alia virtus ex alia orta fuerit. Id quod etiam valet de vitiis. Qua re efficitur, ut lector non ſolum meditationibus ſcriptoris delectetur, ſed et inter legendum alias etiam de ſuo addat.

Egregia huius rei exempla habemus in antiquis et Graecorum et Romanorum ſcriptis propoſita prope innumera; quae ſi Auctor ante oculos ſibi poſuiſſet, fortaſſe nec continuam illam Ferdinandi cum Iſabella comparationem inſtituiſſet, quae rei naturae minus conſentanea videtur.

Digitized by Google

NOVA ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipſiae

Calendis Sept. et Oct. Anno MDCCLXV.

M. ABRAH. KALLII, REG. ACAD. HAFNIENS. Bibliothecarii, Specimen Novae Editionis Sententiarum Theognidis Megarenſis, Poetae antiquiſſimi.

Cum pluribus abhinc annis Theognideas ſententias primum perlegerem, maximo antiquiſſimi huius et δικαιοτάτου poetae amore captus fui; tum ob materiae, quam tractat, dignitatem, tum ob ſententiarum gravitatem. Legendo et ſaepius relegendo ſententiarum illius ſyllogen, prorſus mihi cognitam reddidi, atque hinc, ſi quae inter aliorum ſcriptorum lectionem occurrebant, quae huic poetae illuſtrando inſervire poterant, facilius ea animadverti, animadverſaque chartis ſedulo mandavi. Schedulis deinde perluſtratis, cum in iis varia invenirem, quibus poetae lectionem adiuvari poſſe credebam, de tentanda nova huius poetae editione conſilium agitare coepi. Theognideas ſententias hunc in finem curatius evolvens, ad proſodiae regulas ſingulos verſus examinavi, locaque aſſiduo notavi, quae vel aperte corrupta, vel ſuſpecta mihi videbantur. Multis adhuc mendis, etiam poſt egregias Vineti, Camerarii, Seberi, aliorumque emendationes, laborat Theognis, manu exaratorum codicum auxilio optime forſan emaculandus. Sed

cum eiusmodi subsidiis uti mihi nondum licuerit, aliam medicinam locis male sanis parare studui. Plurima ex Theognide citata, cum in aliis veteris Graeciae Scriptorum libris superesse viderem, diligenter ea excerpsi, atque tanta hoc in labore usus sum felicitate, ut Theognideos plus trecentos versus invenerim, quibus, tanquam totidem gemmis, scripta sua ornare voluerunt antiquissimi auctores. Harum allegationum ope quamvis haud paucae Scribarum maculae feliciter abstergi possint: non omnem tamen, quae sperari potuit, exinde percipere licuit utilitatem; saepius enim ab hodierna textus Theognidei lectione nimis adeo recedunt, quae ab aliis Scriptoribus excitantur loca, ut soli lectionis varietati vix tantus eorum dissensus tribui possit *). Imo si forte unum idemque poetae dictum a pluribus simul excitetur, diversis tamen plerumque modis eandem sententiam singuli proferunt. Atque hanc ob causam de vera loci cuiusdam lectione, (saepius etiam de locis haud ita pridem suspectis,) instituta collatione, incertior multo quam antea sum factus. MSS. codicum opem tanto ardentius desideravi, Theognidisque editionem per aliquod tempus differre decrevi. Frustulum futurae aliquando huius poetae editionis iam exhibeo, hancque opellam, ut omnibus et singulis eruditionis amatoribus, sic iis praesertim commendatam exopto, qui in Bibliothecis vel privatis, vel suae curae commissis publicis, scripta asservant Theognidis exempla. Vos igitur, Viri optimi, conatibus nostris favete, et quo consilio in nova hac editione concinnanda utamur, paucis accipite.

Historicam praemittemus de Theognide, eiusque aetate scriptisque variis, dissertationem. Cum autem pauca de

*) Dissidii huius causam praecipuam esse credo, quod, cum in scholis iuniorum memoriae mandari solerent Theognidis aliorumque gnomica praecepta, haec deinde memoriter, nec inspectis libris, citarint, scriptisque suis interseruerint.

Digitized by Google

de poetae vita apud probatae antiquitatis Scriptores memorata reperiantur, fabulas quoque, quas de Theognide temere confinxerunt recentiores quidam, refutare conabimur. Megara Attica, non Sicula, noſtri patriam fuiſſe demonſtrabimus, Harpocrationemque turpiter falli, qui Platonem alteri ſententiae faviſſe credidit. Contextus inprimis hiſtoriam componere, plenamque Codicum, tam manuſcriptorum, quam impreſſorum, notitiam dare conabimur. Ὁμωνυμια etiam viros, foeminasque illuſtres, recenſebimus circiter triginta. Diſſertationem ſequentur, quae praecipuis huius poetae editionibus praemittuntur, praefationes. Graecum Theognidis textum ad Lipſienſem anni 1620 editionem excudi curabo, variantisque ſcripturae notationem e caeteris editionibus ſtudioſe inſtituam. Textui in hoc ſpecimine appoſita eſt latina verſio, ex eadem Seberi editione hauſta, paucisque tantum in locis emendata; ſed novam prorſus melioremque futurae editioni adiungemus interpretationem. Subiicientur graeca Ioach. Camerarii Scholia. Wolfg. Seberi et Ioach. Weitzii notas integras exhibebimus; quod tanto maiori cum eruditorum aſſenſu factum iri credimus, cum in rariſſima, et caeteris omnibus longe meliori edit. Lipſ. a. 1620. unice exhibeantur. Sylburgii et Commelini notulas omnes quoque dabimus; e Vineti tamen et Neandri commentariis tantum praecipua ſeligemus. Iuſti et Fiſcheri annotatis, cum ceteros tantum compilaverint, bonae frugis pauca adtulerint, parcius utemur. Noſtras denique addemus notas, quibus ea quoque intexerentur, quae a BARTHIO in *Adverſariis*, WOPKENSIO in *lectionibus Tullianis*, PIERSONIO in *Veriſimilibus*, multisque aliis, ad poetam noſtrum annotata inveniuntur. Fragmenta Theognidea, nondum edita, tria exhibebimus, ex Clem. Alex. Stromatibus, Stobaei Florilegio, libroque de interpretatione, qui Demetrio Phalereo adſcribitur, deſumta. Agmen claudet vocum Theognidearum index copioſiſſimus.

Ut melius perſpiciatur, quibus ſubſidiis inſtructi ad novam editionem adornandam acceſſerimus, catalogum ſubiicere lubet editionum Theognideārum, ordine chronologico digeſtum. Quas fruſtra deſideratas ex aliorum fide hic recenſemus editiones, aſteriſci ſigno diſtinguimus. Quae ſub numeris 1. 3. 7. 10. 11. 12. 13. 15. 17. 21. 22. 31. 32. 39. 42. 47. 50. 52. 53. 56. 59. 65. 70. 71. 72. 74. 76. 80. 83. a. 83. b. afferuntur, Fabricio quoque cognitae fuere.

1) Theocriti eclogae triginta. Genus Theocriti, et de inventione bucolicorum. Catonis Romani ſententiae paraeneticae, diſtichi. Sententiae ſeptem Sapientum. De Invidia. Theognidis Megarenſis Siculi ſententiae elegiacae. Sententiae monoſtichi per capita ex variis poetis. Aurea carmina Pythagorae. Phocylidae poema admonitorium. Carmina Sibyllae Erythraeae de Chriſto Ieſu domino noſtro. Differentia vocis. Heſiodi theogonia. Eiusdem ſcutum Herculis. Eiusdem georgicon libri duo. *In calce:* Impreſſum Venetiis characteribus ac ſtudio Aldi Manucii Romani cum gracia etc. MCCCCXCV. Menſe februario. *fol.*

Principem, et rariſſime obviam editionem prolixe deſcripſerunt I. A. Fabricius bibl. graec. l. I. c. VIII. §. 19. Vol. I. p. 382. et l. VI. c. X. §. 19. Vol. XIII. p. 606. 607. Guil. Franc. de Bure bibliogr. inſtructive, Bell. Lettr. T. I. p. 194-196. Mich. Maittairius in annal. Typogr. Tom. I. p. 243. 244. edit. prior. (p. 80. 81. edit. poſter.) et I. I. Reiske V. C. in praefatione, priori editionis Theocriteae volumini praemiſſa. Maittairius et Clar. Reiskius diverſa et a ſe invicem diſcrepantia exſtare huius editionis exempla obſervant. Noſtrum exemplum cum iis convenire credimus, quae poſt verſ. 13. Idyllii Theocritei, quod Megara inſcribitur, finales ſtatim ſubiungunt alterius idyllii verſus: Τω μελιτος τω σω κ. τ. ω. Fuit olim in bibliotheca Petr. Francii, Eloqu. et Hiſt. Prof. Amſtel. huius editionis exemplum, de quo in catal. bibl. Amſt. 1705. excuſo

excuſo p. 133. ſequentia adduntur: *Quae in margine comparent, deſcripſit P. Francius e codice H. Stephani, prout ille adnotaverat ad oram libri: alias praeterea emendationes adſcripſit docta manus.*

*2) Gnomologia; Theogn. Pythagor. Phocylid. etc. Graece, recognitore (Hier.) Aleandro: Pariſiis apud Matth. Bolſecum, Divi Iuonis, Brittonum tutelaris numinis, ſignum in vico ſcholarum decretorum proferentem, Bibliopolam Pariſienſem, milleſimo quingenteſimo duodecimo, undecimo Calend. Ianuarias. *quart.*

Vid. Maittairii annal. Typogr. in indic. tom. I. p. 442. Mazzuchelli gli ſcrittori d'Italia, Tom. I. p. 422. et Gian-Giuſ. Liruti notizie de' letterati del Friuli, Tom. I. p. 468. itemque p. 499. ubi hanc editionem, nobis fruſtra quaeſitam, ita deſcribit Lirutus: *Queſto libro è tutto Greco: Opera di Teognide collazionata e corretta ſopra i migliori eſemplari dall' Aleandro.*

3) Scriptores aliquot Gnomici Graece: (ſcil. Aeſopi vita et fabulae, Gabriae fabellae, Agapetus de officio regis, ſententiae quaedam philoſophicae, Heſiodi opera, Theognidis ſententiae, Pythagorae et Phocylidis carmina, Poetarum ſenarii. *In calce*: Ετυπώθη ἐν διασημοτάτῃ τῶν ῥαυρακῶν Βασιλείᾳ, παρὰ Ιοάννῃ τῷ Φρωβενίῳ μηνὶ Θαργηλιῶνι ἔτει δὲ ἀπὸ τῆς Χριςῦ γεννήσεως χιλιοςῷ, πενταχοσιοςῷ, εἰκοςῷ πρώτῳ. *octav.*

Titulum libri, cum in noſtro exemplo deſit, accuratius exprimere haud potui.

*4) Theognidis ſententiae elegiacae, Graece. Pariſ. ap. Io. Lodoicum Tiletanum 1537. *quart.*

Ad Theognidis calcem aureos Pythagorae verſus graece excudit Lodoicus. Plura de hac editione ſuppeditabit Maittairius l. c. Tom. III. p. 273.

5) Heſiodi opera et dies, et theogonia, et clypeus. Theognidis ſententiae. Sibyllae carmina de Chriſto, quorum mentionem facit Euſebius et Auguſtinus. Muſaei opuſculum de Herone et Leandro. Orphei argonautica, hymni,

et de lapidibus. Phocylidis paraeneſis. Anno Dni 1540. *In calce:* impreſſum Florentiae per Bened. Iunctam 1540. menſe Februario. *octav.*

*6) Heſiodi opera et dies, theogonia et clypeus. Theognidis ſententiae; Sibyllae carmina de Chriſto. Muſaei opuſculum de Herone et Leandro, Orphei argonautica, hymni et de lapidibus, Phocylidis paraeneſis: omnia graece. Venetiis ex offic. Farrea 1543. *octav.*

Vid. Catal. bibl. Regiae Pariſ. *Belles lettres*, Y. 256. pag. 257.

7) Theognidis Megarenſis ſententiae elegiacae, plurimis locis caſtigatae, ac ſcholiis illuſtratae per Eliam Vinetum, Santonem. Acceſſit latina e Graecorum regione ad verbum interpretatio in eorum gratiam, qui vix ultra graecae linguae rudimenta progreſſi ſunt. Pariſiis excudebat Io. Lodoicus Tiletanus, 1543. *octav.*

De difficultate operis a ſe ſuſcepti, in praefatione valde queritur Vinetus. *Verum*, inquit, *vix dum e portu ſolveram, cum tot mihi ſubito emergunt ſcopuli, tot ſtatim obortae nubes, coelumque diemque eripiunt oculis, ut a propoſito facile his deterritus fuiſſem, niſi cupido huius conficiendi aequoris me plane obſtinata iam inde cepiſſet, ex quo primum a praeceptoribus meis Ariſtotelis aliorumque veterum ſcripta praelegi mihi coepta fuerant, quae huius poetae ſententiis veluti ſuaviſſimis floſculis inſperſa eſſent. Cum igitur pergere obſirmato prorſus animo certum eſſet, quae ad tam difficilem periculoſamque rem conficiendam conducere viſa ſunt, ea diligenter omnia adhibui, cuiusmodi ſunt cum variorum codicum locorumque ex eodem auctore ab aliis ſcriptoribus citatorum diligens collatio: tum ſincerum et acre amicorum meorum, virorum doctorum una cum meo iudicium: inter quos Petr. Panaetius et Iac. Gupylus, facile principes. qua quidem diligentia abſciſis, adiectis,* (in Hertel. editt. legitur: *abiectis,*) *transpoſitis multis, effectum tandem eſt, ut inſtituto ſatisfecerim meo, perlegerim bonum poe-*

poetam, eorumque, quae in eo corrupta erant, bonam magnamque partem obiter caſtigaverim. - - - Quem autorem, (Theognidem intelligit,) *utinam tam totum reſtituere omnino potuiſſem, quam cupiebam. Is enim tam depravatus fuit, tam lacer, tam mancus, ut nulla diligentia, nullo labore, nullis denique quantislibet vigiliis id praeſtare potuerim, quae res in cauſa eſt, ut in latinum ſermonem a me converſum non habueris.* Theognidem ſe latinitate donaſſe, claris hic verbis négat Vinetus, adeſt tamen in ipſa hac, Vineto curante promulgata, editione latina poetae verſio. Vineto hanc tribuerunt Io. Criſpinus, et Iac. Hertelius, in praefatt. ſuis gnomicor. collect. praefixis, itemque Io. Alb. Fabricius l. c. Vol. I. pag. 441. horum auctoritatem ſecuti, ſub Vineti nomine hanc, frequenter recuſem, et in Hertelianis editionibus ſemper repetitam verſionem, in ſequenti ſpecimine excitamus.

*8) Theognidis ſententiae elegiacae a Iac. Schegkio latino carmine expreſſae; accedunt eaedem ſententiae, Graece, cum latina interpretione ad verbum, et ſcholiis Eliae Vineti. Baſil. ap. Io. Oporinum 1543. *octav.*

Vid. catal. bibl. Regiae Pariſ. *Belles lettr.* Y 281. p. 259.

9) Ησιοδε τε Ασκραιε ἐργα και ἡμεραι. Θεογνιδος τε Μεγαρεως Σικελιωτε γνωμαι ἐλεγειακαι. Χρυσα ἐπη τε Πυθαγορε. Φωκυλιδε ποιημα γνωμικον. Γνωμαι εκ διαφορων ποιητων Φιλοσοφωντε και ῥητορων συλλεγεισαι, κατα στοιχειον συντεταγμεναι. (Francof.) apud Petr. Brubachium, typographum, Anno Domini 1549. *duod.*

*10) Theognidis ſententiae elegiacae, olim quidem a doctiſſimo philoſopho D. Iac. Schegkio, Schorndorffenſe, latino carmine expreſſae, nuncque primum in lucem editae. Adiecimus easdem Graece, cum interpretatione latina ad verbum e regione poſita, in eorum gratiam, qui vix ultra graecae linguae rudimenta ſunt progreſſi: una cum ſcholiis, quibus et difficiliora aliquot explicantur loca, et depravata

hacte-

hactenus caſtigantur, Elia Vineto Santone auctore. Baſileae per Io. Oporinum 1550. *octav.*

Guelferbyti, in ſplendidiſſima Sereniſſ. Ducis Bibliotheca huius editionis aſſervatur exemplum, in quo tamen nulla ſcholiorum, quae titulus promittit, veſtigia deprehendi.

11) Libellus ſcholaſticus utilis et valde bonus, quo continentur, Theognidis praecepta, Pythagorae verſus aurei, Phocylidis praecepta, Solonis, Tyrtaei, Simonidis et Callimachi quaedam carmina. Collecta et explicata a Ionchimo Camerario, Pabepergen. Acceſſit rerum et verborum memorabilium index. Baſil. per eund. (1551). *octav.*

Quid hac ſua editione praeſtiterit Camerarius, ipſum in dedic. libri enarrantem audite. *Cum multis annis*, inquit, *Theognidis lectio mihi cordi fuerit, quod hunc libellum in ludis litterariis proponi ad diſcendum pueris valde cuperem: tandem a me impetravi, ut illum a nobis explicatum emittere auderem. Quo autem libellus melior et ad inſtitutionem puerilem accommodatior eſſet, ſive orationem, ſeu ſententias ſpectares, eo reperiebam depravatiorem ſcripturam, non uno quidem aut altero, ſed innumerabilibus in locis. Itaque olim Eobanus Heſſus, cum una in litterarum ſtudio coniunctiſſime et ſuaviſſime Norimbergae viveremus, impatiens conſiderationis perpetuae, quae incitationem divinam animi et carminum curſus impediret, huius libelli converſionem, ut luculente incoarat, ita cum detrimento ſtudii litterarum maximo abiecit ac reliquit. Etiam ego, cui ille tribuebat primas partes ſcientiae graecae, debilitabam in eo animi contentionem, cum toties haeſitans, tandem deſperationem interpretandi hunc tam mendoſum libellum prae me ferrem manifeſtam. Poſtea tamen non deſtitimus et ipſi aſſidue legendo quaedam corrigere, et aliorum coniecturas ſciſcitari, et auxilio amicorum in exemplis veteribus perquirendis uti. Atque nuper quinque conferre nobis conceſſum fuit, cum quidem eruditiſſ. et humaniſſ. iuvenis, Sigeſun-*

dus

dus Gelous, Pannonius, incredibili diligentia, ut tria Venetiis exempla nanciſceretur effecerit, quorum ſcripturas, a vulgata diſcrepantes, ſtudioſe et fideliter annotatas mihi transmiſit. Etſi autem neutiquam integritati ſuae reſtituebatur hac etiam quaſi advocatione libellus iſte: tamen, quod iam certum et indubitatum mihi eſſet, nihil melius, neque accuratius fieri eruive poſſe, ita ad editionem hanc acceſſimus. Perplurima poetae loca feliciter emendavit Camerarius, ſed in MSS. codicibus allegandis magna fuit, quod Seculi tamen iſtius mori tribuas, ſummi viri oſcitantia. Plerisque in locis, an codicum auctoritati, an ipſius viri ingenio, nova, quam in textu adhibuerit, lectio debeatur, prorſus reticet; quodſi aliquando in hypomnematibus ad codices provocaverit, an unus alterve horum codicum, an omnes ſint intelligendi, nunquam tamen declarat.

12) *Γνωμολογίαι παλαιοτάτων ποιητῶν.* Pariſiis, typis regiis, apud Adr. Turnebum, regium (*in Graecis*) Typographum, 1553. Sententioſa poetarum vetuſtiſſimorum, quae ſuperſunt, opera, Theognidis, Phocylidis, Pythagorici cuiusdam, Solonis, Tyrtaei, Naumachii, Callimachi, Mimnermi, Eveni, Rhiani, Eratoſthenis, Panyaſidis, Lini, Menecratis, Poſidippi, Metrodori, Simonidis. Omnia verſibus latinis reddita. Pariſ. ap. Guil. Morelium. (*Regium ſcil. in latinis Typographum*) 1553. *quart.*

Latina verſio Schegkiana eſt, quae, etſi proprio ornetur titulo, eo tamen conſilio edita videtur, ut cum adducto graeco textu unicam efficeret graeco-latinam Gnomicorum collectionem. Exempla huius editionis, notis MSS. virorum doctorum exornata, memorantur in catalogis biblioth. Reg. Pariſ. l. c. Y. 533. p. 274. et Benteſianae, Amſtel. 1702. divenditae, p. 39.

*13) Libellus ſcholaſticus Camerarii, iterum recuſus Baſil. 1555. *octav.*

Vid. Fabricii bibl. Graec. Vol. I. p. 441. Siracidis quoque ſententiae, ſi fides catal. bibl. Lugd. Bat. haberi queat, hac in editione continentur.

*14) Theognidis ſententiae, cum Iac. Schegkii verſione et ſcholiis Eliae Vineti. Baſil. 1555. *octav.*

Vid. catal. bibl. Chr. Gottl. Schwarzii T. I. n. 3133. Mart. Lipenii bibl. philoſ. voc. *Theognis* p. 1473.

15) Theognidis Megarenſis, Poetae Siculi, gnomologia graecolatina, converſa et expoſita a Mich. Neandro Soravienſe. Cum locuplete rerum et verborum indice. Baſileae ex offic. Io. Oporini 1559. menſe Auguſto. *quart.*

Pars eſt Neandrei operis, quod inſcribitur: *En, Lector, librum damus vere aureum, planeque ſcholaſticum, quo continentur Pythagorae carm. aurea, Phocylidae poema admonitor. Theognidis gnomologia, Coluthi Helenae raptus, Thryphiodorus de Troiae excidio etc.* Novam confecit Neander verſionem, notas plerumque grammaticas textui ſubiecit, in annotationibus, quae poſt textum ſunt repoſitae, magna habetur ſententiarum ſimilium et proverbiorum, ex Eraſmi chiliadibus ſelectorum copia, ſed philologicae et criticae animadverſiones fruſtra hic quaeruntur.

*16) Theognidis ſententiae, cum verſione Phil. Melanchthonis. Witteb. 1560. *oct.*

Ad hanc forte editionem pertinet explicatio ſententiarum, quam eodem hoc anno, proprio tamen ornatam titulo, prodiiſſe audio. Titulus libri, a nullo, quantum ſcio, Melanchthonis biographo memorati, talis eſt: *Explicatio ſententiarum Theognidis in ſcola Wittebergenſi, auctore reverendo et clariſſimo viro Philippo Melanchthone, Anno 1551. d. 27. Maii, collecta a Io. Maiore Doctore, et in publicum commodum aedita. Witteb. excud. Laur. Schuenck. 1560. oct.*

*17) — ſententiae elegiacae cum interpretatione et ſcholiis Eliae Vineti. Acceſſerunt et horum poetarum opera ſen-

Digitized by Google

ſententioſa: Phocylidis, Pythagorae, Solonis, Tyrtaei, Naumachii, Callimachi, Mimnermi, Eveni, Rhiani, Eratoſthenis, Panyaſidis, Lini, Menecratis, Poſidippi, Metrodori, Simonidis. Senariorum libellus. Omnia in uſum ſcholarum collecta, et ad verbum converſa, per Iac. Hertelium, Curienſem. Adiecta quoque eſt omnium verſio, latino carmine a diverſis expreſſa. Baſil. ap. Io. Oporinum, 1561. *oct.*

Prima eſt collectionis gnomicorum Hertelianae editio. Inſtituti rationem, in dedic. ad Senat. Salveldenſ. ita deſcribit. *Theognide γνωμικωτάτῳ, cum verſione et doctiſſimis Eliae Vineti annotationibus, ex arbitrio Dom. Typographi, praemiſſo, reliquorum Poetarum omnium ſcripta ex diverſis hinc inde autoribus congeſſimus, congeſta fideliter interpretati ſumus, et ad puerorum captum quam proxime accommodavimus. - - - Verſionem latino carmine, ſui cuiusque interpretis nomine praefixo, ne alienis nos ornare plumis videremur, ſubiecimus.* (Theognidis, quam ſubiecit, ligata verſio, Iacob. Schegkium auctorem agnoſcit.) *- - - Nondum carmine reddita pro noſtra tenuitate pedibus adſtrinximus, ita ut quam proxime graeca ſententia exprimeretur. Alicubi lectionis varietas margini eſt adſperſa.*

18) Theognidis ſententiae, graece et latine, una cum eiusdem argumenti reliquiis, Phocylidis etc. (vid. titul. praeced). Omnia in uſum ſcholarum collecta, et ad verbum converſa, per Eliam Vinetum et Iac. Hertelium Curien. Variſcum: Carmine vero latino partim a Hieron. Oſio Turingo, partim ab aliis expreſſa. Acceſſit, in ſtudioſorum gratiam, Homeri Batrachomyomachia, item latino carmine a Hier. Oſio reddita. Baſileae. *In calce*: Francofurti, ex offic. Ludov. Lucii, Anno ſalut. hum. MDLXIII. Menſe Septembri. *oct.*

Collectionis Hertelianae haec est secunda, aut si forte Basileensis ea fuerit, ad secundam expressa editio *). Praeter prosaicam Vineti, versionem poeticam Schegkii hic habes, eamque excipit p. 332. alia, itidemque poetica, Hier. Osii. Versio batrachomyomachiae, quam titulus promittit, in libro nullibi apparet.

*) Priorem editionem Senatui Salveldensi inscripserat, sed, *cum*, inquit, *dedicatio parum feliciter cessisset, ita ut ex eorum animo auctor effluxerit, quibus pro benevolentia dudum exhibita gratificari vicissim conabatur*, hanc Iodoco Iungio, Brisacensi, suo discipulo, (Basileae enim erat Scholae Petrinae moderator,) dicavit.

19) Theognidis sententiae elegiacae. Pythagorae versus aurei, Phocylidae poema admonitorium. Digna omnia, quae ad unguem ediscantur a studiosis adolescentibus. Düsseldorp. excud. Io. Oridyrus, et Alb. Buysius, affines. 1563. oct.

Graeca primum, deinde versio eorum latina seorsim. Theognidis versio Schegkiana est.

*20) Poetarum vetustissimorum opera sententiosa, Graece. Antverp. 1565. oct.

Vid. Draudii bibl. classic. p. 1590.

21) Poetae graeci principes heroici carminis, et alii nonnulli, Homerus etc. Anno 1566. Excudebat Henr. Stephanus, illustris viri Hulder. Fuggeri typographus. *fol.*

Splendidissima est, et satis nota poetarum graecorum collectio Stephaniana. Margini passim adduntur variae lectiones, sed an MSS. codd. an editis aliis libris, an felicissimo, quo gaudebat, ingenio, hae debeantur, ubique reticet.

22) Theognidis, Phocylidis, Pythagorae, Solonis, aliorumque veterum poemata gnomica, latina versione et annotationibus illustrata, (Genev.) apud Crispinum. (1569 et 1570). duod.

Colle-

Digitized by Google

Collectionis poetarum Criſpinianae tertiam partem efficiunt gnomici. Ad Hertelianam editionem, a qua tamen interdum recedit, expreſſus videtur Theognis. In oeconomica totius collectionis praefatione poetae noſtri ſententias, annotationibus ſelectis El. Veneti, Iac. Hertelii, Iac. Schegkii, aliorumque lucubrationibus expoſitas ſe daturum eſſe promiſit Criſpinus; ſed nullae ſunt I. Hertelii et I. Schegkii in Theognidem annotationes, nec alia quam proſaica Vineti verſio hic apparet. In bibl. Regia Pariſienſi exemplum huius collectionis ſervatur, cuius margini notas adſcripſit Tanaqu. Faber.

23) — ſententiae elegiacae etc. (plen. tit. vid. ſub n. 17.) *In calce:* Baſileae ex offic. Oporiniana 1569. menſe Ianuario. *oct.*

*24) — ſententiae Graec. lat. Heidelb. 1569.
Vid. catal. bibl. Barberin. Tom. II. p. 454.

25) — ſententiae elegiacae, etc. (vid. n. 17.) *In calce:* Baſil. ex offic. Oporin. 1572. menſe Ianuario. *oct.*

*26) — Graec. Lat. per Iac. Schegkium. Antverp. 1572. *oct.*
Vid. catal. bibl. Barberin. T. II. p. 455. Mongitoris biblioth. Sicul. T. II. p. 250.

27) — ſententiae etc. (vid. n. 17.) *In fine:* Lipſiae, Io. Rhamba excudebat, 1576. *oct.*

*28) — ſententiae etc. (vid. n. 17.) Baſil. 1576. *oct.*
Vid. Lipenii bibl. philoſ. p. 1473.

*29) — cum translatione metrica Ant. Mockeri. Erphord. 1576. *oct.*
Vid. Lipenius l. c.

*30) Collectio Herteliana recuſa Lipſ. 1577. teſte eodem l. cit. *oct.*

31) Opus aureum et ſcholaſticum, in quo continentur Pythagorae carmina aurea, Phocylidis, Theognidis, et aliorum poemata. Edita omnia ſtudio et cura Mich. Neandri,

dri, Soravienſis. Lipſiae, imprim. Io. Steinmann, 1577. *quart.*

Prolixius hoc opus deſcribunt Io. Fabricius hiſt. bibl. T. III. p. 507. et Gottl. Stolle in Nachricht von den Büchern ſeiner Biblioth. p. 418. De raritate libri vid. Vogtium in catal. libr. rar. p. 486. et Stolle l. c. Quod Theognidem ſpectat, ab edit. anni 1559. ne latum unguem diſcedit nova haec editio.

*32) Theognidis ſententiae, graec. lat. Antverp. 1577. *oct.*

Vid. Fabricii bibl. Graec. Vol. I. p. 441.

*33) — ſententiae, Pythagorae verſus aurei, Phocylidae poema admonitorium. Antv. 1578. *oct.*

Vid. Lipen. bibl. philoſ. l. cit.

*34) — ſententiae, graece, et earum verſio in carmina latina: auctore Iac. Schegkio. Pariſ. ap. Io. Benenatum 1579. *quart.*

Vid. catal. bibl. Reg. Pariſ. l. c. Y. 281. b. p. 259. Mattair. l. c. T. III. p. 777.

35) — Megar. ſententiae cum verſione latina, ita ut verbum verbo conferri poſſit, addita earundem explicatione a Phil. Melanchthone in ſchola Vuittebergenſi. Lipſiae, imprim. Ge. Defnerus. 1581. *oct.*

Novam ſententiarum verſionem confeciſſe Melanchthonem, Fabricius aſſerit bibl. graec. Vol. I. l. cit. Sed, quae in hac editione additur, latina verſio, ex editt. Vineti eſt repetita. Explicationis ſententiarum, quam titulus promittit, quamque ſeorſim a. 1560. prodiiſſe, antea monuimus, nulla in huius editionis exemplo, Flensburgi viſo, apparent veſtigia.

*36) — Megarenſis, poetae vetuſtiſſ. ſententiae elegiacae. Pythagorae verſus aurei. Phocylidae poema admonitorium. Digna omnia, quae ad unguem ediſcantur a ſtudioſis adoleſcentibus. Antverp. ex offic. Chriſtoph. Plantini, 1582. *oct.*

Graeca

Digitized by Google

Graeca primum, deinde verſio eorum latina. Theognidis verſio Schegkiana eſt. Guelferbyti aſſervatur in bibliotheca Ducali.

*38) — ſententiae Graec. Lat. cum ſcholiis El. Vineti. Lipſ. 1583. *oct.*

Vid. catal. bibl. Bodley. p. 582. (edit. Oxon. 1738.)

39) Collectio poetarum minorum Criſpiniana, recuſa Genev. ap. Euſt. Vignon, 1584. *duod.*

Vid. Mattair. l. cit. T. III. p. 538. 541.

*40) — ſententiae elegiacae etc. (vid. n. 17.) Lipſiae 1587. *oct.*

Vid. catal. bibl. I. A. Fabricii, ſuppl. I. n. 2530. Lipenium l. c. p. 1473.

*41) — ſententiae, Graec. Lat. cum ſcholiis E. Vineti. Lipſiae, 1588. *oct.*

Catal. bibl. Barberin. T. II. p. 454. Mongitoris bibl. Sicul. T. II. p. 250.

42) Pythagoras, Phocylides, Theognis. Carmine latino expreſſi, Petreio Tiara, Friſio, Medico, et graecarum litterarum, cum viveret, Profeſſore, interprete. Nunc recens ſummo ſtudio ac fide Graece et Latine coniuncti, brevibusque annotatiunculis illuſtrati, et in lucem editi ab Io. Arcerio Theodoreto, Friſio. Franeckerae excud. Aegid. I. Radaeus, Ordinum Friſiae typographus in Acad. Traneck. 1589. *oct. minor.*

*43) Vetuſtiſſimorum poetarum opera ſententioſa. Tremon. 1589. *oct.*

Draudii biblioth. claſſ. p. 1590.

44) Epicae elegiacaeque minorum poetarum gnomae, graece ac latine: Pythagorae ſcil. Phocylidis, Theognidis, Solonis, et aliorum. (Naumachii ſcil. Callimachi, Eveni, Rhiani, Eratoſthenis, Panyaſidis, Lini, Menecratis, Poſidippi, Metrodori, Simonidis, Antimachi). Addita in fine variantis ſcripturae notatio: correcta item multis in locis interpretatio latina *(proſaica)*, graecis ex adverſo appoſita; opera

ra et ſtudio Frid. Sylburgii. Francof. ap. Io. Wechelium et Petr. Fiſcherum conſortes. 1591. oct.

Ad ipſum contextum quod attinet, inquit Sylburgius in dedicat. ad Pincieriae cognatarumque familiarum pueros, *quia manuſcriptorum librorum in praeſens non dabatur copia, meliorum editionum collatione inſtituta, id operam dedi, ut, quoad eius fieri potuit emendatiſſima prodirent omnia. In qua recenſione, quia non ubique ad amuſſim corrigi omnia poterant, immo abſque vetuſtiorum codicum auctoritate non debebant; in fine ſeorſim partim variantem editionum ſcripturam, partim aliorum pariter ac meas de quibusdam locis coniecturas adnotavi. Quin et Latinam interpretationum maiori ex parte cum graeco textu contuli, multisque in locis, meo quidem iudicio, meliorem reddidi.* Ad Sylburgium animadverſiones in Theognidem transmiſerat Dav. Hoeſchelius, ſed inopinato quodam caſu periiſſe eas ſibi queritur Sylburgius in notis, p. 102.

45) Theognidis Megar. ſententiae elegiacae etc. (vid. n. 17.) Lipſ. ex offic. typogr. Abr. Lambergii, 1591. oct.

46) — ſententiae etc. (vid. n. 17.) Lipſ. ex offic. eiusd. 1596. oct.

47) — Phocylidis, Pythagorae, Solonis, et aliorum (vid. n. 44.) poemata gnomica. Graecis ex adverſo Latina interpretatio appoſita, multis in locis correcta, additaque variantis ſcripturae notatio. Opera Frider. Sylburgii. Heidelberg. typis Hier. Commelini. 1597. oct.

Hanc alteram Sylburgianae collectionis editionem Dav. Hoeſchelio dedicat Commelinus, et *animadverſiones quasdam ſubindicat, quae inter curſoriam Theognidis lectionem ſibi occurrerunt, et de quibus Sylburgianas notas fruſtra conſuluit.*

*48) — Megar. ſententiae elegiacae cum interpretatione Latina. Ingolſt. 1598.

Vid. Catal. bibl. Ratisb. ad S. Emmeran. n. 9647.

*49)

*49) Γνωμαγραφοι, Theognis, Phocylides, cum interpretatione Viti Amerbachii. Lipſ. 1598. *Oct.*
Catal. bibl. Marqu. Gudii, p. 260.

50) Collectio Herteliana, recuſa Lipſ. in offic. typogr. Abr. Lambergii, 1600. *Oct.*

51) Collectio poetarum minorum Criſpiniana, recuſa Genev. ap. haeredes Euſtach. Vignon, 1600. *duod.*

52) Epicae elegiacaeque minorum poetarum gnomae etc. (vid. N. 47.) Francof. ap. Nic. Hoffmannum, impenſis haeredum Petri Fiſcheri, 1603. *oct.*

53) Theognidis Megarenſis ſententiae graeco latinae, certis titulis, quos margo numerato exhibet, diſtinctae; cum indice duplici, uno dictionum et phraſium graecarum, altero titulorum: opera M. Wolfgangi Seberi, Scholae Schleuſingenſis Rectoris. Accedunt ſeorſim in eundem poetam Ioach. Camerarii ſcholia graeca. Lipſiae impenſis Thomae Schureri, 1603. *oct.*

Tituli, quos margini appoſuit Seberus, *ad mentem commentationum Phil. Melanchthonis, Ioach. Camerarii, et Mich. Neandri, quantum eius fieri potuit, conformati ſunt.* Notae Seberi partim margini adſcriptae, partim locupletiſſimo, et magna cum cura confecto, vocum Theognidearum indici ſunt inſertae. Latina verſio Vineti eſt. Hypomnematibus Camerarii, quae proprio ornantur titulo, *notas* quoque addidit Seberus, *quibus fontes citatorum atque teſtimoniorum paulo clarius commonſtrantur.*

*54) — ſententiae Gr. Lat. Auguſt. V. 1604. *oct.*
Vid. Lipen. l. c. p. 1473.

*55) — ſententiae Gr. Lat. per Phil. Melanchthonem. Lipſ. 1606. *oct.*
Catal. bibl. I. A. Fabricii ſuppl. I. n. 2533. Lipen. l. cit.

56) — ſententiae, in collectione poetarum graecorum carminis heroici, quae curante Iac. Lectio Aureliae Allobrogum 1606. prodiit, ſumptibus Caldorianae ſocietatis,

typisque Petri de la Roviere, a pag. 704. ad 722. *fol.*

Ad graecam Stephani editionem Theognidem excudi curavit Lectius, additis quoque, quae in eadem habentur, variis lectionibus. Verſio latina e Sylburgianis editionibus eſt repetita.

* 57) — ſententiae, cum latina verſione Phil. Melanchthonis, Witteb. ap. Sam. Seelfiſch, 1609. *oct.*

Vid. Draudii bibl. claſſ. p. 1592. Lizelii hiſt. poetar. graecor. Germ. p. 18.

* 58) — ſententiae elegiacae, graece, (ſi Draudio *l. c.* fides ſit habenda; graece latineque ſecundum Lipenium l. c. Argentor. 1610. *oct.*

* 59) Collectio poetarum minorum Criſpiniana, ad exempl. edit. Genev. 1584. iterum recuſa, Genevae ap. Io. Vignon. 1612. *duod.*

60) Collectio Herteliana recuſa (vid. N. 17.) Lipſiae, typis Lambergianis, excudebat Wolfg. Meiſnerus, 1613. *oct.*

* 61) Gymnaſmata verſuum graecorum, in quibus continentur: batrachomyomachia Homeri; Heſiodi opera et dies; Theognidis ſententiae; Pythagorae verſus aurei; Phocylidis poema admonitorium; omnia: graece edita in uſum ſcholarum a Caſp. Brülovio. Arg. ap. Marc. ab Heyden, 1618. *oct.*

Catal. bibl. Regiae Pariſ. l. c. Y. 497. p. 272.

* 62) Collectio Criſpiniana, ad exempl. edit. 1584. iterum recuſa, Genev. ap. Ioh. Vignon, 1620. *duod.*

Catal. bibl. Reg. Pariſ. l. c. Y. 493. p. 272. Maittair. annal. typogr. T. III. p. 538.

63) Theognidis Megarenſis ſententiae graeco latinae, certis titulis, numerato in margine poſitis, diſtinctae: cum indice duplici; uno dictionum et phraſium graecarum; altero titulorum. Editio ſecunda, quae ſeorſim, praeter graeca Ioach. Camerarii ſcholia, peculiares quoque notas exhibet,

Digitized by Google

bet, quibus et paſſim illuſtratur textus, et varia inſuper lectio, ut aliunde, ſic inprimis e MSS. Codd. Biblioth. Palatinae atque Auguſtanae, commonſtratur. Opera M. Wolfgangi Seberi, Sulani. Lipſiae, imp. haeredum Thomae Schureri, (typis vero Io. Glückii) 1620. *oct.*

Variantis lectionis deſignationem e codd. MSS. Palatinis duobus, unoque Auguſtano confectam, ad Seberum transmiſerat Dav. Hoeſchelius; ſyllogen quoque obſervationum in Theognidem ſubminiſtraverat M. Io. Weitzius, e quibus meliores ſelegit, multaque, quae poſt priorem anni 1603. editionem ad poetam noſtrum ipſe annotaverat, addidit Seberus, qui *menda prioris editionis nonnulla hac in editione ſuſtulit, verſionemque Latinam multis in locis meliorem, aut certe planiorem, fecit.* Auguſtanus codex multo rarius quam Palatini excitatur, quare eius collationem non tanta cum cura Hoeſchelium inſtituiſſe ſuſpicor. Weitzianas notas, quae cum ceteris Seberianis commiſcentur, nec addito auctoris nomine diſtinguuntur, ſub Seberi nomine excitare cogor.

64) Theognidis, Phocylidis, Pythagorae, Solonis, aliorumque veterum poemata gnomica. Cum latina verſione. Pariſiis, apud Io. Libert, via d. Ioannis Lateranenſis, e regione auditorii regii, 1617. *oct.*

Tertiam, ni fallor, collectionis poetarum, quam ſub a. 1628. annal. typogr. T. III. p. 891, excitat Maittairius, partem conſtituunt poemata haec gnomica, ſed priores duas partes numquam vidi. Ex praefatione totius operis, quam Maittairius l. c. exhibet, ad Stephanianum exemplum hanc collectionem, ſolo excepto Heſiodo, excuſam eſſe, patet; latina Theognidis verſio Vineti eſt, cuius quoque breves annotationes in calce adduntur.

*65) Collectio poetarum minorum Criſpiniana, recuſa Geney. 1629. *duod.*

Occurrit in catalogis bibl. Petr. Francii, Thom. Osbornii, aliorumque.

*67) Theognidis ſententiae, graec. lat. per Phil. Melanchtonem. Witteb. 1631. oct.

Occurrit in catal. bibl. I. A. Fabricii, et in Th. Georgii Bücher-Lexico, ſuppl. 3. p. 371.

68) Theognidis Megarenſis ſententiae, ad uſum ſtudioſae iuventutis ſeorſim excuſae. Monaſterii Weſtph. typis Bern. Rasfeldii, 1634. oct.

Graeca eſt haec editio, vitiisque typographicis turpiter inquinata.

69) Poetae minores graeci: Heſiodus, Theocritus, Moſchus, Bion Smyrnaeus, Simmias Rhodius, Muſaeus, Theognis, Phocylides, Pythagoras, Solon, Tyrtaeus, Simonides, Rhianus, Naumachius, Panyaſis, Orpheus, Mimnermus, Linus, Callimachus, Evenus Parius, Eratoſthenes, Menecrates, Poſidippus, Metrodorus. Fragmenta quaedam Philemonis, Alexidis, Amphidis, Anaxandridae, Antiphanis, Apollodori, Diphili, Menandri, Diodori Sinop., Eubuli, Hipparchi, Nicoſtrati, Pherecratis, Philippi, Philippidae, Sotadae, Cratetis, Eriphi, Poſidippi, Timoclis, Clearchi, et aliorum incertorum auctorum. Quibus ſubiungitur eorum potiſſimum, quae ad philoſophiam moralem pertinent, index utilis. Accedunt etiam nunc primum obſervationes Radulphi Wintertoni in Heſiodum. Cantabrig. ap. Thom. et Io. Buck, et Roger. Daniel, acad. typographos, 1635. oct.

In hac editione, (inquit Wintertonus in praefat.) *exemplar omnium longe optimum Henr. Stephani, editum a. 1560, eoque deficiente*, (*neque enim Stephanus omnes edidit*,) *Criſpini, editum a. 1606. quantum licuit ſecutus ſum. A quibus doctiſſimis viris ſi forte nonnullis in locis diſſentiam, id invitus facio*, (*nec ſine doctiſſ. virorum iudicio*,) *aut* Orthographiae, *aut* Orthometriae, *aut* Proſodiae *gratia*, (*nam*

ad

ad haec tria capita reduci videntur posse omnia,) aut saltem aliqua alia, non nisi iusta de causa, uti mihi videtur.

*70) Theognidis sententiae, gr. lat. per Phil. Melanchthonem. Lond. 1639. oct.

Catal. libror. bibl. Bodley. p. 582. b. edit. 1738) Fabric. bibl. Graec. Vol. I. l. c.

71) Theognidis, Phocylidis, Pythagorae, Solonis, et aliorum poemata gnomica etc. (vid. N. 47.) Ultraiecti ex offic. Io. a Waesberge, (*quibusd. exempl.* ex offic. Herm. Ribbii,) 1651. *duod.*

*72) Poetae minores graeci: Hesiodus, etc. (vid. N. 69.) Cantabr. 1652. oct.

73) Collectio gnomicorum Sylburgiana, sub N. 47. adducta, iterumque recusa Ultrai. ex offic. Io. a Waesberge 1659. *duod.*

74) Collectio gnomicorum Herteliana, (vid. N. 17.) recusa Helmest. impens. Io. Ad. Kaestneri bibl. typis Iac. Mülleri 1668. oct.

Aliam interdum, quam caeterae collectionis Hertelianae editiones, lectionem adhibet Helmstadiensis haec editio. Adduntur quoque in calce libri poetarum vitae, e Wintertoniana, ni fallor, editione desumtae.

75) Poetae minores graeci: Hesiodus etc. (vid. N. 69.) Cantabr. ex offic. Io. Hayes, Acad. typogr. 1671. oct.

*76) Theognidis sententiae omnes, gr. lat. inter: *Veterum poetarum graecorum poemata, aut poematum ἀποσπασματια selecta, eo consilio hunc in modum congesta, ut iuventus iam in scholis non unum, sed plerosque omnes veteres poetas graecos, quorum quidem scripta superstant, cognoscere possit, atque ita mature ad legenda eorum cetera alliciatur, cura Io. Vorstii.* Berol. 1674. oct.

77) Poetae minores graeci: Hesiodus, etc. (vid. N. 69.) Cantabr. ex offic. Io. Hayes. 1677. oct.

78) Eiusdem collectionis alia editio, Cantabr. 1684. oct.

*79) Collectio gnomicorum Hertelíana, rec. Wratisl. 1692. oct.

80) Veterum poetarum graecorum poemata, etc. (vid. N. 76.) Francof. ad Viad. sumpt. Rup. Völckeri, litteris Christ. Zeitleri, 1692. oct.

Io. Mollerus Cimbr. litter. Vol. I. p. 707: *Caeterae*, inquit, *Vorstianae collectionis editiones, quas catalogi nundinales Berolin. 1689. et 1691. ac Francof. 1703. prodiisse perhibent, mihi non sunt visae, et partim forte chimericae.*

81) Theognidis Megarensis, poetae celebratissimi, sententiae elegiacae graeco latinae, notis philologicis, ex probatissimis quibusdam autoribus excerptis, ac collectis, exornatae, commentario integro, mentem gnomographi aperiente, illustratae, ac demum triplici indice auctiores redditae: quorum primus singula vocabula ordine alphabetico digesta, ac beneficio grammat. D. Welleri, resolutioni subiecta, recenset: secundus vocibus ratione thematum investigandorum difficilioribus inservit: tertius virtutes morales, vitia, aliaque notatu digna in hocce libello poetico contenta indicat. Quibus accedunt lectiones variantes; in φιλελλήνων commodum, labore ac studio Henr. Gottlob Iust, Graec. Lingu. in gymnas. Augustin. Prof. Sumptibus Autoris, Erfurti, litteris Müllerianis, 1701. oct.

E scholis utinam exsularent huiusmodi, maximo cum iuniorum detrimento confectae editiones. Ex Camerarii, Neandri, Seberique scholiis, commentarium quendam compilavit Iustius, eumque nugosis suis quisquiliis belle admodum exornavit. In lexico vocum Theognidearum, quod huic editioni subiecit, summae suae in graecis imperitiae vestigia supereſſe voluit bonus ille Iustius.

82) Idem liber, recusus Francof. et Lips. ap. Mich. Keyserum, 1709. oct.

83 a) Io. Patusae Encyclopaedia philologica, Venet. ap. Nic. Sarum, 1710. quart.

Ple-

Pleniorem huius collectionis notitiam praebet I. A. Fabricius bibl. Graec. T. XIII. p. 457-462. Theognidis verſus 420. priores in quarto ſeu ultimo huius Encyclopaediae tomo exhibentur a p. 253-267.

83 b.) Hier. Freyeri, Paedag. Reg. Glauchani Inſpectoris, Faſciculus poematum graecorum, ex antiquis et recentioribus poetis collectus, et ad innoxium ſcholaſticae iuventutis uſum, accommodatus. Halae Magdeb. 1715. oct.

Ex Theognidis ſententiis ſelectae quaedam hic exhibentur. Vid. Fabric. l. cit. p. 466. 467.

84) Poetae minores graeci ſelecti et emendati, ſcilicet Heſiodus, Theocritus, Moſchus, Bion Smyrnaeus, Muſaeus, Theognis, Phocylides, Pythagoras. Omnibus fere paginis ſubiicitur vocum difficiliorum explicatio grammatica. In Heſiodo inſeruntur tabulae, aere inciſae inſtrumenta veterum agris colendis inſervientia deſcribentes. In uſum ſcholarum. Londini, typis T. Wood. impenſ. G. Innys, et B. Motte. 1728. oct.

Ad Wintertonianam editionem impreſſus eſt graecus Theognidis textus, pariter ac verſio latina. Notae, quae hic adduntur, dialectorum inprimis uſum concernunt.

85) Veterum poetarum graecorum poemata, aut poematum ἀποσπασματια ſelecta, eo conſilio nunc denuo congeſta, ut iuventus non unum, ſed plerosque omnes poetas graecos, quorum quidem ſcripta ſuperſunt, mature cognoſcere poſſit, cura Io. Ioach Schröderi, ling. Sacr. et Orient. Prof. Marb. ordin. Marb. ap. Phil. Caſim. Müllerum, 1733. oct.

Collectio eſt Vorſtiana, ſed novis Schröderi curis recognita.

86) Θεογνις σχολη γαν νεητος και προς των ηβητων χαιρεητος, d. i. Theognidis Lebens-Regeln, deren Text nach denen beſten Leſe-Arten hergeſtellet, und mit Deutſchen Noten alſo be-

ham-

handelt wird, daß durchgehends 1) der Idiotismus graecus angemerket, und besonders auf die Verknüpfung derer Begriffe bey denen Griechen gesehen; 2) die Sache selbst aus der alten Mythologie, Ethique, und Politique, verständlich gemacht; 3) die vielen Lücken hinlänglich ergänzet, und der Zusammenhang nebst denen verschiedenen Lese-Arten gezeiget wird; mithin nun jungen Leuten alles leichte zu fassen, und ohne Anstoß zu begreifen seyn muß: nebst einer Vorrede von der eigentlichen Beschaffenheit des verdeckten Vortrags derer alten Griechen in ihrer vermeintlichen Gottes-Gelahrheit, und des Theognidis Leben, durch Friedr. Gottl. Fischern. Altenburg bey Joh. Ludw. Richters Erben, (1739.) oct.

87) Editio Iustina, auctior recusa Erford. sumt. Iungnicolianis (1739). oct.

88) Callimachi hymni et epigrammata: quibus accesserunt Theognidis carmina: nec non Epigrammata centum septuaginta sex ex Anthologia graeca, quorum magna pars non ante separatim excusa. His adiuncta *est* Galeni suasoria ad artes. Notas addidit, atque omnia emendate imprimenda curavit editor. In praefatione disseritur de linguae graecae pronunciatione, secundumne *quantitatem*, an *accentum*, melius prodeat. Londin. impens. Gul. Thurlbourne, Bibliop. Cantabr. 1741. oct. mai.

Nitidae huius collectionis auctorem Thom. Bentleium fuisse, ex indice didici *Actis eruditor. Lipsiens. anni 1745.* subnexo. Poematibus Callimachi notas addidit Bentleius, quas acriter perstringunt eorundem Actor. collectores l. c. p. 403. seq. *Ex Theognidis sententiis moralibus*, (quas ad Cyrnum datas esse Editor credidit,) *excerpta* a p. 177. ad 215. hic exhibentur, *cum versione vulgatis emendatiori.*

89) Plutarchus de puerorum educatione, et de audiendis poetis, Isocratis orationes tres, Hesiodi opera, et Theognidis sententiae, Graece, in usum scholarum. Recensuit, praefationem et vitas auctorum praemisit, M. Christoph. Kretsch-

Kretſchmar, Cruciani Dresd. Conr. Dresd. et Lipſ. apud Frid. Hekel, 1750. *oct.*

Sententias Theognideas, aeque ac cetera, quae hoc libello continentur, opuſcula, in partes ſeu ſectiones diviſit Kretſchmarus, ſingulisque capitibus argumentum praemiſit, ut ſic diſcentes ſtatim in conſpectu haberent, quale ab auctore exponatur argumentum. Variantes lectiones textui paſſim ſubiiciuntur. Lexicon vocum loquendique formularum, in his opuſculis obviarum, quod in praefatione editor promiſit, nondum prodiiſſe opinor.

VERSIONES SENTENTIARUM THEOGNIDIS.

N LATINAE. α) *proſaicae.*

1) El. Vineti, aut, quae ſub eius nomine circumferri ſolet: (vid. editt ſub num. 7 8. 10. etc.) Emendata deinde haec verſio fuit per Phil. Melanchthonem, Iac. Hertelium Frid. Sylburgium, et Rad. Wintertonum.

2) Mich. Neandri, quam in utraque ſua editione adhibuit, (vid. num. 15. et 31.)

3) Thom. Bentleii, in excerptis ex Theognide, ſub num. 88. antea adductis.

4) Marci Anton. Petilii, Monte-Corvinatis, Iurisconſ. Neapol. verſio inedita. Vid. Leon. Allatii apes urban. p. 187.

β) *Ligato ſermone.*

1) Iac. Schegkii. Vid. num. 8. 10. 12. 14. 17. 18. 23. 25. 26. 27. 28. 30. 34. 36. 40. 45. 46. 50. 60. 74. 79.

2) Theognidis verſio, item Pythagorae, Phocylidis, Tyrtaei, et Solonis paraphraſis, nec non alia varia poemata ac epigrammata recens edita. Autore Hieronymo Oſio, Turingo. Ad illuſtriſſimum ac potentiſſ. Regem

Daniae, Chriſtianum III. Witteb. in offic. haered. Ge. Rhau 1558. *oct.* Recuſa eſt haec verſio in edit. gnomic. Herteliana, Francof. 1563. (vid. n. 18.

3) Io. Tholingeri; Antiquiſſimi poetae Theognidis, gnomae, latino carmine redditae. Autore Ioanne Tholingero, Talmeſſingenſi. Witteb. 1558. *oct.*

4) Gaſp. Graſpergeri, ſeorſim excuſa Norib. 1562. *oct.* Vid. catal. biblioth. Iac. Burckhardi, Conſil. et Biblioth. Guelferb. part. 1. p. 130. Integram hanc bibliothecam, magnis ſumtibus ab haeredibus emtam, ſcholae Holtzmindanae uſibus conſecravit liberalitas Sereniſſ. Brunſuicenſium Ducis.

5) Ant. Mockeri. Vid. n. 29.

6) Petreii Tiarae. Vid. n. 42.

7) Caſp. Barthii, in opuſculis variis, Hanov. typis Willerianis editis, 1612. *oct.* Hanc ſuam interpretationem contra innominati cuiusdam auctoris obiectiones defendit ipſe Barthius, in Adverſar. libri XV. c. 4.

2) GALLICA.

1) Les ſentences de Theognide, Poete grec, miſes en vers françois par Nic. Pavillon, Pariſien. Paris, chez Guill. Julien, 1578. *oct.* Vid. Catal. bibl. Reg. Pariſ. Y. 281. p. 259. Draudii bibl. claſſ. T. II. p. 1599. Ant. Verdier bibl. des auteurs François, p. 919. Franc. de la Croix du Maine bibl. des Auteurs Franç. p. 499.

3) ITALICA.

1) Angeli Mariae Salvini verſio inedita, cuius mentionem faciunt Io. Lamius, memorab. Italor. erud. T. I. in vita Salvini p. 54. et 61. Scip. Maffeius in libro: Traduttori Italiani, o ſia Notizia de' volgarizzamenti d'antichi ſcrittori Latini e Greci: Iac. Maria Paitoni in Bibliothec. degli Autori Greci e Latini volgarizzati, quam, ſuppreſſo auctoris nomine, D. Ang. Calogera pri-

primus edidit in Raccolta d'opuſculi ſcientif. e filolog. T. XXXII - XXXVI, auctiorem deinde publicavit Phil. Argellati, Mediol. 1753. 4.

7) GERMANICIS VERSIBUS, ſed parum feliciter, Theognidem vertere tentavit Clariſſ. Io. Dan. Deuſo. Inſertum eſt huius verſionis ſpecimen ſcriptis ſocietatis Teutonicae Lipſienſis, quae hoc titulo prodierunt: Beyträge zur Critiſchen Hiſtorie der Deutſchen Sprache, Poeſie und Beredſamkeit, Lipſ. 1738. 20. Stück. N. IV. p. 559.

Haec editioni Sententiarum Theognidis, quam meditatur, praemittit *Kallius*, Vir doctiſſimus; quod propediem dabimus Specimen, ab eo iam editum, fidem Lectoribus faciet, non potuiſſe curam edendi Theognidis venire ad virum aut diligentiorem, aut ſtudioſiorem litterarum graecarum.

MVSEVM MAZZVCHELLIANVM, SEV NVMISmata Virorum doctrina praeſtantium, quae apud IO. MARIAM COMITEM MAZZVCHELLVM Brixiae ſervantur, a PETRO ANTONIO DE COMITIBVS GAETANI, Brixiano Presbytero et Patritio Romano, edita atque illuſtrata. Accedit verſio Italica ſtudio Equitis COSIMI MEI elaborata.
TOMVS SECVNDVS.

Venetiis 1763, typis Anton. Zatta. Alph. 4. plagg. 22. cum tabulis figg. ex aere expreſſ. 108.

Cum de primo Tomo operis ſplendidi, lectuque periucundi, et ſpectantibus etiam amoeni, nuper retulerimus, negligi a nobis diutius ſecundus hic Tomus non poteſt. Quem cum diligenter volueremus, non tam eos ex viris doctis et ſcriptoribus claris felices praedicavimus, qui-

bus eiusmodi dicatorum memoriae ipsorum numismatum honos habitus esset, quam qui eam ingenii, doctrinae, et operum famam essent consecuti, ut vel nullis condecorati monumentis publicis, tamen ab omni posteritate celebrentur. Nullae amplius, vel rarissimae certe, Viris de republica bene meritis statuae ponuntur, quamquam hoc ex sapiente antiquitate imitandum esset perpetuo: sed profecto memoria eorum, his quasi fulcris destituta, non tamen umquam interitura est. Itaque etiam eruditorum hominum existimatio atque gloria pulchre quidem numis expressa enitet, sed pulchrior animis omnium impressa, qui vitam in literis transactam vocant beatissimam.

In tanta autem Tabularum copia, qua hic quoque Tomus exsplendescit, de singulis profecto dici non potest accuratius. Neque vero desiderabunt Lectores nomina virorum eruditorum omnium, quibus numi istius Tomi inscripti sunt: esset enim census prope infinitus. *Igitur* satis fuerit, plerosque, et eos maxime memorandos, proferre, omissis vel obscurioribus quibusdam, vel in Germania certe parum nobilitatis. Opus ipsum consulturis, ut omnem hunc quasi exercitum lustrare possint, praesto sunt Indices plures, huic quoque Tomo praefixi, quorum alius viros doctos numismatibus insignitos ad ordinem elementorum alphabeti, alius secundum gentes, alius pro disciplinarum quas coluerunt diversitate, exhibet; alii alio modo.

Iam ut ad ipsas Tabulas veniamus, *Prima* spectandos proponit *Georgium Mylium*, s. *Müllerum* Augustanum, *Barthol. Rosinum*, *Fortunianum Sanvitalium*, *Iul. Rosfinum*, et *Philipp. Camerarium*. Tab. II. *Cosmus II. Medices*, *Scaevola Sammarthanus*, et *Franc. Malherba*, spectantur, cum aliis. Tab. III. *Iac. Böhmius*, de quo *Reimmanni* iudicium adfertur ex Catalogo Biblioth. Theol. *Iacobus I* Rex Angliae, alii. Tab. IIII. *Theodor. Trivultius*, *Frider.* Cardin. *Borrometus*,

meus, Archiep. Mediolanenſis, *Franc. Baco de Verulamio*, vir ſummus, cui veriſſima et ingenioſisſima imago dicata eſt, auroram referens, cum hac epigraphe: *Non procul diet;* (ubi tamen non erat dicendum, praecesſiſſe *Harveum*, qui poſterior fuit *Bacono*, et *Sarpium*, qui coaevus erat;) *Iac. Callot*, chalcographus excellens; *Nic. Claud. Faber*, (addendum erat *Peireſcius*, quo nomine unice celebratur,) de quo tradit Auctor, eum, cum viveret, doctis Gallorum plerisque paene ignotum fuiſſe. Tabula V. *Eliſabetha Krauſin*, cuius ex *Koehleri* Amoenit. Numar. T. XI. vita deſumenda eſt, alii. Tab. VII. *Galilaeus de Galilaeis.* Non omittitur crudelis vexatio, qua virum egregium proſecuti ſunt *Sacri Fidei Quaeſitores*, ut hic vocantur, rectius *libertatis et verae doctrinae hoſtes deteſtandi.* Tab. VIII. Septem numismata Cardinalis *Richelii* honóri excuſa proponit. Dicendum etiam fuiſſet de dramaticis eius ſcriptis, quibus fruſtra aemulatus eſt magni *Cornelii* gloriam. De *Teſtamento* eius *Politico* traditur hoc loco, manuſcriptum illud in Bibliotheca Sorbonica ſervari. Sed ſatis conſtat, quam diſcrepantes ſint virorum doctorum de huius ſcripti *αὐθεντίᾳ*, opiniones. *Hugo Grotius*, *Vincent. Vetturius*, ſ. *Voiture.* Tab. IX. *Franc. Menardus*, ſ. *Maynard*, aliique. Tab. X. *Iac. Sirmondus*, *Ren. Carteſius*, *Dion. Petavius*, *Petr. Gaſſendus.* Tab. X. *Balzacus.* De quo iudicatur, eum neque eloquentia, neque doctrina, valde excelluiſſe, cum tamen ſua aetate omnium facundiſſimus haberetur. Sed profecto, ſi de Francogallica eius oratione valet illud iudicium, ad latinam referendum non omnino nobis videtur. *David. Blondellus* Tab. XII. *Oliv. Cromwell.* Cuius numus propterea editus eſt, quod ille aliquamdiu ſtudiis operam dediſſet, et in hiſtoricis politicisque probe fuerit exercitatus. *Hier. Bignon. Io. Clerius. I. B. Goſlon Dux Aurelianenſis*, Frater Ludovici XIII. non ſummo merito hic locum occupans. *Anton. le Maitre.* Tab. XIII. *Io. Franc. Saracenus*, (Sarraſin). *Rab. a Canſtein. Paull. Scarron.* Huic bene convenit Genius cum accenſa face,

face, cui triceps draco ſubiacet, cum inſcriptione: *I'ai vaincu la douleur par les ris et les jeux. Dion. Talon.* Tab. XIV. *Mart. Geierus*, cum aliis. Non ille, ut hic traditur, in Ducali Sacello Zizae ſacrorum miniſter fuit, ſed in Aula Elector. Saxoniae. Neque tantum ſacras literas et orientales eruditus erat, ut habet Auctor, ſed ex primariis Theologis et Scr. S. interpretibus fuit, quos Eccleſia Evangelica habuit, vir doctrina et virtute praeſtantiſſimus. Verba Germanica in eius numo perperam hic edita, corrigenda ſunt hoc modo: *Seelig ſind die Sanftmüthigen.* Tab. XV. *Iulius* Cardin. *Mazarinus.* Tab. XVI. *Blaſ. Paſcal.* Huic iuſtae quidem laudes tribuuntur; ſed cum ad eius *Litteras Provinciales* pervenit Auctor, non iam illuſtriſſimum hoc ingenii, eloquentiae, et ſatyrici ſalis monumentum praedicat, ut par erat, ſed hoc unice memorat, *eas Pontificum, Epiſcoporum, Doctorumque decretis damnatas, nec non Rege ſupremisque curiis iubentibus, manu carnificis combuſtas eſſe, utpote quae, ut aiunt, Ianſenii doctrinae faveant.* Talia hoc Seculo ſcribenda non ſunt. Quot enim libri egregii combuſti ſunt iubentibus et Principes incitantibus ſtultis ſacrificulis! Itaque haec emendanda potius ſunt hoc modo. Hae litterae, quae corruptam a Ieſuitis doctrinam moralem acerrime exagitant, ut ſaepius damnarentur et cremarentur publice, apud patronos ſuos facile perfecerunt Ieſuitae; verum illa putida iudicia, et vanas illas combuſtiones adeo non curarunt viri literarum et humanitatis ſtudioſi, ut eas litteras numquam legere deſinant. Tab. XVII. *Paulus Segneri. Car. Vicecomes*, Comes *Blaſ. Franc. Paganius, Euſtach. Le Sueur.* Tab. XVIII. *I. Mich. Dilherrus. Io. Henis.* Quis iſte ſit, ignorare ſe fatetur Auctor; itaque illum nobis pro *Io. Henichio*, Theologo Rintelenſi, venditat. Lepidus error! Nam *Henis* iſte, quisquis fuerit, et habitu omni, et inſcriptione circumiacente, diſſimillimus eſt *Henichio.* Leginus enim hic inter alia: D. COM. PAL. EQ. D. M. Quod forte reddendum eſt: DE COMITIBUS PALATINIS, EQUES

DIVI

DIVI MARCI. Sed omnis numus parum accurate nobis videtur expreſſus; itaque ne coniecturis quidem hic locus eſt. Tab. XIX. *Franc. Manſart. Sam. Bochart. Hieron. Farneſius.* Tab. XX. *Io. Cocceius.* Fratres *de Witt. Io. Bapt. du Hamel.*

Praetermiſſis aliquot Tabulis, ad XXIV. tranſimus, in qua primus eminet *Molerius*, ille ſui Seculi Plautus. Tab. XXV. *Io. Milton.* Quem cur malum Chriſtianum dicat Auctor, non capimus. Sed plura de eo accuratius et plenius tradi potuiſſent. Tab. XXVI. *Hadr. Valeſius. Guil. de Lamoignon.* Tab. XXVII. *Frid. Mayerus. Tob. Iac. Reinhartus.* Corrigendum eſt, quod hic legitur, numisma in eum cuſum videri eo tempore, quo Erfurto, ubi Ius publice docebat, vocatus fuerit in Georgiam Auguſtam, anno nempe 1729. ut adiunctum chronoſtichon doceat. Sed hoc anno ſatis conſtat Academiam Georgiam Aug. conditam non fuiſſe. Itaque ad Erfurtenſem dignitatem referendus eſt hic numus. *Io. Schefferus. Io. Laur. Berninus.* Tab. XXVIII. *Io. Bapt. Colbert. Olivar. Patru*, alii. Mox Tab. XXIX. *Io. Fabricius.* Pro *Amburgis* p. 130. ſcribendum erat *Hamburgi*; deprecamur enim vim omnem exterorum ſcriptorum in nomina Theotiſca. Tab. XXX. *Pe. Cornelius. Ioach. de Sandrart.* Tab. XXXIII. *Helena Lucretia Cornelia Piſcopia*, mortua a. 1684. aet. 38. Doctoris gradum et lauream Patavii receperat, interque oblatus d. Benedicti vixit. *Franciſc. Turretinus. Io. Bapt. Lully. Io. Claudius. Chriſtoph. Wittichius.*

Iam Tabula XXXIV. et XXXV. novem numismata habet *Chriſtinae* Reginae, non illa quidem ignota, ſed tamen diligentius aliquanto illuſtranda, quam hic factum legimus. Plures etiam proferuntur *Azzolini* Cardinalis, quem illa heredem exaſſe ſcripſit, numi, ſed nec hi ſatis enucleati; ut ille v. c. qui mulieris imaginem refert, adiunctis his verbis:

DIVA

DIVA SPADA. Tab XXXVII. *Petrus Iurieu.* De quo falsa tantum vaticinia proferuntur, cum scripta quaedam egregia adiici quoque potuissent. *Guil. Sancroft*, cum VI. aliis Episcopis, Turri Londinensi inclusis. *Ren. Rapinus.* Tab. XXXVIII. *Phil. Quinault. Car. le Brun. Io. de la Quintinie. Isin. Bouilleau*, cuius de Lusitanicis Ecclesiis Liber egregius excitatur quidem, sed hoc tantum consilio, ut a Quaesitoribus Fidei notatus et damnatus dicatur fuisse. *Io. Fontanus*, cuius epitaphium, quod sibi ipse posuerat, *Iean s'en alla* etc. non male hic Hetrusce redditur. Tab. XXXIX. *Is. Benserade. Io. Santolius. Io. Commirius. Mich. Molinos.* Novae haereseos inventor dicitur hoc loco, quam nos, qualis fuerit, satis perspecta eius historia, ignoramus: homo enim mysticae Theologiae nimius amator, cum innumeris aliis monachis, eadem pene sentientibus, quietus victurus erat, nisi potentius inimicorum genus contra eum insurrexisset. Multi sunt in Sanctorum numerum relati ab Ecclesia Romana, qui multo ineptiora, et magis adfinia fanaticismo, quam ille, somniarunt. Tab. XL. *Anton. Arnaldus. Antonia de la Garde des Houlieres. Marcellus Malpighius. Io. Tillotson.* Tab. XLI. *Franc. Redi*, medicus clarissimus, cui ingenioso quidam numi inscripti sunt. Tab. XLII. *Sevignia*, illustris femina, epistolarum familiaris generis scribendarum arte princeps inter Francogallos. Tab. XLIII. *Io. Racinius.* De palma carminis tragici certavit, nonnullorum sententia, cum *Pe. Cornelio.* Ita fere Noster. Sed addendum erat, quibus rebus par, vel superior huic fuerit: quod satis iam a Gallis observatum meminimus. *Io. Ciampinus.* Tab. XLIV. *Balth. Becker.* De numis variis, memoriam eius servantibus, copiose satis dicitur, sed de opinionibus ipsis, quibus famosus factus est, nimis ieiune, imo ita, ut quibus ille parum notus est, hinc profecto eius ingenium et sententiam percepturi non sint. Dicitur tantum edidisse *Tractatum de natura et operationibus daemonum;* sed Liber eius celeberrimus *Mundi fascinati* nomen prae se fert, et praeter multa prave dicta, habet profecto simul

Digitized by Google

mul ad Chriſtianos monita, de daemonum quam extollunt potentia, perquam utilia. *Io. Henr. Horbius. Io. Caſp. Schade.* De hoc nihil prorſus quod memoret habuit Auctor, quam ut eum a *Io. Schade*, Medico Heidelbergenſi, diſtinguendum moneret. Sed intererat multorum Lectorum, praeſertim extra Germaniam, ſcire, hunc eſſe *Schadium* illum, qui in eam opinionem adductus, ſocordiam et impietatem hominum facile ali poſſe tribuendo illis nimium leviter peccatorum, quorum confeſſionem apud Miniſtros Eccleſiae edunt, abſolutionem, a confeſſionibus eiusmodi audiendis prorſus abſtinere coepit, eoque facto turbas non omnino leves excitavit Berolini, paullo ante mortem ſuam. *Io. Ben. Carpzovius. Io. Frid. Breithaupt.* Pro *Gorion Iaden*, (quem ſe ignorare fatetur Auctor, nec mirum, cum in natura rerum non exſtet, effinxit autem ex *Gorioniaden*, ut numus habet,) legendum eſt: *Ioſephus Gorionides*, quem *Breithauptius* latine vertit, et fruſtra genuinum *Ioſephi* opus eſſe defendit. *Sam. Bened. Carpzovius. I. I. Breithaupt.* Tab. XLVI. *Conr. Sam. Schurzfleiſch. Laur. Bellini. Io. Georg. Pritius.* Tab. XLVII. *Io. Paul. Bignon. Henr. Noris. Io. Locke.* Tab. XLVIII. *Pe. Bayle. Phil. Iac. Spener.* Nihil fere dicitur de Viri immortalis meritis. *Natalis Coypel. Wilh. Erneſt.* (non *Herneſtus*, ut hic editur,) *Tentzel.* Tab. L. *Bened. Averanius.* Tab. LI. *Henr. Newton*, alii. Tab. LII. Refert imagines *Boelaei* et *Fleſchierii*, illius poetae, huius Oratoris, inter Gallos claſſici. Tab. LIV. *Car. Marattus. Io. Henr. Feuſtkingius.* Tab. LV. octo numismata habet: *Livii Odeſchalchi*, Innocentii XI. P. M. ex Fratre nepotis. Tab. LVII. *Iac. de Tourreil.* Eadem, et Tab. LVIII. Numis quatuor oſtenditur *Anton. Magliabecchius.* Inter eos ille, qui inſcriptionem habet, *Scire noſtrum reminiſci*, inprimis placuit, non modo quod ſtupendam viri illius memoriae facultatem apte delignat, ſed quod plerique etiam eorum, qui vulgo eruditi vocantur, eam ſententiam ſuam facere poſſent. Nam apud homines ſapientes et ingenioſos, *ſcire plus eſt multo, quam reminiſci.* Tab. LIX. *Caſp. Neumannus.*

nus. Nic. Malebranche, de quo refertur ſcomma popularium:

Lui, qui voit tout en Dieu,
N'y voit pas qu'il eſt fou.

Adiecti ſunt in eadem Tabula *Fenelonii* et *Heraei* numi. Tab. LX. *Lud. Elies du Pin*, cum aliis. Tab. LXI. *Mich. Lilienthalius. Anna Daceria. Georg. Wolfg. Wedelius. Andr. Dacerius, Ger. Wolt. Molanus.* Tab. LXII. *Io. Alphonſ. Turretinus. Bened. Pictetus. Car. Ruaeus. Io. Chriſtoph. Wichmannshauſen.* Tab. LXIII. *Petrus* M. Ruſſorum Imper. *Guil. Wacke.* Hic Auctor declamat vehementer in Anglorum, immo et reliquorum Proteſtantium humanitatem, omnibus religionis profitendae modis libertatem concedentium. Nimirum, ex inſtitutis Romanis ſecures potius expediendae forent, et rogi accendendi DI meliora piis, erroremque hoſtibus iſtum! *Iſaac. Newton.* Tab. LXIV. *Cosmopolites*, h. e. clarus virorum doctorum Hamburgi olim conventus. *Aug. Herm. Francke.* Tab. LXV. Sex numismata in *Nic. Kederum.* Tria in *Chriſt. Thomaſium*, de cuius ſententiis et meritis minus accurate diſſeritur. Tab. LXVI. *Chr. Matth. Pfaff. Anton. Maria Salvinus.* Tab. LXVIII. *Anton. Valisnerius. Vinc. Maria Urſinus*, poſtea *Benedictus* XIII. P. Max. ſed melior Epiſcopus et monachus, quam Pontifex. Tab. LXIX. *Io. Iac. Baierus. Aloyſ. Ferdin. Marſilius. Io. Frid. ab Oſterwald. Io. Bapt. Roſſaeus* (*Rouſſeau.*) Plura corrigenda et ſupplenda eſſent in narratione de clariſſimo hoc poeta; unus tamen idemque mirabilis error tacendus nobis non eſt, quo ſuperſtes adhuc alter *Roſſaeus* (*Iean-Iacques Rouſſeau,*) cum hoc noſtro pridem defuncto male miſcetur p. 289, inde a verbis *praeſertim vero Diſſertatio*, usque ad exitum. *Iac. Vanierius. Anton. Houdart de la Motthe.* Tab. LXX. *Io. Petr. Ludwig. Io. Iac. Rambach. Ger. a Loon.* Tab. LXXI. *Iuſt. Chriſtoph.* et *Phil. Ludov. Böhmeri. Ioach. Negelinus. Chriſt. Mariana a Ziegler. Io. Iac. Scheuchzer.* Tab. LXXII. *Io. David Koeler. Io. Andr. Gleich. Mich.*

Mich. Henr. Griebner. Phil. Coſp. Pfannenſtiel. Pius Nicol. Garellius. Io. Alb. Fabricius. Io. Frid. Bachovius. Chriſtoph. Iac. Trew. Tab. LXXIV. *Sidon. Hedw. Zaeunemannia.* Tab. LXXV. egregium et maximi moduli numisma refert *Barthol. Curtium.* Tab. LXXVI. *Io. Chriſtoph. Wolfius. Guſt. Phil. Moerlius. Io. Godofr. de Meiern.* Tab. LXXVII. *Mart. Folkes* cum aliis. Tab. LXXVIII. *Io. Georg. Volckamer* et *Godofr. Thomaſius*, uno numismate expreſſi. Tab. LXXIX. *Matth. Io. Comes de Schulenburg. Guido Grandius.* Tab. LXXX. *Sam. Clarke. Io. Guſt. Reinbeck.* Ridiculo errore dicitur *diſcepolo di Michel Budeo Breitaupt*, cum hi tres fuerint Theologi ſatis clari, *Michaelis, Buddeus, Breithouptius.* Tab. LXXXI. *Eric. Benzelius.* Tab. LXXXII. *Io. Guil. de Goebel. Io. Anderſonius. Chriſt. Gottl. Schwarzius. Io. Iac. Vitriarius. Ern. Chriſtoph. Comes a Manteufel*, qui quondam urbem Lipſienſem elegerat receſſum, in quo cum litteris conſeneſceret, vir eruditiſſimus et perſpicaciſſimus; obiit, (nam annum mortis ignorare ſe ait Auctor,) anno 175. *Andr. Hercules Card. de Fleury.* Tab. LXXXIV. *Euchar. Gottl. Rinck. Hans Sloane. Edmund. Halley. Rob. Barker.* Tab. LXXXV. *Rob. Walpole. Alex. Pope. Io. Adam. Treſenreuter. Adam. Rudolph. Solger*, Antiſtes ſacrorum Noriberg. adhuc ſuperſtes. Tab. LXXXVI. *Laur. Mizlerus. Andr. Elias Buchnerus. Franc. Hutcheſon. Car. Linnaeus. Mauritius* Comes Saxo. *Erdm. Neumeiſterus.*

Strictim iam eos perſequamur, qui reliquis Tabulis XXII. conſpiciendi praebentur. Sunt autem *Burlamaquius. P. I. de Marperger. B. W. Marperger. Apoſt. Zenus. Lud. Ant. Muratorius.* N. L. Comes a *Zinzendorf*, quem Auctor *Graf* appellat, quaſi hoc nomen familiae ſit, cum *Comitem* deſignet potius.) *Abrah. de Moivre. Annib. Albanus.* Baro de *Montesquieu. H. G. Ebner ab Eſchenbach. Chriſt. Wolfius. Scipio Maffeius. Card. Quirinus. Phil. Stoſchius. Anton. Cocchius. A. F. Gorius. Fontenellius. Bened. XIV.* P. M. numis permultis. *Clemens XIII.* P. M. *Flamin. Cornelius. Voltaire. D. de*

Superville. Maupertuis. I. G. Carpzovius. Io. Taylor. Ian. Plancus. Io. Lamius. Pe. Metaſtaſius. Io. Freindius. L. M. Catharina Baſſi. Crebillon. Vulpius. Richey. Henr. Comes *de Brühl. Chriſtoph.* Card. *Migazzi.* Comes de *Treſſin*, et poſt alios plures, numeroſa cohors numismatum *Friderici II.* Regis Pruſſiae.

Opus omne dignum iudicamus doctrina egregia et ſtudio in litteras praeclaro Comitis *Mazzucchelli*, cuius inde comparata gloria neque eo minuitur, quod Commentarii Auctor ſaepiuscule peccavit, et longe frequentius, quam a nobis notatum eſt, quod etiam iniquiorem ſe praebuit Proteſtantium multis, et multis locis, et cum iudicare debebat accurate, vix ieiuna quaedam narravit. Artificis manus, Operi adhibita, multo elegantior deprehenditur in ornamentis quibusdam, ad extremas paginas ſubiectis, quam in ipſis numis exprimendis. Ceterum *Mazzucchellus*, qui Brixiae quaſi *Quirinum* alterum reddiderat, editisque *Scriptoribus Italiae*, *Vita* item *Archimedis* et *Petri Aretini*, multum erat laudis conſecutus, obiit XIX. Novembris anni MDCCLXV. aetatis anno ſupra quinquageſimum octavo.

DISSERTATIO EXPERIMENTALIS DE Electricitatis theoria ac uſu, quam in Sabaudica Nobilium Academia defendit ill. Dom. ANTONIUS L. B. PONGRAZ, anno 1762.

Vindebonae, typis Schultzii, Acad. typogr. pagg. 124. in 4to.

Elegans non minus, quam doctum hoc opuſculum, habet Auctorem S. R. Fulgentium Bauerum, e Scholis piis, Matheſeos ac Phyſices experimentalis Profeſſorem in Sabaudica Nobilium Acad. Vindebonenſi, et Academiae Roboretanae

tanae ſodalem celeberrimum Continet primum brevem, at ſummo acumine excogitatam electricitatis theoriam, experimentis ſuperſtructam; deinde uſus eius in explicandis variis naturae phaenomenis copioſe declaratur. Pro indubitato habet auctor Cl. ex infinitis experimentis, ubique cognitis, omnia electricitatis phaenomena generari a fluido aliquo longe tenuiſſimo, quod aut ignis eſt, aut ignem aemulatur, aut ſi mavis aether, aut quidvis aliud: praeditum illud eſt inſigni quadam vi ſe expandendi diffundendique, ſi ei repagulis laxatis exitus detur. Appellari ea vis poteſt elaſtica ſeu repellens ſeu quidvis aliud. Quemadmodum id experimenta, ut dicunt, repulſionis, ac inprimis phiala Leydenſis, docent: ita experimenta communicationis extra dubium ponunt, fluidum electricum de corpore in corpus communicatione transferri. Corpora itaque, de quibus, et in quae electricum fluidum transfertur ac transfunditur, capacia ſunt eius fluidi continendi recipiendique; hodieque induſtria Phyſicorum conſtat, omnia corpora continendi recipiendique fluidi electrici capacia eſſe. Difficilioris vero disquiſitionis res eſt, unde, aut ex quo fonte, cum corpora electrificantur, ignis ille ſcaturiat? Id quidem ex decretis Phyſices confectum eſt, latuiſſe eundem alicubi; nullum enim corpus, quod in lucem prodit, ex nihilo exſurgere poteſt. Ubinam vero flamma usque adeo furens latuit tamdiu? Hoc ut diſtinctius explicet Auct. Cl. docet, ad electricitatem excitandam, et frictione demonſtrandam, neceſſario requiri corpus fricans, corpus frictum, atque conductorem corpori fricto contiguum; porro globum, ceu corpus frictum, nulli, catenam duabus, pulvillum itidem duabus ſubiectum eſſe permutationibus. Quare non ſolum quatuor omnino experimentorum electricorum genera oriuntur, ſed et flamma illa homines in admirationem, et nonnumquam in ſtuporem rapiens, latet aut in uno ex his tribus, aut in omnibus, aut de uno omnibusque in aliud, aut in omnia introducitur. Concipi igitur poteſt in corporibus tri-

plex condenſationis fluidi electrici ſtatus. Etenim ſi quo in corpore lateat fluidum hoc, quin relaxatis repagulis diffluat in aliud fluidi electrici aeque capax corpus, quisquis condenſationis fluidi ſtatus eſt: hunc ſtatum condenſationis mediae appellat Auct. Cl. Hunc pro puncto, ut aiunt, fixo aſſumit, ex eoque maioris minorisque condenſationis gradus ac intervalla numerat. Porro, ſi quo in corpore fluidum electricum aut ſuſcitetur, aut ſuſcitatum alibi introducatur in iſtud ita, ut vel eadem fluidi maſſa in volumen minus, vel plus maſſae in idem volumen cogatur, appellat ſtatum maioris condenſationis. Tandem, ſi quo in corpore fluidum electricum aut ſuſcitetur, aut ſuſcitatum in iſto introducatur in aliud ita, ut vel eadem fluidi maſſa in volumen maius vel minus maſſae in idem volumen cogatur, appellat ſtatum minoris condenſationis. Ex his praeſtructis varias, quae totam eius theoriam abſolvunt, propoſitiones, una cum luculentis experimentis, eas extra dubium ponentibus, deducit: quae eo inter ſe nexu cohaerent, ut *niſi* omnes una cum experimentis huc transſcribantur, nullus in curioſos lectores redundaret uſus; intactas itaque eas relinquimus, hoc contenti teſtimonio: multa in iis nova occurrere, rationem experimentis demonſtrandi Auctoris Cl. in eo ſe maximopere commendare, magnamque theoriae probabilitatem conciliare, quod experimenta non ſolum luculenter deſcribat, ſed diſtincte ac ſeorſim notet: 1) apparatum ad quodvis experimentum neceſſarium, 2) phaenomena quae in quovis ſe percipienda praebeant, 3) ratiocinationes, quarum ope deductus eſt ad propoſitiones in theoria propoſitas, quas ubivis expreſſe enuntiat. Magno id eſt indicio, auctorem Cl. accurata mentis lance ſingula trutinaſſe; et Lectori accurata horum capitum diſtinctio ac enumeratio inſervit ad diſcernenda confeſſa a dubiis, vera a falſis. Et cum in diiudicanda de celebri illa de poſitiva ac negativa electricitate quaeſtione eadem arte verſetur, neminem pigebit, ea, quae a p. 32. ab A. traduntur, legiſſe.

Uſum

Uſum vero Electricitatis Parte II. declaraturus Auctor, ita verſatur, ut ex experimentis extra dubium poſitis, ope ratiociniorum eruat propoſitiones, quarum quaevis evidenter monſtrat, quae phaenomena naturae ab electricitate pendeant. Ut vero lectores luculentius earum vim capiant, non ſolum ex hiſtoriarum monumentis plane admiranda phaenomena deſcripta proponit; ſed et experimenta electrica ingenioſe excogitata praeſcribit, quorum ope accurate omnes eiusmodi relationum, quae olim homines ſuſpenſos tenebant, et ad ſuperſtitiones varii generis impellebant, circumſtantiae, producuntur atque illuſtrantur. Elegantium harum propoſitionum, ac novarum, praecipuas hic proferemus, quarum explicationes admodum curioſas ſi qui deſiderent, ex ipſa diſſertatione petent. Harum eſto: 1) tellus, et athmoſphaera telluris, pene perennibus electricitatis viciſſitudinibus ſibi colluctantur: 2) ſi quando colluctans athmoſphaerae et telluris electricitas, ignes aut ſurſum evocat, aut deorſum depluit, vehiculo trans athmoſphaerae plagas utitur aqueo: 3) veriſimile non eſt, ullam unquam tempeſtatem a ſaga concitatam fuiſſe: 4) nequaquam deſerenda ſpes eſt, fore aliquando, ut omnem tempeſtatibus ignem noxium, (niſi praeter omnem forte modum copioſus conglomeretur,) machinis ad electricitatis regulas rite compoſitis elidamus; id autem manifeſto patet, fulminum curſus artificio derivari de loco in locum poſſe, caedibusque hominum pecudumque modum poni: 4) cur quaedam fulmina urant, ſuccendantque? alia non urant nec ſuccendant, ratio in traiectoria facillima breviſſimaque poſita eſt: 5) electrico igne pleniſſime exhiberi poteſt admirandus effectus fulminis, quo argentum illaeſis loculis fudit; gladium illaeſa vagina: 6) Electricitas, ut fulmen, typis exſcribit, atque ferro eadem lege magneticam virtutem tribuit: 7) Electricitas vapores in aerem extollit, in aere ſuſpendit, et ex aere in tellurem depluit: 8) Nivium hexagonae figurae ab electricitate pen-

genitus differens, a fo. exterius, qui tamen in glande, ubi ad corpus cavernosum accedit, cum eo coalescit. Ductus seminalis ab epididymide ortus, ad basin glandis penis

NOVA ACTA ERUDITORUM,
publicata Lipsiæ.

Anno MDCCXXXIII. Mensem DECEMBRI.

I. D. LAMBERT DE CHEVRAUMONT Consilium Mathematicum, de rem vehiti Systemate.

Per diversos publicatos Novelle Literarie anno 1732. Hebdomadas 48. 49. 50. 51. & 52. & anno 1733. Hebdomadas 1. 2. 3. 4. & 5. Vir Cl. Joannes Bernoullius, Basileæ Professor, Problema proposuit, quo quæritur, quæ sit Curva, in qua Corpus, vi Gravitatis descendens, ab alio Corpore, ex Quiete in eadem Curva descendente, æquabiliter recedat? Quod Problema, ut ipse ait, ad Curvam Isochronam reducitur. Ego vero, cum Problema hoc ad Curvam Isochronam reduci non videam, Solutionem meam, quam ipsi Mense Septembri hujus Anni 1733. Parisiis communicavi, hic exhibeo.

ſtica et Logica iamiam notiſſima extare, neque alibi quaerendam eſſe, aſſerere haud dubitarent. Fuerunt quoque, qui calculi ideam, ſalvo loquendi uſu, ultra quantitates earumque affectiones extendi non poſſe aſſertum iverunt.

§. II.

Ne vero in exponendis aliorum ſententiis prolixior ſim, quam fert loci ratio, huiusque ſcripti ſcopus, brevibus dicam, quid ego de iſta re ſentiam. Calculi nomen ego hic non moror. Commune enim hoc eſt terminis abſtractis quibusvis, ut vel ipſo uſu loquendi, tum metaphorici, cum et univerſaliores, reddantur. Sic enim de *rationibus reddendis* loquimur, ſive de expenſis, ſive de factis et dictis quaeſtio occurrat. Sic et phraſes, *ſubducere calculos*, *ponere calculus*, ſenſu utique metaphorico, iis mentis operationibus denotandis inſervire videas, quibus ea, quae ad praefinitum finem aſſequendum faciant, legitimo ratiociniorum nexu colliguntur. Sic et ſaepiſſime auctores ea, quae fuſius ab iis fuerunt expoſita, *in ſummam colligere*, vel partes tractationis *enumerare*, vel denique errores in ratiociniis admiſſos *erroribus calculi* aequiparare animadvertas. Quodſi ergo inveniatur methodus, rerum qualitates, vel veritates, vel ideas, ea ratione tractandi, qua in Algebra tractari videmus quantitates, utique vel ipſa tractationis ſimilitudo *calculi qualitatum, veritatum, vel idearum*, nomen requiret, ſaltem huic denominationi neque res ipſa, nec linguae genius refragabitur.

§. III.

Videamus ergo, qua ratione ab ipſo calculo arithmetico et algebraico, univerſalior calculi idea abſtrahi poſſit. Primo quidem abiicienda erit idea *quantitatis*, quippe quae ipſa nimis eſt ſpecialis. Subſtituas in eius locum *qualitates*, *affectiones*, *res*, *veritates*, *ideas*, vel *quaecunque demum tractari, combinari, connecti, ſeiungi, atque in varias variasque mutari*

tari poſſint formas, cunctas iſtas ac ſingulas facere ſubſtitutiones per rem ipſam licet. Singulae enim hae operationes et mutationes, debito ſervato diſcrimine, et in ipſas quantitates cadunt.

§. IV.

Porro, quae in calculo arithmetico occurrunt ideae *aequalitatis*, *aequationis*, *rationis*, *relationis*, *proportionis*, *progreſſionis*, etc. his utique univerſaliores ſubſtituendae veniunt. Quare in locum *aequalitatis* ſurrogare conveniet *identitatem*, in locum *aequationis identificationem*, ſi active vox iſta ſumatur, in locum *proportionis analogiam*. Et ſi retineantur voces *relatio*, *progreſſio*, earum ſignificatus, quod ipſe loquendi uſus ſuadet, eo usque eſt extendendus, quousque inter *res*, *qualitates*, *affectiones*, *ideas*, vel *veritates*, quibus accommodandus eſt calculus, *relationes* et *progreſſiones* concipi poterunt. Hoc vero vel maxime erit notandum, *relationes iſtas ad determinandam calculi formam haud parum conferre*, *iisque potiſſimum niti cunctas iſtas operationes*, *quas ipſum calculi obiectum admittit*.

§. V.

Has vero operationes quod attinet, probe erit diſpiciendum, *an data quavis operatione ſimplici*, *qua res vel mutatur*, *vel formam mutat*, *alia inveniri poſſit vel detur operatio*, *qua vel res*, *vel forma reſtitui queat?* Hoc enim ſi fuerit, hanc inde habebis calculi inveniendi praeſtantiam, ut *analyſi* aeque ac *ſyntheſi* inſerviat. Calculum algebraicum hoc gaudere commodo abunde conſtat. Ita vero operationes arithmeticas ſibi invicem vides oppoſitas, ut quae vel addendo, vel multiplicando mutantur, ſubtrahendo vel dividendo reſtitui poſſint.

§. VI.

Quod ipſa denique *ſigna* vel *characteres* ſpectat, quos in vicem lapillorum ſubſtituas, iſti ita vices tenere *rerum relationum*, et *operationum* debent, *ut ad eandem demum rei cognitionem pervenias, ſive ſigna, ſive rem ipſam tractes;* hoc tamen intercedente, eoque vel maxime notando diſcrimine, *ut dum ſigna tractas, ab ipſa rei notione animum abſtrahere poſſis, ſimul ac initio calculi ſigna pro rei ipſius natura rite fuerint poſita.* Sic enim in Algebra, quoties ad aequationes perventum eſt, ab ipſa rei conſideratione animum abſtrahere licet, et tota quaeſtio ad reſolutionem aequationum reducitur, quae parum abeſt quin ope machinae abſolvi poſſit.

§. VII.

Quum, uti iam dictum eſt, et *res*, et *relationes*, atque pendentes inde *operationes*, ſignis ſunt exprimendae, hoc ita erit faciendum, ut quae in *rebus* et *relationibus* ſimplicia ſunt, ſimplicibus, iisque velut primitivis et radicalibus efferantur ſignis, quo ipſo porro componi, et quae compoſita ſunt eadem ratione iterum decomponi vel reſolvi poſſint, qua res ipſae vel componuntur, vel decomponuntur.

§. VIII.

At vero hic ſeſe nobis offert notabile illud diſcrimen, quod inter *ſigna rerum* et *ſigna relationum* occurrit, quodque eo ipſum *calculum rerum* a *calculo relationum* reddit diverſiſſimum. *Calculus rerum*, quem fere *characteriſticam* dixeris, maxime ſpecialis, immo et individuus eſſe poteſt, ac magna ex parte debet. Contra ea *relationum calculus*, qui cum *arte combinatoria* vel *Specioſa generali* magnam habet affinitatem, vel ſua natura univerſalior eſt; una quippe eademque relatio, inter res plurimas, et maxime inter ſe diverſas locum habere poteſt, ut adeo *calculus relationum*, vel hanc ob

cauſ-

Digitized by Google

cauſſam, *formam rerum et notionum* potiſſimum ſpectet.

§. IX.

Porro ſigna, niſi picturas rerum ſignorum loco eſſe velis, magna ex parte ſunt arbitraria, ipſisque rebus parum ſimilia. Quare cum et ipſa ſigna compoſita, rem, quam denotant, vel nulla intercedente cum re ſimilitudine indicent, patet, rem ipſam per *relationes*, quas ſigna exhibent, detegendam, vel per ipſas *operationes*, quae relationibus iſtis indicantur, iisque nituntur, eruendam vel efficiendam eſſe. Quo vero et haec exemplo calculi numerici et algebraici clariora reddantur, notabo cyphras vel ſigna numerica ordine naturali in Syſtemate numerico 1, 2, 3, 4, 5, 6, 7, 8, 9, 10, 11, etc. diſpoſita, hic mihi eſſe ſigna rerum, res enim hic ſunt multipla quaelibet unitatis. Contra ea ſigna $+ - . : \Gamma = > <$ quibus in Algebra utimur, ſigna ſunt relationum et operationum. Quodſi ergo ſcribatur v. gr.

$$3 + 5 = 6 + 2$$

relatio quaedam inter numeros 3, 5, 6, 2 exprimitur, ſimulque operatio indicatur, qua veram eſſe hanc relationem colligere poſſis, quippe 8 prodit, ſive 3 et 5, ſive 6 et 2, in ſummam colligas. Quoniam vero in Algebra univerſaliores plerumque computantur quantitatum relationes, hinc factum eſt, ut in locum numerorum, quibus in regula falſae poſitionis uſi ſunt antiquiores Arithmetici, literae, ſeu ſigna quaevis alia, quantitates quascunque denotantia, fuerint ſubſtituta.

§. X.

Que hactenus dicta ſunt calculi formam ſpectant ac indolem, praecipuaque ipſius complectuntur requiſita; atque his ipſis calculi definitio mere nominalis ſuperflua redditur, quippe ea, quae rem ipſam ingrediuntur, eamque to-

tam conſtituunt, vides enumerata. Quoniam vero hic potisſimum de *calculo qualitatum* praefari propoſitum eſt, de *qualitatibus* adhuc quaedam erunt dicenda, hocque vel eo magis, quod dubium eſt, an ulla rerum qualitas, ſtrictius ſumto hoc vocabulo, nobis vere ſit nota?

§. XI.

Qualitas, utcunque ſumatur haec vox, opponitur *quantitati*: differt a *meris relationibus*, atque ſeiungitur ſaltem cogitatione *ab ipſa re partibusque rei*, cui, ſub forma qualitatis, qualitas ineſt vel inhaeret. Conſequens hinc eſt, *qualitatem eſſe attributum quodvis ſimplex, rei ipſiusve partibus inhaerens.* Etenim attributum quodvis compoſitum, eiusque compoſitio, abſque intercedentibus partium componentium relationibus, cogitari nequit. Quodſi vero ab iſtis relationibus abſtrahas, eo ipſo compoſiti attributi vincula et veluti ligamenta ſolvis et tollis, ut mera relinquantur attributa ſimplicia, diſſociata, atque quaevis per ſe et independenter a reliquis ſpectabilia. Quod ſi porro res ipſa ſit ſubſtantia compoſita, neque ipſae eius *partes* qualitatum nomine veniunt. Sic enim v. gr. ab uſu loquendi vel *toto* caelo aberrabis, dicendo, caput vel brachium eſſe *qualitatem* hominis; *partem* eſſe, quilibet concedet. Eadem ratione ne minima quidem particula ſubſtantiae compoſitae inter ſubſtantiae qualitates refertur.

§. XII.

Hinc ergo quaelibet res, reique pars in ſe ſpectata, *qualitates* offert; cum aliis vel rebus, vel partibus comparata, coniuncta, connexa, *relationes*. Quoniam porro res externae nobis non alia ratione innoteſcunt, quam ope impreſſionis, quam vel immediate, vel adiuvante medio interpoſito, in organa ſenſoria faciunt, utique hac ratione plures relationes externae ſeſe conceptui ipſarum qualitatum im-

immiſcent. Ita enim antiquioribus temporibus colores corporum, inter eorum qualitates veras, id eſt internas, referre nemo dubitavit. Colores tamen corporibus haud ineſſe, verum meris luminis modificationibus conſtare, exactiores recentiorum Phyſicorum disquiſitiones et experimenta docuerunt. Adeſſe tamen in corporibus, horumque particulis, eam qualitatem, qua poſita poſſibilis ſit luminis colorati reflexio, nullo modo dubium eſſe poteſt. At vero quaenam reapſe ſit iſta qualitas, quove nomine ea ſit compellanda, altioris utique eſt indaginis. Simili modo plurimas alias rerum affectiones, qualitatum ſpeciem mentientes, nequaquam meras vel puras qualitates, verum vel partes, vel relationes, vel utrasque una cum qualitatibus et quantitatibus permixtas atque confuſas eſſe, deprehendes.

§. XIII.

Quae quum ita ſe habeant, hanc ipſam ob difficultatem, veras ac puras, easque ſimplices rerum qualitates, a reliquis earum iisque complexis affectionibus internoſcendi, iam inde ab antiquiſſimis retro temporibus qualitatum nomen laxiori ſignificatu ſumi coepit. At vero, admiſſo hoc ſignificatu minus ſtricto, quid qualitas generatim denotet, definiri vix poteſt. Opponitur quidem adhucdum quantitati, et partibus rei, et relationibus externis per ſe manifeſtis. Contra ea ipſa qualitatis ſimplicitas, quatenus in dato quovis caſu, minus nota, minusque evidens eſt, perinde habetur. Porro eae affectiones, quae uti colores, rebus quidem ipſis non inſunt, ineſſe tamen atque conſtanter ipſis ineſſe videntur, plerumque, et communi loquendi uſu, qualitates habentur. Magno tamen id fieri cognitionis ſcientificae detrimento, hi facile largientur, quibus, acriori inſtituto examine, ad veras internasque rerum qualitates penetrare curae cordique eſt.

§. XIV.

§. XIV.

His ita praenotatis, videamus, an in ſymbolica rerum expoſitione quidquam occurrat, unde, quibusnam nominibus ipſae rerum qualitates inſigniuntur, colligi queat? Duplex vero hic ſeſe nobis ſiſtit examen ſuſcipiendum. Etenim diſpiciendum erit de ea verborum claſſe, quae qualitatibus denominandis propria dicanda eſt. Porro videndum, qua ratione efferatur tum modus quo qualitas rei inhaeret, cum et iſte modus, quo plures qualitates, eaeque vel maxime ſimplices, cum eidem ſubiecto una ſimulque *inſunt*, invicem ſunt coniuncta, ut etſi ſingulae per totum ſubiectum, vel totam eius partem quaſi diffundantur, attamen nequaquam confundantur, nec in unam coaleſcant, quae qualitatis ſimplicis ſpeciem prae ſe ferat, fucumque faciat.

§. XV.

At vero in linguis, quae actu dantur, mirum in modum hic omnia reperiuntur confuſa. Claſſis verborum, quae qualitates ſub forma qualitatum ſiſtat, adiectivorum claſſis eſſe deberet. Nequaquam tamen cuncta adiectiva qualitates deſignare deprehenduntur. Porro et inter Subſtantiva plurima occurrunt, quae non ipſas ſubſtantias, verum earum qualitates, quantitates, relationes, actiones, paſſiones, ſitus, habitus, vel modos deſignant. Hanc vero ipſam ob cauſſam difficilius dignoſcitur, vel ad unam eandemque univerſalem normam revocatur modus ille, quo relatio inter qualitatem et ſubiectum, cui inhaeret, exprimatur. Quae quum ita ſint, ad ipſas res ideasque maxime ſimplices erit attendendum.

§. XVI.

Sumamus itaque voculam *eſt*, quam in logicis copulam propoſitionum maxime univerſalem eſſe docemur. Hac

Hac vero voce denotari poſſe modum, quo qualitas ſubiecto ſuo inhaeret, evidens eſt. Sit ergo propoſitio

A eſt B

atque *A* ponatur eſſe ſubſtantivum, *B* vero adiectivum, *B* plerumque, latiori licet ſenſu, qualitatem denotabit. Quodſi vero et *B* ſit ſubſtantivum, tunc vel eſt nomen genericum qualitatum quarundam complexum denotans, vel erit aliud quodvis ſubſtantivum abſtractum, qualitates, vel relationes, vel earum complexum denotans. Exempli loco ſunt poſitiones ſequentes:

I°. *Lapis* eſt *gravis*, *durus*, *extenſus*, *friabilis* etc,

II°. *Ceraſus* eſt *arbor*, *planta*, *creatura* etc.

III°. *Virtus* eſt *habitus*, *ornamentum*, *decus*, *praemium* etc.

Contra ea praedicatum *B*, retenta copula *eſt*, neque pars eſſe ſubiecti *A*, neque partis attributum eſſe poteſt. Sic enim poſitiones

Homo eſt corpus, *pes*, *oculus*, *vena* etc.

niſi metaphorico ſenſu accipiantur haec praedicata, ab uſu loquendi alieniſſimae ſunt. Sic et nemo ſanus hominem caeruleum eſſe dicet, propterea quod color iridis in eius oculo caeruleus eſt.

§. XVII.

Eam itaque eſſe videmus copulae *eſt* naturam atque indolem, ut adhiberi nequeat, niſi praedicatum *B* totum ſubiectum *A* concernat, ipſique toti inhaereat. Dandum quidem hoc eſt conſuetudini et uſui loquendi, ut ſaepius a potiori fiat denominatio. Sic enim *hominem quendam prudentem*, *doctum*, *virtuoſum eſſe* audies, etſi haec praedicata in corpus humanum, eiusque varias partes, haud cadant.

Sic et *horologium aureum esse* dicitur, etsi vix receptaculum, vel capsula cui includitur, aurea sit. At vero, etsi hoc dandum est vulgari loquendi consuetudini, attamen cunctae istae anomaliae, a summo illo rigore, summaque cura, qua singula prosequi atque exponere debet philosophus, multum abludunt. Praeterea eiusmodi dantur casus haud pauci, quibus quaestio ea, an praedicatum toti conveniat subiecto nec ne, maximi momenti res est. Sic enim v. gr. idealista hominem mere animam esse, materialista mere esse corpus, contendet.

§. XVIII.

Cum itaque philosophus, vitandae confusionis, vitandique erroris ergo, totus in hoc esse debeat, ut quae subiecto cuivis *A* tribuit praedicata *B*, toti ea subiecto inhaerere probe sciat. Eadem in dirimendis rerum partiumque discriminibus solertia aliud insuper post se trahit commodum, hoc ipso quippe ad mathematicam rerum cognitionem, quae communi consensu summa cognitionis perfectio, summumque fastigium est, viam aperit atque sternit. Ponas enim in propositione

A est *B*

praedicatum esse maxime simplex, idemque toti subiecto uniformiter inhaerere, aderit utique ea subiecti *homogeneitas*, qua deficiente de mathematica rei cognitione ne cogitari quidem potest. Ponas v. gr. *aurum esse grave, extensum, ductile etc.* singula haec praedicata in aurum, singulasque eius partes, cadunt uniformiter. Hoc ipso vero fit, ut volumen auri cum pondere, eiusque massam cum longitudine fili datae crassitiei comparare, cunctaque ad calculum numericum revocare possis. Eandem ob causam vix mireris, geometriam ab antiquissimis temporibus iam fuisse excultam, cum fere nullum detur ens per omnes partes

adeo

adeo abſolute homogeneum, quale ſpatium, ſcientiae iſtius obiectum, eſſe deprehenditur.

§. XIX.

Contra ea, quoties heterogeneis partibus conſtat ſubiectum, vix ullum dabitur praedicatum ſingulis iſtis partibus aeque eademque prorſus ratione conveniens. Quare hiſce caſibus confuſionem tollere per omnia non datur, niſi ea, quae cuique parti, partiumque nexui, ſeorſim tribuenda ſunt, ſeorſim diſcutiantur. Quod niſi fiat, philoſophica rei cognitio confuſa, mathematica vero vel erronea, vel nulla eſt. Hac itaque ratione utraque haec cognitio pari ambulat paſſu.

§. XX.

Quodſi in uno eodemque ſubiecto maxime homogeneo plures ſpectentur qualitates invicem ita coniunctae, ut una eademque idea vel nomine comprehendantur, tunc gradus totius complexus maior vel minor fit, quaecunque iſtarum qualitatum gradum intendat vel remittat. Ita v. gr. in mobili quantitatem motus auctam vides, ſive maſſa, ſive celeritas augeatur. Sic et vim eius maiorem deprehendes, ſi una cum maſſa et celeritate duritiem vel elaſticitatis gradum augeri ponas. Quoniam itaque gradus totius complexus eo maior eſt, quo maius eſt factum ex gradibus ſingularum qualitatum invicem coniunctarum: patet, haud abs re eſſe, ſi ſingulae iſtae qualitates ſigno multiplicationis invicem coniungantur, id eſt, ſi ſigna, uti hoc fit in Algebra, iuxta ſe ponantur. Id ipſum vero vel in ipſis linguis fieri, cum qualitates adiectivis plerumque exponantur, quorum comparativi gradus exprimunt maiores, ſuperlativi maximos, vel ſua ſponte liquet. Ponamus v. gr. dari *perfectionis* ſpeciem quandam, quam *p* dicemus, quaeque conſiſtat *varie conſenſu partium*, hanc *perfectionem eſſe varium conſenſum* haud invito linguae genio dixeris, atque ſcribendo

$$p = v\,c$$

una eademque opera, et *aequationem*, et *identitatem* ſcribes. Etenim ipſa res ſubiecta, nempe *perfectio p*, *idem* dicit ac *varius conſenſus*. At inſuper gradus huius perfectionis *aequatur* facto ex gradu varietatis et conſenſus.

§. XXI.

Notandum tamen, *aequationem* et *identitatem* iſtam haud ſemper ubivis eſſe aeque coniunctam, verum identitatem quodammodo latius patere, cum dentur qualitates gradum non admittentes. Sic v. gr. in exemplo allato ipſe *conſenſus*, ſi intenſitatem ſpectes, gradus unitate ſaltem maiores non admittit, ut adeo ex numero partium conſentientium ſit aeſtimandus. Sic et ſi *ſimilitudinem* ad *identitatem notarum* vel *attributorum* revoces, ipſa *identitas* gradus non admittit, ut adeo ex numero, magnitudine et momento, vel praeſtantia attributorum, ſimilitudinis gradus aeſtimare oporteat.

§. XXII.

Porro et hanc ob cauſſam in deſignandis rebus latius patet identitatis uſus, quod ipſum ſignum, quo denotatur ſubiectum partibus pluribus maximeque heterogeneis compoſitum, identificari cum ſignis illis poteſt, quibus ſingulae partes, earumque nexus denotantur, ita ut ipſa deſignatio realem, eamque completam ſubiecti definitionem ſiſtat, atque velut ob oculos ponat. His vero caſibus, quo partes partibus iunctae ſunt, ipſa partium coniunctio non modo *additionis* ideam ſpeciemque quandam nobis offert, verum et ipſum *modum*, quo partes partibus adduntur, una complectitur, ut adeo duplici ratione ab additione mere arithmetica differat iſta additio. Etenim, quae arithmetica eſt additio, partium addendarum certam quandam homogeneitatem ſupponit, atque modum coniunctionis perinde habet.

Digitized by Google

bet. Quodſi ergo ſignis exprimenda ſit partium coniunctio, aut pro quavis coniunctionis ſpecie peculiare ſignum erit aſſumendum, aut ſi coniunctionem quamlibet, generatim additionis ſigno + denotes, ipſum coniunctionis modum, inſtar determinationis, ipſi ſigno, quo pars coniuncta exprimitur, adiicere convenit. Simili, ſed oppoſita ratione, partium ſeiunctionem et demtionem generatim ſigno ſubtractionis — denotari poſſe, vel ſua ſponte liquet.

§. XXIII.

His generatim praeſtructis, videamus, qua ratione qualitatum calculus, quatenus logicus eſt, formamque ſpectat, inſtrui poſſit. Tota quidem res, quod facile patet, ad identificationem propoſitionum, vel, ut rectius loquar, ipſarum idearum reducitur, quae in qualibet propoſitione ſubiectum atque praedicatum eſſe ponuntur. Quem in finem identitatem, ut ſupra iam factum eſt, ſigno =, ipſas vero ideas alphabeti literis denotabimus.

§. XXIV.

Ipſa autem identificatio nullum faceſſit negotium, quoties propoſitio deſignanda iam per ſe fuerit identica, ſive univerſaliter converti poſſit. Ita enim v. gr. propoſitio

Triangulum eſt figura trilatera

cum identica ſit, vel ſua ſponte identitatem praebet

$$T = ft$$

§. XXV.

Contra ea, ſi propoſitio univerſaliter quidem ſit affirmans, univerſaliter tamen converti nequeat, id indicio eſt, plura contineri in idea ſubiecti, quam in idea praedicati, ut adeo, quo ad identitatem reducatur poſitio, praedicato adiicien-

iiciendus ſit totus ille determinationum complexus, quae praeter ipſum praedicatum in ſubiecto continentur. Iſte vero determinationum complexus, brevitatis ergo, unica indicetur alphabeti litera, ipſi literae, qua praedicatum effertur, adiicienda. Atque facile patet, ſpecialem eius ſignificatum, in dato quovis caſus quoties opus fuerit, ex ipſa ſubiecti idea, eiusque cum praedicato comparatione, eſſe determinandum. Detur v. gr. propoſitio

$$T \text{ eſt } f$$

cuius ſubiectum, praeter determinationem f, alias inſuper complectatur, haec vel hanc ipſam ob cauſſam atque ſub forma propoſitionis ſcribi poterit

$$T > f$$

Quodſi vero ad identitatem ſit reducenda, praedicato f adiiciatur litera t, reliquas ipſius T determinationes complectens, atque habebitur identitas

$$T = ft$$

quae quid ſibi velit, exemplo trianguli ante allato facile illuſtratur.

§. XXVI.

Notari porro convenit, hoc identificandi modo retineri ideam ſubiecti; etſi hoc non abſolute ſit *neceſſarium*, cum ad identitatem perveniri aeque poſſit, ſi ipſi ſubiecto cunctae illae determinationes demantur, quas praedicato adiiciendas eſſe diximus. Quodſi vero hac ratione priori prorſus oppoſita procedere velis, identitas ſequenti ratione erit deſignanda

$$T : t = f$$

ſive etiam

$$\frac{T}{t} = f$$

Deni-

Denique et hoc notabimus, ſcribendo

$$T \succ f$$

ſignum $\succ$ non modo univerſalitatem ideae T, verum et particularitatem ideae f indicare, ut adeo hic ſignandi modus, una eademque opera utramque poſitionem

omne T eſt f
quoddam f eſt T

ob oculos ponat.

§. XXVII.

Quoniam vero praeter iſtas propoſitiones particulariter affirmantes, quae ſi convertantur univerſales evadunt, aliae inſuper dantur, quae utroque modo mere particulares ſunt; videndum eſt, qua ratione et hae deſignari atque ad identitatem reduci poſſint. Quod ad prius attinet, huiuscemodi poſitiones ſic ſcribantur, ut in vicem ſigni $\succ$, quo ob univerſalitatem, quam denotat, hic uti non licet, ſubſtituatur ſignum $\backsim$, ita ut utraque poſitio

Quaedam A ſunt B
Quaedam B ſunt A

una eademque opera notetur

$$A \backsim B$$

Quoniam porro particularitas harum poſitionum inde eſt, quod neque tota idea B contineatur in idea A, nec tota idea A in idea B, conſequens eſt; utrique ideae eas adiiciendas eſſe determinationes, quibus altera cum altera identificetur, ita ut, ponendo

$$\blacksquare A = n B$$

utra-

utraque habeatur positio universaliter affirmans

$$m\,A > B$$
$$n\,B > A$$

Ponas v. gr. esse

$$A = \textit{triangulum acutangulum}$$
$$B = \textit{triangulum scalenum}$$

neutra harum idearum tota in altera continetur, ut adeo quaedam tantum A esse B, et quaedam tantum B esse A, recte affirmetur. Quodsi vero *triangulum acutangulum*, *scalenum* quoque esse debeat, adiicienda erit determinatio m, quae est *inaequalitas angulorum*. Simili porro ratione, si *triangulum scalenum acutangulum* esse debeat, adiicienda erit determinatio n, quae *quadratum maioris lateris minus esse debere* requirit *ac est summa quadratorum utriusque lateris minoris*.

§. XXVIII

Propositionum universaliter, id est simpliciter negantium, ea est indoles, ut in subiecto A contineantur determinationes p, quae non insunt ipsi praedicato B, et vicissim praedicatum B contineat determinationes q, quae non insunt ipsi subiecto A. Quodsi ergo ipsi A demantur determinationes p, et ipsi B determinationes q, patet, sic deveniri ad identitatem

$$\frac{A}{p} = \frac{B}{q}$$

vel

$$A : p = B : q$$

Posterior hic signandi modus formalem offert *analogiam*, atque ponendo

$$A : B = p : q$$

A sese habebit ad B, uti se habet p ad q, sive, quod idem dicit,

Digitized by Google

cit; *A differt a B, uti p a q.* Etenim duae res vel ideae quaecunque ſunt inter ſe in ratione diverſitatum. Denique ſi omittatur vel p vel q, utramque habebis poſitionem univerſaliter affirmantem

$$A \succ B : q$$
$$B \succ A : p$$

Etenim $B : q$ illas ipſius B determinationes, easque ſolas denotat, quae ipſi A inſunt, atque viciſſim $A : p$ nonniſi eas determinationes ipſius A exhibet, quae et ipſi B inſunt; ut adeo nullum ſit dubium, quin $B : q$ de A, et $A : p$ de B univerſaliter affirmari poſſit. Addamus exemplum ponendo

$$A = \textit{theorema} = \textit{propoſitio demonſtrabilis}$$
$$B = \textit{problema} = \textit{quaeſtio demonſtrabilis}$$

atque caſum habemus poſitionis univerſaliter negantis,

nullum theorema eſt problema.

patetque ſimul eſſe

$$p = \textit{propoſitio}$$
$$q = \textit{quaeſtio}$$

atque fieri

$$\frac{A}{p} = \frac{B}{q} = \textit{demonſtrabilis}$$

ſive $A : p = B : q$

ſive $A : B = p : q$

iſt eſt, *theorema ſe habere ad problema uti ſe habet poſitio ad quaeſtionem*; denique eſſe

$$A \succ B : q$$
$$B \succ A : p$$

sive, *omne theorema omneque problema esse demonstrabile*, et vicissim, *quaedam demonstrabilia esse theorema vel problema* etc.

§. XXIX.

Supersunt positiones particulariter negantes. Hae vero, adiectis ipsi subiecto debitis determinationibus, facile redduntur universaliter negantes, ut adeo, quo ad identitatem reducantur, sic efferenda veniant

$$\frac{mA}{P} = \frac{B}{Q}$$

quo signandi modo una eademque opera indicantur positiones

quoddam A non est B

nullum m A est B, et *nullum B est m A*

omne m A est B : q

omne B est m A : p

Notandum tamen, plerumque id evenire ut sit $m = p$. Quoniam enim nonnisi quaedam *A* non sunt *B*, patet, rationem ipsius negationis non in idea generali *A*, verum in adiecta determinatione *m* esse quaerendum, ut adeo propositio

nullum *m A* est *B*

ideo vera sit, quod ipsi subiecto *m A* inest determinatio *m*. Hanc vero determinationem demendam esse, si quidem ipsam propositionem ad identitatem reducere velis, ex praecedente §. liquet. Sic v. gr. si fuerit ut in §. 27.

A = *triangulum acutangulum*

B = *triangulum scalenum*

atque

quoddam A non erit B

Digitized by Google

At iam illa A, quae non sunt B, adiecta determinatione sint $= mA$, atque per m intelligenda erit *aequalitas duorum vel omnium trianguli angulorum.* Cum ergo ipsa haec *aequalitas* impedimento sit, quo minus triangulum possit esse *scalenum*, consequens est, eam iterum esse demendam, quo ipse fit $m = p$, atque simpliciter erit

$$\frac{mA}{p} = \textit{triangulum.}$$

Quoniam vero iam et ipsi B demenda est *inaequalitas* latetum, quo cum $mA : p$ identificari possit, consequens est, posita ista *inaequalitate* $= q$, fore

$$\frac{mA}{p} = \frac{B}{q}$$

En ergo, qua ratione, via maxime naturali, singulae propositionum species ad identitatem perduci possint. Addamus adhuc quaedam de *analogiis.*

§. XXX.

Quodsi in genere se habeat *A ad B, uti C se habet ad D*, iste quatuor idearum vel rerum respectus, istaque relationum identitas, *analogia* vocari commode poterit, atque ita notanda venit, ut scribatur

$$A : B = C : D$$

Hinc quoque erit

$$A : C = B : D$$

Quaeritur iam, qua ratione, datis tribus terminis A, C, B, quartus D ex istis inveniri possit? Hunc in finem fiat, haud secus ac in Algebra,

$$D = \frac{CB}{A}$$

atque hinc conſequens eſt, in utraque idea CB coniuncta contineri totam ideam A, quae ſi dematur, relinquetur idea quaeſita D. Quo haec dicta exemplo faciliori illuſtrentur, ponamus, *theorema ſe habere ad problema uti ſe habet axioma ad quartam quandam rem vel ideam, quam x vocabimus.* Erit retentis brevitatis ergo vocum literis initialibus

$$T : P = A : x$$
$$x = \frac{PA}{T}$$

Quae formula operationes indicat cum ipſis ideis P, A, T ſuſcipiendas, quo inde detegatur x. Evoluendae nimirum ſunt iſtae ideae, atque in determinationes vel notas ſimpliciores ſunt reſolvendae. Quod ſi fiat, habebitur

$$P = \textit{quaeſtio demonſtrabilis} = qd$$
$$A = \textit{propoſitio indemonſtrabilis} = pi$$
$$T = \textit{propoſitio demonſtrabilis} = pd$$

Quare facta ſubſtitutione erit

$$x = \frac{PA}{T} = \frac{qdpi}{pd}$$

ſive reductione facta, uti fit in algebra, ſublatis nempe d, p, habetur

$$x = qi = \textit{quaeſtio indemonſtrabilis} = \textit{poſtulatum.}$$

Optandum utique eſſet, ut *reſolutio cuiusvis ideae in notas ſuas ſimplices* calculo abſolvi poſſet. Problema vero hoc problemati arithmetico, de *reſolvendo quovis numero non primo in factores quos habet ſimplices vel primos*, cum ratione uſus, tum et ratione ipſius difficultatis, admodum ſimile eſſe facile patet.

§. XXXI.

Quoniam, uti vidimus, poſita analogia

$$A : B = C : D$$

idea

idea A in utraque media $B\,C$ coniuncta, tota contineri debet, hinc facile deducitur criterium cognoscendi, *an datae tres ideae quaecunque tres analogiae termini constitui possint?* Quodsi enim earum quaelibet in utraque altera iunctim sumta non contineatur tota, analogia locum habere nequit. Sin vero contineatur, analogia locum habebit, si ista idea, quae in utraque altera tota continetur, primus analogiae terminus constituatur.

§. XXXII.

Videamus iam, qua ratione ea, quam supra docuimus, propositionum identificatio, cum admodum sit naturalis, in syllogismorum doctrina adhiberi possit? Hunc in finem sumamus propositionum formam maxime generalem et indeterminatam, sitque in genere

universaliter affirmans $A = n\,B$
particulariter affirmans $m\,A = n\,B$
universaliter negans $A : p = B : q$
particulariter negans $m\,A : p = B : q$

atque propositio quaecunque generalissime fiet

$$\frac{m\,A}{p} = \frac{n\,B}{q}$$

qua uti poterimus, sive A sive B ponatur esse subiectum. His ita positis, concipiantur duae positiones terminum communem habentes

$$\frac{m\,A}{p} = \frac{n\,B}{q}$$
$$\frac{\mu\,A}{\sigma} = \frac{\nu\,C}{\varsigma}$$

atque haud ſecus ac ſit in algebra hinc elicietur formula

$$\frac{m\nu C}{p\varrho} = \frac{\mu n B}{\pi q}$$

cuiuscunque ſyllogismi concluſionem exhibens.

§. XXXIII.

Quoniam vero in logica Syllogismorum theoria nonniſi *forma* praemiſſarum ſpectatur, nulla habita *materiae* ratione, conſequens eſt, concluſionem independenter a *ſignificatu*, quem in quovis caſu alium aliumque habere poſſunt determinationes m, n, p, q, μ, ν, π, ϱ, eſſe ſpectandam; etſi, quod facile patet, longe plures atque praeſtantiores erue-rentur concluſiones, una cum variis analogiis, ſi quovis caſu datae eſſent, vel facili methodo inveniri poſſent iſtae determinationes. Ipſe vero harum determinationum ſignificatus, quatenus *formam* poſitionum ſpectat, utique eſt retinendus, quippe determinandae formae concluſionis inſervire debet. Quem in finem regulae quaedam, uſum earum concernentes, praeſtruendae ſunt.

§. XXXIV.

Primo quidem vel hoc monuiſſe ſufficiat, notatis in quovis caſu praemiſſis, ſecundum datam ipſarum formam, cunctas iſtas determinationes in praemiſſis non occurrere, etſi ſemper ſaltem duae occurrant.

§. XXXV.

Porro, vel ex ipſa notatione patet, determinationes m, n, μ, ν, *particularitatem* involvere, cum quovis caſu, ad obtinendam identitatem et univerſalitatem, neceſſario requirantur.

§. XXXVI.

Digitized by Google

§. XXXVI.

Quoniam porro A ſumitur eſſe medius terminus, conſequens eſt, determinationes m, μ ipſi in formula generali adiecta, nunquam una adeſſe poſſe. Etenim, niſi dato quodam caſu ſit $m = \mu$, quod quidem ex forma poſitionum colligi nequit, ponendum eſt, m aliam ipſius A involuere particularitatem, ac involuit μ, proinde comparationem terminorum, cum quatuor ſint, inſtitui poſſe plane nullam.

§. XXXVII.

Eandem ob cauſſam determinationes iſtae p, q, una cum derminationibus π, ϱ, ſimul occurrere nequeunt. Etenim, niſi fuerit quodam caſu $p = \pi$, non unum eundemque habebis medium terminum A, verum duos, eosque diverſos, $A : p$ et $A : \pi$, omnem terminorum comparationem reſpuentes. Ceterum p, q vel π, ϱ ſemper ſimul occurrere, ex ipſa poſitionum notatione liquet.

§. XXXVIII.

Hac ergo ratione ſyllogismorum enumeratio ad metam literarum m, n, p, q, μ, ν, π, ϱ combinationem reducitur.

I°. Sint praemiſſae affirmantes, exulabunt p, q, π, ϱ, quippe negationem involuentes. Haud una aderunt $m\,\mu$, quippe terminorum quaternionem involvunt. (§. 36.) Denique m, n, μ, ν, itemque $m\,n$, $\mu\,\nu$ ſolae non adſunt (§. 34. 31). Quare ex ſingulis literarum m, n, μ, ν combinationibus

m	$m\,n$	$m\,n\,\mu$	$m\,n\,\mu\,\nu$
n	$m\,\mu$	$m\,n\,\nu$*	
μ	$m\,\nu$*	$m\,\mu\,\nu$	
ν	$n\,\mu$*	$n\,\mu\,\nu$*	
	$n\,\nu$*		
	$\mu\,\nu$		

tantum

tantum retinentur aſteriſco notatae, quae ſunt

$$\begin{array}{l|l} m\nu & mn\nu \\ n\mu & n\mu\nu \\ n\nu & \end{array}$$

II°. Si adſit praemiſſa negans, aderit vel $p\,q$, vel $\pi\varrho$. Ponamus, adeſſe $p\,q$, atque in eadem poſitione vel ſolae adſunt, vel una adeſt m vel n. In altera vero poſitione cum abſit $\pi\varrho$, aderit vel μ, vel ν, vel $\mu\nu$. Hinc combinationes

$$\begin{array}{l|l|l} pq\mu. & pqm\mu^* & pqn\mu \\ pq\nu. & pqm\nu. & pqn\nu, \\ pq\mu\nu. & pqm\mu\nu^* & pqn\mu\nu. \end{array}$$

Ex his excluduntur aſteriſco notatae

$$\begin{array}{l} pqm\mu \\ pqm\mu\nu \end{array}$$

quippe $m\mu$ excluditur (§. 36.): reliquae, ſervata regula §. 35, atque perinde habito praemiſſarum ordine, admittuntur.

III°. Simili ratione, ſi loco ipſarum $p\,q$, retineantur $\pi\varrho$, atque literis latinis cum graecis permutatis, admittentur inſuper

$$\begin{array}{l|l|l} \pi\varrho m. & & \pi\varrho\nu m \\ \pi\varrho n. & \pi\varrho\mu n. & \pi\varrho\nu n, \\ \pi\varrho mn. & & \pi\varrho\nu mn. \end{array}$$

§. XXXIX.

Retentis ergo iſtis combinationibus, quas admitti poſſe diximus, qualiscunque demum eruitur ex datis praemiſſis concluſio. Etenim, in hac enumeratione perinde habuimus praemiſſarum ordinem, mediique termini diſpoſitionem. Hoc unum tamen vel maxime notandum, particularitatem medii termini, cum non niſi ſemel admittatur ipſi concluſioni particularitatem non inferre, adeoque literam n vel

vel μ ubivis in concluſione occurrat perinde haberi poſſe. Ponas enim, in alterutra praemiſſarum dari $m\,A$, in altera A; quoniam A continetur in $m\,A$, erit A fundamentum comparationis, atque reapſe uterque terminus extremus B, C eidem termino medio A comparatur, ut adeo ſingulis his caſibus determinatio m, in concluſione eiusque forma determinanda, aeque perinde habeatur ac ſi abeſſet. Idem ſentiendum eſt de determinatione μ, quoties haec occurrat. Contra ea determinationes ν, ν, ubivis occurrunt, cum ipſis terminis extremis particularitatem inferant, et in concluſione ipſos hos terminos retinent, ſigno particularitatis affectos. Omitti vero poſſe particularitatem praedicati aſſirmantis, niſi individua enumerare velis, facile patet. Quodſi enim dicas

quaedam C ſunt quaedam B,

absque ullo negotio eadem C eſſe B inde colliges. Secus eſt ſi propoſitio fuerit negans. Etenim ex propoſitione

quaedam C non ſunt quaedam B

nihil inſuper colligere licet, cum huiuscemodi propoſitio locum habere poſſit, etiamſi C, B, ſint ideae prorſus identicae. Nil enim impedit quominus dicas, *quosdam homines non eſſe quosdam homines*, haec quippe enuntiatio idem fere dicit ac *maximam eſſe inter homines et homines differentiam*, ſive *omnes homines uno eodemque modulo metiri abſonum eſſe*.

§. XL.

Conſequens hinc eſt, ex combinationibus antea erutis, fere omitti poſſe $pq\nu\nu$, $pq\nu\nu\mu$, $\pi\varrho\nu\nu$, $\pi\varrho\nu\nu m$. Quoniam enim hiſce caſibus $n\nu$ ſimul occurrit, atque concluſio negativa ſit, concluſio nil dicit praeter quam quod

quoddam C non eſt quoddam B.

His vero casibus omissis, in reliquis conclusionum negantium casibus, terminorum extremorum vel uterque, vel alteruter universalis est, atque in genere qui universalis est terminus, conclusionis affirmantis fiet subiectum, negantis praedicatum, si quidem eam inferre volueris conclusionem, quae reliquis praestet, plurimumque dicat.

§. XLI.

Addamus quaedam exempla

I°. Quoddam A est B — $mA = nB$
nullum C est A — $C : \varrho = A : \pi$
$\overline{mC : \varrho = nB : \pi}$

m perinde habetur (§. 39.) hinc C universalis
ϱ π negationem postulant
n terminum B reddit particularem,

unde conclusio (§. 40.)

Quoddam B non est C.

II. Ponatur

Quoddam A est B — $mA = nB$
omne A est C — $A = \nu C$
$\overline{m\nu C = nB}$

m perinde habetur
ν, n particularitatem involuunt,

unde conclusio utravis

quoddam C est B
quoddam B est C

III.

Digitized by Google

III. Ponatur

omne B eſt A $\quad B = mA$

nullum A eſt C $\quad A : \pi = C : \varrho$

$\overline{B : \pi = mC : \varrho}$

m perinde habetur

π, ϱ negant

particularitas nulla, cum n, ν, deſint,

unde concluſio utravis

nullum B eſt C

nullum C eſt B

IV. Ponatur

omne B eſt A $\quad B = mA$

omne C eſt A $\quad C = \mu A$

$\overline{\mu B = mC}$

ob medium bis particularem, concluſio nulla.

V. Ponatur

Quoddam B non eſt A $\quad \frac{nB}{q} = \frac{A}{p}$

omne A eſt C $\quad A = \nu C$

$\overline{nB : q = \nu C : p}$

ob $n\nu$ particularitatem, $q\,p$ negationem involuentes, concluſio floccipendenda

Quoddam B non eſt quoddam C.

VI. Sit

omne A eſt B $\quad A = nB$

omne C eſt A $\quad C = \mu A$

$\overline{C = \mu nB}$

Digitized by Google

Concluſio optima
omne C eſt B
quae minus dicit
quoddam B eſt C.

§. XLII.

Hactenus dicta (§. 31. ſeqq.) condendae quidem ſyllogismorum theoriae eo modo inſerviunt, quo expoſita ſunt. Etenim independenter ab identitatibus, quibus uſi ſumus, utique brevius exponi potuiſſent. Praeterea haud inficiandum eſt, fictionem quandam hevriſticam eſſe adhibitam, qua determinationes m, n, μ, ν, ideis A, B, C ita adiectae, atque determinationes p, q, ϱ, π iisdem ideis A, B, C ita demtae ſunt, quaſi hae ideae ſingulis quibusvis caſibus eſſent ideae rerum omnino homogenearum. Hoc vero cum dici non poſſit, conſequens eſt, adiectiones et demtiones iſtas nequaquam eo rigore eſſe ſumendas, quo ipſas in ſuperioribus (§. 17. ſeqq.) ſumſimus, aliosque ob fines ſumendas eſſe diximus. Nihilo minus tamen et in ipſa ſyllogismorum doctrina et deſignatione, curatius rem omnem perſcrutaberis, ſi eandem hanc ſingula diſcutiendi ſolertiam adhibeas. Ponas enim v. gr. ſyllogismum.

Quicquid aureum eſt eſt pretioſum
Hoc horologium eſt aureum
Ergo hoc horologium eſt pretioſum.

Hic propoſitio minor eadem eſt, quam ſupra curatius exponendam eſſe diximus (§. 17.) Unde utique et ipſa concluſio, quantumvis vera ſit, confuſa eſt. Horologium enim non modo ob aurum, verum et ob ipſam machinae fabricam et praeſtantiam pretioſum eſſe dicitur. Quoniam porro in logica ſyllogismorum theoria ad formam tantum attenditur, facile patet, in eruenda propoſiti ſyllogismi

gismi concluſione propoſitionem minorem ita ſpectari, ac ſi totum horologium non modo aureum, verum cruda auri maſſa eſſet; quod quidem, ſi ad rem ipſam attendas, ſecus ſe habere, atque pretium horologii alia inſuper ratione aeſtimandum eſſe, deprehendes.

XLIII.

Ex dictis porro liquet, *totam ſyllogiſticam nil aliud eſſe quam compendium vel methodum, qua praetergrediendo peculiarem in quovis caſu determinationum m, n, p, q, μ, ν, π, ϱ ſignificatum, ex datis praemiſſis qualibuscunque, atque ob defectum identitatis admodum mancis, qualiscunque demum eruatur concluſio.* Patetque porro, illum ipſum identitatis in utraque praemiſſa defectum, dum elicitur concluſio, velut in ſummam colligi, ipſique concluſioni tribui, atque inde natam eſſe illam ſyllogiſtices regulam, quae concluſionem partem debiliorem ſequi iubet. Denique haud minus evidens eſt, ad maiorem ſyllogiſtices, ut et calculi qualitatum perfectionem, facilem eamque methodicam requiri determinationum iſtarum in quovis caſu inventionem. Hanc vero a Leibnitiana illa characteriſtica univerſali eſſe exſpectandam, vel intellecto termino liquet. Artem autem hanc pedetentim ac veluti per partes inventum iri, atque vix aliter inveniri poſſe, ex infinita rerum deſignandarum multiplicitate, aeque ac ex partibus iamiam inventis, mea quidem ſententia recte colligitur.

§. XLIV.

Videamus iam, quid obtineat, ſi proponantur res partibus pluribus iisque heterogeneis conſtantes? Quem in finem, atque a ſimplicioribus inchoando, ponatur res C, quae conſtet partibus A, B, atque ipſe coniunctionis modus indicetur litera m ipſi B adiicienda. Ita ergo ponere licebit (§. 22.)

$$C = A + m\,B$$

Hanc vero identitatem si verbis reddere velis, dicendum erit, C constare partibus A, B, modo m invicem coniunctis. Contra ea, quod supra iam notavimus (§. 16.), invito linguae genio C diceretur esse A et B, quippe A, B ipsius C non *attributa*, verum *partes* esse sumsimus. Quodsi vero ponas esse ipsis partibus A, B attributa quaedam n communia, utique n toti rei C convenire, adeoque C esse n, recte affirmari palam est.

§. XLV.

Ponamus porro, dari aliam rem c, quae constet partibus a, b, ipsis A, B aliqua saltem ex parte similibus, atque modo μ invicem coniunctis, patet fieri posse (§. 22.)

$$c = a + \mu b$$

Quatenus ergo inter res C, c aliqua intercedit similitudo, dabitur quoque inter eas quaedam relatio, quae vero nequaquam simplex est, neque enim dici potest, *C se habere ad c, uti se habet A ad a, vel B ad b, vel m ad μ.* Contra ea utique dici potest *C non esse c*, et vicissim *c non esse C*. His ergo, similibusque casibus, alia ratione exprimenda erit ea quae datur inter C, c relatio. Ponamus v. gr. parti a adiiciendam esse determinationem p, quo identificari possit cum parte A, ut sit

$$A = p a$$

atque similiter faciendum esse

$$B = q b$$

patet fore

$$C = p a + m q b$$

Quodsi ergo exprimenda sit ea quae datur inter C, c relatio, utraque haec idea ad identitatem erit reducenda. Quod sequentem in modum obtinere licet. Quoniam est

$$c = a + \mu b$$

ipsi

ipſi c demenda erit pars μb, quod ſic notatur, ut pars reliqua ſit

$$c - \mu b = a.$$

Porro huic parti adiiciatur determinatio p, quo habeatur

$$p\,(c - \mu b) = pa$$

Porro parti a, hac ratione determinatae, (intellige quoad formam, figuram, etc.) adiungatur, modo m, pars $q\,b$, ut habeatur

$$p\,(c - \mu b) + mqb = pa + mqb$$

Quoniam vero eſt

$$C = pa + mqb$$

patet fore

$$C = p\,(c - \mu b) + mqb$$

quae eſt relatio quaeſita inter C, c. Qua vero ratione legenda, vel verbis exprimenda ſit, ex ipſo literarum ſignificatu modoque liquet, quo ad eam pervenimus.

§. XLVI.

At vero huiuscemodi relationes in ipſis linguis ſaepiſſime haud ſecus unico verbo exprimuntur, ac ſi vel maxime ſimplices eſſent. Rationem ſi quaeras, haec in ipſa confuſa rerum C, c cognitione quaerenda eſt. Quodſi enim partium A, B, a, b diverſitatem non habeas perſpectam, fieri poteſt, ut comparatis invicem rebus C, c, ipſi rei c determinationem quandam M adiiciendam eſſe cenſeas, quo identificari cum C poſſit. Quo facto putabis breviſſime poſſe fieri

$$C = M\,c$$

adeoque relationem inter C, c, eamque maxime ſimplicem, eſſe credes

$$M = C : c$$

etſi ipſis rebus curatius perſcrutatis reperias

$$M = (A + mB) : (a + \mu b)$$

id

id est, ideam relativam M mere esse fictitiam, veramque inter C, c relationem sic esse concipiendam, ut fiat

$$C = p(c - \mu b) + mqb$$

Porro, fictitiam illam relationem M, neque gradus admittere, neque cognitioni mathematicae subiici posse, vel ex ipsa partium A, B, a, b heterogeneitate colliges.

§. XLVII.

Quodsi vero ex me quaeras, num dentur eiuscemodi ideae fictitiae maxime confusae, mea quidem sententia idem quaeris, ac si scire velles, num dentur ideae metaphysicae et morales complexae? Ponas v. gr. rem $c = a + \mu b$, accedente caussa efficiente, ita mutari, ut fiat $C = A + m B$, utique dices, effectum esse illam mutationem quam res c, operante caussa, subiit, atque nisi *nota sit* partium A, B, a, b diversitas, parum aberit, quin effectum $= M$ esse dicas, cum ponas esse $C = M c$. Simili ratione, si in genere *perfectionem* dicas esse *variorum consensum*, evidens est, *varia* ista vel maxime esse posse heterogenea, atque hanc ipsam ob caussam totidem dari *consensus* admodum diversos. Etsi ergo dicas, eo maiorem prodire perfectionem, quo plura, et quo magis consentiant, hoc ipso tantum non nihil dicis, quippe ea, quae *variis* illis partibus inest *heterogeneitas*, atque oriens inde ipsius *consensus* diversitas, hac quidem ratione mathematicam perfectionis cognitionem non admittit, atque si ad hanc pervenire velis, singula adhucdum haud secus remanent discutienda ac si nihil dixisses. Brevitatis ergo plura exempla non adferam. Vellem tamen, ex his, quae iam dicta sunt, colligerent lectores, undenam tam intractabiles sint ideae pleraeque metaphysicae complexae, ut etsi eas, omni adhibita opera, satis superque credas evolutas atque discussas, nihilo minus denuo atque denuo

nuo videantur esse discutiendae ac evoluendae. Sumas enim ideam, qualem esse vidimus fictitiam illam

$$M = (A + mB) : (a + \mu b)$$

Quoniam relationi simplicis speciem prae se fert, hanc ipsam ob caussam fucum facit, unde, sive eam ponas $M = A : a$, sive $M = B : b$, sive $M = m : \mu$ etc. ubivis vero falsum immisces, atque in casibus specialibus novas emergere discrepantias et incongruitates animadvertes. Quodsi porro hoc agas, ut idea M quotvis alias ingrediatur definitiones, utique et ipsis his definitionibus infers confusionem in idea M latentem, nulloque modo penitus extricandam. Consequens hinc est, in metaphysicis optime quidem admitti ideas simplices, quippe ab omni confusione omnique contradictione liberas; optime quoque admitti quae directe ex istis componuntur: reliquas vero, earumque terminos denominationum instar esse, et brevitati consulere, theoriam autem omnibus numeris absolutam, atque ab omni confusione liberam, vel difficillime, vel plane non admittere, eamque ob caussam propositionum praesertim affirmantium potius ac rectius fieri praedicata, quam vero subiecta. Hanc ipsam quoque caussam quaeras, cum exempla ea, quibus calculum atque signandi modum, hactenus expositum, illustratum dedi, illi rigori, quem calculus ipse postulat ac praesupponit, per omnia non ad amussim respondere forte animadvertes.

D. CHRISTIANI AUGUSTI CRUSII, S. THEOL. in Acad. Lipſ. Prof. Primar. Philoſ. Prof. Extraord. Eccleſiae Cathedr. Miſenenſis Capitularis, Alumnor. Electoral. Ephori, Hypomnemata ad Theologiam Propheticam. PARS PRIMA. Introductionem generalem ad Theologiam Propheticam complexa.

Lipsiae, CIↃ IↃCCLXIV. Alphab. 2. in 8.

Praemittit *Auct. S. V.* prolegomena, in quibus varia ad theologiam proph. ſpectantia praevie explicantur. Definitionem hanc theologiae proph. prodit: *eſſe eam theologiae partem, quae et quatenus verſatur circa vaticinia.* Neceſſitatem theol. proph. probat: 1) ex neceſsitate et utilitate vaticiniorum, 2) ex neceſſitate peculiaris ſcrutinii. Uſum autem vaticiniorum ait cerni: *a*) in fide facienda rebus humanis et doctrinis divinis, hinc oriri vaticinia probantia, quorum duplex ſit evidentia, vel immediata, vel mediata: *b*) in docendo, hinc vaticinia mere docentia. Rationes de diligenti ſcrutinio has reddit: 1) difficultatem et obſcuritatem eorum obiectivam, 2) diſperſionem eorum per libros ſacros, 3) difficultatem ſubiectivam, 4) multitudinem et temeritatem coacte interpretantium, vel impie oppugnantium. Docet praeterea, quanti ſit momenti pars prophetica verbi divini ex eo, quia fides ſuperſtructa ſit Prophetis; quia vaticinia reliquis argumentis pondus et evidentiam concilient; quia hoc ſtudium ſingulari ſua ſuavitate nos alliciat; et tandem, quia in confutandis iis uſum prorſus ſingularem praeſtent, qui temere ſinceritatem librorum SS. impugnant, et vetuſtarum hiſtoriarum fidem lapſu temporis decreſcere contendunt. Diſſerit dein de genuino huius rei modo, quem triplicem eſſe ait: *a*) ut generatim conſtet, dari in Scr. S. vaticinia, eaque Deum auctorem oſtendentia; *b*) ut ſpeciatim vaticinia de Chriſto intelligamus, iisque rite utamur; *c*) ut, quae Deus de fatis eccleſiae, de arcanis providentiae, et mundo futuro patefecit, ea caute et modeſte edoceamur. Sequitur demum ratio inſtituti, quae eſt: ut lectori litterarum S. diligenti ſubſidia praebeat, quibus ad maiorem rerum peritiam pervenire, eamque in uſus eccleſiae convertere poſsit. Unde in prima ſtatim parte operis agit de iis, quae in genere intelligendis vaticiniis inſerviunt, atque in ſe recipit quosdam textus interpretari, quibus in gerendo munere ſacro, et vindicanda religione, praecipue uti poſſimus.

Pars igitur prima quatuor capitibus abſolvitur, quorum Primum *de vaticiniis, et eorum diiudicatione in genere*, praecipit, ubi vati-

vaticinii haec ſuppeditatur definitio: *eſſe praedictionem rei futurae, quae nec ſentiri, nec ratiocinando praevideri potuerit, attamen fortuito vera non acciderit*; obiter fit mentio oppoſitorum vaticinii, quae ſunt 1) coniecturae, 2) quaecunque colligendo praevidentur, nempe ratiocinatione cauſali, nec non probabilitate phyſica vel politica, 3) audacter vel temere dicta, ſed quae interdum fortuito eventu vere exiſtunt. His praemiſſis, modum, quo vaticinatio contingat, tradit, atque eius poſſibilitatem vindicare ſtudet. Docet unde vaticinia originem ducant, et tres cognoſcendi modos enarrat: 1) ſi Deus ipſe immediate operetur, 2) ſi id fiat a ſanctis Angelis, 3) ſi fiat a daemonibus, id eſt angelis malis. Quo quidem in argumento pertractando S. V. *Auct.* hoc ab animis corpore ſolutis, et in perfectiori ſtatu conſtituti, perfici poſſe negat, quoniam hoc praeternaturaliter contingeret, animaque corpore ſoluta a Deo praeternaturaliter novis viribus, aut novo corpore inſtructa eſſe deberet. Quaeſtionem quoque ſaepius agitatam ſub examen vocat, an animae hum. competat vis divinandi naturalis, quod non concedi poſſe dicit: nam vel ipſa ex natura divina repetenda, adeoque pro particula divinae eſſentiae eſſet venditanda, quod abſurdum; vel a Deo ipſam ingenitam eſſe, ita ut notiones animae creatione ingenitae dein evoluantur, quod contra praeſumtiones phyſicas ſit. Sex porro obiectionibus reſpondetur: *a)* negata vi divina, praeter neceſſitatem entia non multiplicari; *b)* qui divinationes a Deo, vel Angelis, non a vi animae domeſtica deducunt, non ſcindunt nodum, ſed ſolvunt, neque Deum ex machina devocant; 3) neque ideo tribuendam hanc vim animae, quia eius natura non poteſt a nobis explicari; 4) neque obſtat ignoratio modi, quo Spiritus perfectiores in producenda divinatione utuntur; 5) neque opus eſſe videtur explicare, quo conſilio Spiritus perfectiores hoc vel illud cum certis communicent hominibus; 6) reiicitur ſententia de eo, quod in brutis detur divinatio, nullamque vim huic argumentandi modo ineſſe docetur, quod hoc multo magis animae hum. competat. Divinationes dein angelicas examinat, atque, quantum

inter eas et Θεοπνευστον interſit, docet. Sequitur diviſio criteriorum, quae ſunt vel generalia, vel ſpecialia: generalia iterum ſunt vel communia Prophetis cum aliis hominibus eam diiudicantibus, vel Prophetis propria. Notae communes ſunt: 1) indoles doctrinae et morum, quibuscum certae vaticinationes ſunt coniunctae; 2) confirmatio eventu perſpicuo; 3) poteſtas ſigna et miracula edendi; 4) poſitiva connexio rerum praeſentium, vel poſthac evenientium, cum principiis antea iam cognitis et ſatis confirmatis; 5) plurium Prophetarum conſenſus; 6) ſanctitas vitae Prophetarum; 7) rerum magnitudo. Additur, tanquam primum et proprium criterium, Prophetarum ſenſus et interna animi perceptio Ier. XX, 9. Pſ. XLV, 2. Statuit A. ſpecialiora etiam criteria in circumſtantiis latere poſſe, quae excludant formidinem, ſive quod fallere vates voluerit, aut tentare potuerit, ſive quod ſua ipſius imaginatione fuerit deceptus. Huc pertinent ſollicitae certarum viſionum Scr. S. deſcriptiones. Obiter ſententia *Tolandi* in Orig. Iud. p. 185. de non ſuppeditatis idoneis diſcernendi vaticinia div. criteriis, tanquam temeraria, reiicitur. Negat A. divinitatis criteria in oraculis gentilium, variisque divinationibus reperiri, et diſquirit, an fuerint oracula, quod confirmat exemplis oraculi Accaronitici, 2 Reg. I, 3. 16. Iannis et Iambris, 2 Tim. III, 8. Magorum Aegypti, Ex. XII, 12. Interpretum Pharaonis, Gen. XLI, 8. Magorum Nebucadnezaris, Dan. II, 2. ſq. IV, 3. ſq. Sortes, reliquasque divinationes pro obſidione Hieroſolymae, Ez. XXI, 21. Necromantiſſam Endoream, 1 Sam. XXVIII. Pſeudo prophetas, Michae, 1 Reg. XXII, 19-23. et ancillam Pythoniſſam, Act. XVI, 16. addit. Formulae loquendi magiam ſpectantes in Scr. S. obviae, nec non leges graviſſimae, et ſupplicia adverſus ſuperſtitioſa divinandi genera, Lev. XIX, 11. XX, 6. 27. Deutr. XVIII, 10. rem plane omnem dirimunt. Quaeſtio inſuper, an *Ant. van Dale* oracula refutaverit, perpenditur. In iudicium vocat *Dalenium* et *Fontenellium* A. propterea, quod philoſophia tantum duce hanc rem aggreſſi fuerint, oraculaque, contra omnem fidem hiſtoricam, negaverint. Argumenta eorum bilateralia eſſe dicit, atque evincit,

cit, eos a particulari ad univerſale concluſiſſe. Dubia quaedam ſolvit, falſosque concludendi modos verboſius recenſet. Omnia in κακοζηλίᾳ Satanae, doloſaque viarum domini imitatione poſita eſſe exiſtimat. Fallaces quasdam daemonum artes enarrat: v. c. opinionem de fato; res quaelibet naturales, quae ob difficultatem explicandi, et ambiguitatem ſuam, praeſtigias daemonum facillime admittunt; Daemones locum tempusque opportunum delegerunt, ubi fallacia documenta divinitatis ſuae oſtendere poſſent, ut pro diis colerentur, et mediatores inter ſupremum numen et homines crederentur. Exemplo ſunt aſtrologia, geomantia, onirocritica, ſimiliaque. Variis autem de cauſis homines in artes divinandi inciderunt: quorſum ſpectant ſingularia eventa, quae temporibus, locis, conſtellationibus tribuebantur. Demonſtratur porro, attributis Dei nequaquam repugnare, ſi oracula et praeſtigias daemonum permittat: hanc permiſſionem oeconomia gratiae Dei offerendae, et gloriae eius manifeſtatio requirebat, et ἀναπολογησία eorum, qui in perniciem ruunt; atque tandem neceſſitas ut totus iudiciorum Dei ambitus limitatis hominibus imperveſtigabilis ſit. Notas divinae originis allegat, quae nequaquam competant oraculis et divinationibus gentilium; quod inde colligitur, 1) quoniam nihil praedictum eſt, ubi certo iudicari poſſit illud ſuperare intelligentiam daemonis; 2) quoniam res pro divinis venditatae coniunctae erant cum eiusmodi doctrinarum vel morum conformatione, quae repugnabat veritati divinae; 3) ex ſpecialioribus argumentis a circumſtantiis ſuppeditatis. Tandem hoc caput claudit ſententia de vaticiniis Muhamedi tributis, de quibus A. ita: 1) res ipſa eſt ſemper eiusmodi, ut vel ſapiat fraudem aut ſuperſtionem, vel ſagacitate coniici, aut caſu fortuito evenire, vel certe modica daemonis potentia fieri potuerit; 2) licentia depravandi hiſtorias, et audax aſſertio depravationis librorum S. 3) dogmata Muhamedis, quae congruunt cum Deismo, et continent ineptias contra Theologiam naturalem et phyſicam; religionum commixtio, et ſcrutinium veritatis interdictum, aperte arguunt impoſtorem. Quod reliquum eſt, de charactere Muhamedis A. haec lit-

teris consignavit: eum fuisse insignem idiotam, parum de capitibus religionis nostrae, praeter unitatem Dei, pauca de officiis et iudicio extremo adsecutum fuisse, aut, quod *Auct. Cel.* magis placet, ea ipsi non probata fuisse. Impietatis autem eius indicia prodit articulus de se ipso, tanquam summo Propheta. In eo fuit fastus et rerum magnarum studium. Preces et ieiunia sine dubio ob rationes politicas praecepit. Peregrinationes Meccanas, et reverentiam Caabae sepulchro Patriarchae gentis Ismaelis superstructae, aut necessitate, aut prisca superstitione, aut simili versutia retinuit. Haec de charactere Muhamedis.

Caput. II. *de vaticiniis in Scriptura Sacra in specie* praecipit. Definitionem, quae totam rem conficere videtur, suppeditat. Vaticinium late sumtum, ait, in S. S. est *significatio rei futurae, divinitus*, (sive mediate angelorum ministerio, sive immediate,) *eum in finem facta, ut Deus partim sua consilia patefaceret, partim doctrinae sacrae fidem faceret.* Distinguuntur autem vaticinia respectu modi futura significandi, in *realia* (nempe *typica*,) et *verbalia*. Non omnem tamen rerum occultarum manifestationem prophetiam dici posse statuit, quia de eventis futuris non agitur, sed de rebus praeteritis, aut absentibus, aut voluntate Dei cognoscenda. Hanc cum prophetia in eo convenire dicit, (nam haec sunt *Auct. S. R.* verba,) quod occulta et naturaliter non scibilia aperiantur, quoque veritas attingatur absque naturalibus subsidiis, quam in probanda religione tantum ait valere, quantum prophetiam. Exempla sunt: quod Elisaeus arcana Syrorum consilia aperuit, 1 Reg. VI, 12. Sortes Sacrae, quibus reus detectus est, quae vel mandato Dei, Ios. VII, 14. vel coram Deo et cum Dei invocatione factae sunt, 1 Sam. XIV, 38. Has sortes non confundendas esse cum sortitione munerum in templo dicit, quae ordinis et contentionum cavendarum causa fiebant, Luc. I, 8. Matthiae per sortem electio erat imitatio vetustae sortitionis S. Sortes autem gentilium, speciatim de Iona, ex consueta daemonum κακοζηλίᾳ deducit, v. c. βελομαντείαν, Es. XXI, 21. ῥαβδομαντείαν, Hos. IV, 12. Singulare aliquid observat de Iona, quod sors divinatoria veritatem de procella propter Ionam manifestavit, Ion. I, 7. coll. 14. 16.

16. tum et dicta Prov. XVI,33. XVIII, 28. breviter explicat. Iam primum agit de vaticiniis *realibus*, quae sunt *typi rerum futurarum, exhibiti per statutos ritus cultusque, vel per certas res gestas, quae et quatenus ad praenotanda futura ordinatae et comparatae fuerunt.* Tunc autem *mixtum* fieri vaticinium, ait, si res, in qua inest tale vaticinium, vel solummodo exhibetur, vel aliqua etiam additur explicatio: quorsum refert cultum Patriarcharum ac Iudaeorum typicum, fata singularia hominum, urbium, gentium. Tria argumenta pro typorum existentia addit: 1) generalia dicta expressa, Col. II, 17. Ebr. VIII,5. IX,1.8.9. 23. X,13 10-12. 2) explicata exempla, Io.XIX,36. coll. Ex. XII, 46. Num.IX,12. Gal.IV,24. 3) considerationem rerum ipsarum; quando res Deo indignae forent, nisi detur quod sint typi, agnoscendus est typus. Sequuntur cautelae, ne typi cum aliis rebus confundantur: *a*) non omne quod constitutum est cum respectu ad N. T. typus est; *b*) in typo non omnes partes typicae sunt; *c*) authenticam Apostolorum interpretationem non licet affectare; *d*) non quaevis allegatio aut allusio probat typum; *e*) typi cum tempore plures et uberiores sunt constituti; *f*) inter plures typos divisum fuit, quod in uno commode exprimi non potuit; *g*) non nimium splendoris in uno typo esse debuit; *h*) sapienter permissum, ut homines, in quibus typus erat, maculas contraherent; *i*) typus antitypo est imbecillior; *k*) typus dat praenotionem, sed plene non intelligitur, nisi ab iis, qui res iam visas cum eo contendere possunt, et picturae naturam et regulas satis norunt. Pergit A. ad vaticinia *verbalia*, quae vel res per verba enuntiant, vel picturas rerum et emblemata adhibent. Quo ultimo in genere Apocalypsis Ioa. exarata est, cuius excellentia praedicatur. Illa vaticinia iterum duplicis sunt generis, vel *somniantium*, vel *vigilantium*. Primo genere Deus demonstravit, se non naturae legibus teneri, igitur cum dormientibus locutus est. Quatuor modis vero vigilantibus sese manifestavit: *a*) per ἔκστασιν, *b*) per impulsum Sp. S. internum, רוח הקדש. *c*) per בת קול, *d*) per Urim et Thummim, quas de responsionibus per summum Sacerdotem a Deo datus explicat; eumque eapropter sancto Ephod indu-

indutum esse debuisse affirmat, verbosiusque suam de Urim et Thummim sententiam proponit. Differit quoque de praerogativa Mosis prae aliis Prophetis, quae in cognitione Dei ἐν εἴδει constitit, eiusque typica ratione, in quotidiana consuetudine cum Schechina et Christi mediatoris ad Deum relatione quaerenda. Inspirationem Prophetarum a commemoratione vaticinii div. differre in genere docet, exemplis Pharaonis, Gen. XLI. Iosephi, Gen. XXXVII. Iosephi mariti Mariae, Mat. I, 20. 21. Θεοπνευσίαν sic describit: esse *statum miraculosae operationis Spir. S. in animo certorum hominum, quo conceptus certarum rerum et verborum animo loquentis, vel scribentis, cum singulari et praeternaturali vividitate suppeditabantur, animusque ad eos contemplandos, et cum aliis communicandos, efficaciter impellebatur.* Addit, quomodo ea agnosci potuerit: videlicet, Scriptores illam interna perceptione et illuminatione a statibus mentis naturalibus discernere debuerunt. Accesserunt miracula, nec non eventus praedictiones confirmantes. Rationes reddit, cur licuerit Prophetas consulere de rebus minutis: ut Deus caveret, ne Israelitae ad oracula gentilium excurrerent, aut superstitiosis et idololatricis gentilium artibus uterentur. Sed ante omnia ipsa indoles doctrinae, et nexus cum rebus iam cognitis, et veritate revelata, expendi debuit. Cum his argumentis per dona gratiae ordinaria Sp. S. fidem produxit. Latius tamen patet inspiratio, quam Prophetia. Θεοπνευσία versatur circa historiam, dogmata, et Theologiae naturalis repetitionem: Prophetia circa significationem rerum futurarum. Interim προφήτης non respondet τῷ נביא, qui proprie est interpres, legatus, orator: et quamquam interdum נביא per προφήτην exponatur, tamen retinenda est significatio vocis ebraea. — Sed videmus, rerum copia ad prolixitatem nos delabi: igitur, quod de omni opere reliquo dicendum superest, alio tempore dicemus, et proxime quidem.

Digitized by Google

INDEX AUCTORUM,
quorum Libri, aut Inventa, in hoc Volumine recenſentur:

I. *Libri Theologici & ad Hiſtoriam Eccleſiaſticam ſpectantes.*

Cruſii (*Chriſt. Auguſt.*) *Hypomnemata ad Theologiam Propheticam.* Pars I. *Introductionem generalem ad Theologiam Propheticam complexa.* 473

Febronii (*Iuſtini*) *de ſtatu Eccleſiae et legitima poteſtate Rom. Pontificis, Liber ſingularis, ad reuniendos diſſidentes in religione Chriſtiana, compoſitus.* 1

Michaelis (*Io. Dav.*) *Commentationes, Societati Regiae Scient. Göttingenſi oblatae.* 220

Theodoreti *nova editio a* Io. Ludov. Schulzio *promiſſa.* 393

Ulphilae *verſio Gothica nonnullorum Capitum Epiſtolae Pauli ad Romanos. Eruit et commentatus eſt* Franc. Anton. Knittel. 20

II. *Libri Iuridici.*

Febronii (*Iuſtini*) *Liber de ſtatu Eccleſiae, et legitima poteſtate Rom. Pontificis.* 1

Schrötteri (*Franc. Ferdin.*) *Dissertationes ad illustrandum Ius Publicum Austriacum spectantes.* 193

III. *Libri Medici et Physici.*

Academiae Scientiarum Imperialis Petropolitanae Novi Commentarii. Tomus IX. *Pro annis* 1762. *et* 1763. 241
Bauer (*Fulgent.*) *Dissertatio Experimentalis de Electricitatis theoria ac usu.* 436
Celsi (*A. C.*) *de Medicina Libri Octo. Ex fide vetustissimorum librorum recensuit, innumeris depravationibus liberavit, Lectiones Variantes et Animadversiones, tum aliorum, tum suas, nec non indices copiosos aliaque adiecit* Car. Christ. Krause. 372
Hanovii (*Mich. Christoph.*) *Philosophiae Naturalis sive Physicae Dogmaticae* Tomus II. 179
— — — — Tomus III. 212
Morgagni (*Io. Baptistae*) *Opuscula Miscellanea, quorum non pauca nunc primum prodeunt.* 161
Raspe (*Rud. Eric.*) *Specimen Historiae Globi terraquei de novis e mari natis insulis, ad Hookianam telluris hypothesin de origine montium et corporum petrefactorum.* 153

IV. *Libri Mathematici.*

Academiae Scientiarum Imperialis Petropolitanae Novi Commentarii. Tomus IX. *Pro annis 1762. et 1763.* 241
Exercitatio Astronomica de mensirua Solis parallaxi, Senis observata, habita in Collegio Romano Societ. Iesu. 121
Fagnano (*Io. Franc. de Tuschis a*) *Integratio quarundam quantitatum differentialium, quae originem habent a lineis, quae ad circulum referuntur.* 361
Heinsii (*Gothofredi*) *de Eclipsi Solis d. 1. Aprilis A. 1764. observata, Commentatio.* 108
Lambert (*I. H.*) *Disquisitio de universaliori calculi idea, cum adnexo specimine.* 441

Metho-

Digitized by Google

Methodus nova inveniendi longitudines locorum terra marique per Lunam. 186

V. *Libri Hiſtorici et Geographici.*

Belii (*Car. Andreae*) *de Ottone II. Granſeio, Baſileenſi Epiſcopo, caedis Alberti I. Rom. Regis participe, Disquiſitio hiſtorica.* 12

Haeberlin (*Franc. Dominic.*) *Analecta Medii Aevi, ad illuſtranda iura et res Germanicas.* 116

Hiſtoria Regum Catholicorum, Ferdinandi et Iſabellae 398

Mazzuchellianum *Muſeum, ſeu Numismata Virorum doctrina praeſtantium, quae apud* Io. Mariam Comitem Mazzuchellum *Brixiae ſervantur, a* Petro Anton. de Comitibus Gaetani, *edita atque illuſtrata. Accedit verſio Italica* Coſimi Mei. Tomus II. 427

Pray (*Georgii*) *Annales veteres Hunnorum, Avarum et Hungarorum, ab A. ante N. C. 210. ad A. C. 997. deducti.* 201

Schoepflini (*Io. Dan.*) *Hiſtoria Zaringo-Badenſis.* Tomus Primus. 375

VI. *Libri Philoſophici, Antiquarii Auctores Claſſici, Philologici, Miſcellanei.*

Aeliani *Variae Hiſtoriae, in linguam Francogallicam verſae a* Formeio. 157

D'Orville (*Iac. Phil.*) *Sicula, quibus Siciliae veteris rudera, additis antiquitatum tabulis, illuſtrantur. Edidit et commentarium ad numismata et inſcriptiones Siculas, aliaque adiecit* Petrus Burmannus Secundus. Tomus I. 388

Ferrarii (*Guidonis*) *Inſcriptiones, Epiſtolae, Diſſertationes.* 103

Kallii (*Abrah.*) *Specimen novae editionis Sententiarum Theognidis Megarenſis.* 401

Koehleri (*Io. Bernardi*) *de nova editione Heſiodi adornanda conſilium.* 89

Lambert (*I. H.*) *de universaliori calculi idea, Disquisitio, una cum adnexo specimine.* 441
Michaelis (*Io. David.*) *Commentationes, Societati Regiae Scientiarum Göttingensi, per annos 1758-1762. oblatae.* 220
A. Persii *Flacci Satyrae sex, ad fidem optimarum editionum, una cum variis lectionibus Codicis Ebneriani, edidit* Georg. Frid. Sebaldus, *tabulisque aeneis incidit* Io. Mich. Schmidius. 335
Picturae Antiquae, ex Herculano et vicinis locis erutae, atque in aes incisae, cum animadversionibus variis.
Tomus II. Recensio I. 41
— — — Recensio II. 81
Tomus III. Recensio I. 281
— — — Recensio II. 321
de Schmidt (*Frid. Sam.*) *Opuscula, quibus res antiquae, praecipue Aegyptiacae, explanantur.* 30
Ulphilae *versio Gothica nonnullorum Capitum Epist. Pauli ad Romanos, eruta a* Franc. Antonio Knittel. 20
Winckelmanni (*Io.*) *Historia artium antiquitatis.* Partes II. 340

INDEX
RERUM NOTABILIORUM.

A.

Academiae *Petropolit. Commentarii* 241
Aedificia *rustica in pictura vetere* 76
de Aedificiis *veterum quaedam* 168
Aegypti *veteris urbes utrum plures quam 30000?* 39
— — — — *merces* ibid.
Aegyptiacarum *antiquitatum illustrationes plurimae* 30
Aegyptiorum *commercia et navigationes* 34 sq.
— — — *artes quomodo natae et cultae?* 345
Aeliani *variae historiae, Francogallice versae a Formeio* 157

Digitized by Google

Aemilianae *Epiſtolae* 170
de Aequationibus *varia* 248. 251
Aërologiae *expoſitio uberior, et quid cum Aerometria doceat?* 179 ſq.
Aethiopum *commercium cum Troglodytis* 36
de Aggeribus *conſtruendis cogitationes* 265
Aglaidis *pictura vetus* 66
ex Agrimenſorum *arte inſtrumentum* 88
de Agrorum *feriis Moſaicis* 239
ex Albana *villa inſcriptiones* 356 ſq.
de Alberti *Rom. Regis caede, diſquiſitio* 12
ad Alberti Stadenſis *Chronicon, edit. Reineccianae, lectiones variantes, emendationes et ſupplementa* 119
Algebraicus *calculus* 442
Algorithmi *ſingularis ſpecimen* 245
Allia *ab Aegyptiis culta* 33
de Proſp. Alpino *epiſtolae duae* 164
de Alſatiae *ducibus quaedam* 376
de Ammonii *Alexandr. Hiſtoria Evangelica* 24
Amores *in pictura vetere* 292
Amphionis *nomen Agyptium* 33
Amun, *Iupiter Aegyptiorum* 34
Analecta *medii aevi de rebus Germanicis* 116
de Anemone *fluvio quaedam* 171
Angliae *Regum Privilegia, mercatoribus Hanſeaticis conceſſa* 117
de Anno *Sabbathico* 239
Antiquitas *Graeca illuſtrata* 41 ſq. 281 ſq.
— — — *Aegyptiaca illuſtrata* 30 ſq. 283
— — — *Inſubrica* 105
— — — *Artium illuſtrata* 339 ſq.
Apollinis *pictura vetus* 44. 286
Apollo *cum Caſſandra, in pictura* 62
— — *cum Marſya certans in pictura* 63
de Appellationibus *ab abuſu* 11
de Apyris *quaedam* 216
de Aqua *obſervationes* 185
de Aqueis *meteoris* 183
Ara *in pictura vetere* 82
Arabica *Ptolemaeorum commercia* 37
de Arboribus *expoſitio uberior* 219
de Archiducum *Auſtriae ſummis muneribus in Imperio Rom.*

Roman. Germ. et iuribus 196
Ariadne *a Theſeo deſerta, in pictura vetere* 57
— — *e lecto ſurgens depicta* 58
— — *dormiens, in pictura* 60
Arithmeticae *obſervationes* 242 ſq.
Artium *Antiquitatis hiſtoria accurata* 339
— — *in Saxonia hoc tempore incrementa* 340
de Aſiae *populis antiquiſſimis varia* 203 ſq.
Askew (*Anton.*) *elogium* 96
de Asphaltite *quaedam* 229 ſq.
de Aspidis *morſu obſervationes variae* 165 ſq.
Aſtronomicae *obſervationes* 108. 121. 186. 269
Athlethae *in pictura vetere* 320
Avarum *Annales a Prayo conditi* 201
— — *res geſtae ab A. C. 310.* 208
Auguſti *Caeſaris numus rariſſimus* 42
Aurone *aerugo inducatur a vaporibus Asphaltitis?* 233
Auſtriacae *domus origo ex Alſatia deducitur* 376
ad Auſtriacum *Ius Publicum et hiſtoriam eiusdem gentis ſpectantes obſervationes* 196 ſq.

B.

Bacchae *ſaltantes in pictura vetere* 308
Bacchantium *chori in picturis* 64
Bacchi *ſacrificium in pictura* 63
— — *educatio in pictura vetere expreſſa* 55
Bacchus *Ariadnen dormientem contemplans* 60
de Bacchi *pompa obſervatio* 65
Bacchi *pictura vetus* 286. 312
Baconis *de Verulamio numus elegans* 429
Badenſis *hiſtoria omnis a Schoepflino accuratiſſime ſcripta* 375
Badenſium *Marchionum origo inveſtigata* 377 ſq.
Badrini *nomine quis fluvius intelligendus?* 178
Baſileenſium *Epiſcopor. cum Comitibus Habspurg. controverſia* 14
de Balth. Beckeri *numis et libro* 432
Bedeſis *et Vilis utrum eadem flumina?* 170
de Bertoldo *Duce* 377 ſq.
Biologiae *expoſitio uberior* 212
Flavius Blondus *defenſus* 170
— — *de eodem obſervationes aliae* 175 ſq.
de Herm. Boerhaave *quaedam* 266 ſqq.
de Borith, *ſeu Nitro Hebraeorum* 236

Digitized by Google

Bos *Aegyptius in pictura vetere* 334
Brunſvico - *Luneburgica hiſtoria illuſtrata* 118
Bullae *Pontificiae quomodo recipiendae?* 11

C.

Cabirorum *ſacra in picturis* 64
de Caeſenae *nomine et vinis Caeſenatibus* 178
de Calamo *quaedam* 86
de Calculi *idea univerſaliori diſquiſitio Lamberti* 441
Calydonia *venatio in pictura vetere* 299
Camilli *in pictura vetere* 70
Ioach. Camerarii *editio Theognidis deſcripta* 408
Caper *in vetere pictura* 72
Caricature *in picturis Herculanenſibus* 232
Io. Caſanovae *laus* 344
Caſſandra *in pictura vetere* 62
Catacliſta *veſtis quid?* 84. 85
Catenae *Curetarum* 83
Catulli *locus illuſtratus* 290
de Cauſſis *maioribus* 5
A. Corn. Celſus *an medicus fuerit?* 162 ſq.
— — — — *editus et illuſtratus a Krauſio* 371
de Cenſibus *Hebraeorum commentatio* 224
de Cenſorini *loco quodam* 49
de Cepis *ab Aegyptiis cultis* 33
de Cerretanis *quaedam* 285
de Chaganis *Avarum* 209
Chriſtinae *Reginae numi* 431
cum Cimbris *proelium Marii* 107
Cimelia *in Phyſica quaenam ſint?* 217
Circites *quid?* 81
de Circularium *arcuum progreſſionibus* 244
Claudiani *locus illuſtratus* 302
de Cleopatrae *mortis genere* 164
de Clerici *in Heſiodum curis* 92 ſq.
— — — *eiusdem reprehenſio* 235
Clio *Muſa quomodo a Melpomene diſcernenda?* 45
Codex *Reſcriptus verſionis Gothicae* 21
Codices *MSti Heſiodi Pariſiis* 97
— — *Variae Hiſtoriae Aeliani* 158
Concavum ſalutare *in Perſio* 338
de Conciliorum *iuribus, pugnantibus cum poteſtate Pontif. Rom.* 6
Conclavia *in pictura vetere* 292
Concordia *Dea in pictura* 67
Coniſalus *quis Deus?* 308
de Copula Eſt 449
Corbitores *in navigiis* 79

Corda-

Cordarum *inaequaliter craſſarum motus* 258
Crocota *veterum* 290
Crotala *qualia fuerint inſtrumenta?* 83
de Cupidine *et* Cupidinibus *quaedam* 60. 312
Currus *birotus in vetere pictura* 316
de Cynicis *quaedam* 306
Cyprus *inſula Aegyptiis utilis* 38

D.

de Daemonibus *obſervationes C. A. Cruſii* 477
de Dalenio *oracula refutante* 476
David *Rex quid in cenſu ſuo peccaverit?* 225
Delus *utrum e mari nata?* 156
Dendrologiae *expoſitio uberior* 212 ſq.
Deus *an permittere potuerit oracula?* 477
de Diana *quaedam* 42
— — *in pictura vetere* 62. 298
Differentialium *quarundam quantitatum integratio* 361
Dioeciae *arbores quaenam?* 210
Dionyſii *Periegetae paraphraſis in Heſiodum nondum edita, eiusque ſpecimen* 98
Diverſoria *animalium inſignibus diſtincta* 40
Divinandi *facultas naturalis an competat animae humanae?* 475
Dodonaeum *vas in pictura vetere* 330
Dresda *artium per Germaniam ſedes* 340
Durateus *equus in pictura vetere* 314

E.

de Ebneriano *Codice Satyrarum Perſii quaedam* 337
de Eccleſiae *ſtatu liber ſingularis* 1 ſq.
— — *forma, an monarchica?* 2
— — *libertate recuperanda* 11
Eclipſis *Solis Lipſiae 1760. d. 13. Iun. obſervata* 271
— — *Lipſiae 1764. d. 1. Aprilis obſervata* 108
— — *A. 1758. d.* $\frac{19}{30}$ *Dec. Petropoli obſervata* 270
— — *Lunae, d 18. Maii ſtil. v. A. 1760. Petropoli obſervata* 270
— — *lunaris d.* $\frac{7}{18}$ *Maii 1761. Petropoli obſervata* 272
Eclipticae *lunae uſus* 192
Editionum *Theognidis recenſio* 404
Elephas *in pictura vetere* 76
de Electricitatis *theoria et uſu Diſſertatio* 436
Endymionis *fabula in pictura vetere* 287

de Ephip-

Digitized by Google

de Ephippiis *veterum* 56
de Episcoporum *institutione et iuribus* 9
Epistolae G. *Ferrarii* 103
Ἐποπτεῖα *in pictura* 66
Equus *Troianus in pictura vetere* 314
Erato *Musa*, *pictura expressa* 47
Europa *hirco equitans* 334
de Eurystheo *quaedam* 318
Excommunicandi *ius an semper effectus iurisdictionis fuerit?* 4

F.

Faunus *in pictura vetere* 61. 309
de Fili *fluxilis*, *corpusculis quotcunque onusti, motu vibratorio* 256
de Formularum *quadraticarum indeterminatarum per numeros integros resolutione* 241
de Foro *Livii quaedam* 174
Friderici I. *Imp. privilegia in domum Austriacam collata* 195
Frondes *manibus portatae apud veteres quid designent?* 69
de Frontini *consulatu ordinario* 167
Funambuli *in picturis antiquis* 309 sq.
Functionum *ex data differentiali conditione investigatio* 254

G.

Galeni *fragmenta quaedam MSta.* 27
Gallieni *imago riditula* 333
de *Corn.* Gallo *porta* 175
Garnerii *quaedam iterum edenda* 395
Gelon *inscriptio illustrata* 388
Gemini *in Zodiaco quid referant?* 92
de Gemmis *observationes nonnullae* 218. 334
Geographicae *observationes* 170 sq. 273 sq.
Geologiae *uberior expositio* 212
ad Germanicas *res medii aevii analecta* 116
de Germanorum *picturibus quibusdam* 348
Glaciales *Helvetiae montes* 276
Glacies *quomodo generetur? cet.* 280
Globi *terraquei historiae specimen* 153
— — *formati hypotheses potiores* 156
ex Godeschalci *visionibus excerpta* 119.
Gorgones *in pictura vetere* 53
Gothica *versio Epistolae ad Romanos* 20
Graecae *voces et phrases illustratae* 25 sq. 34. 48 64. 69. 92. 160

de Graecis *Codicibus Guelpherbytanis* 23
Graecorum *artes, earumque historia amplissima* 346 sq.
de Graevii *in Hesiodum curis* 92
Gratiae *in vetere pictura* 295
Grylli *in pictura vetere* 332
Guelpherbytanae *Bibliothecae Codex illustris* 20
Guerrae (*Iosephi*) *fraus in imitandis Picturis Herculanensibus detecta* 42

H.

Habspurgicorum *comitum controversiae cum Episcopis Basileensibus* 14 sq.
Hagedornii, *Artium per Saxoniam Directoris, elogium* 341
de Hachbergicis *Marchionibus plurima* 377
Hebdomadae *veterum* 323
Hebe *in pictura vetere* 72
de Hebraeorum *censibus* 224
— — — — *nitro* 236
Heinsii (*Daniel.*) *in Hesiodum curae* 95
Helle *in vetere pictura* 288
Helmoldi *Chronicon Slavicum, edendum a Koehlero* 90
Helvetiae *montes glaciales* 276
Io. Henis *quis?* 430
de Henrico III. *Episc. Basileensi* 15
Herculanenses *picturae antiquae illustratae* 41 sq. 281 sq. 357
Hercules *in pictura vetere* 318
de Herculis *in Insubriam adventu* 106
— — — *statuae trunco celeberrimo* 359
Hermaphroditus *in pictura vetere* 68
Hermes *in pictura vetere* 311
de Hesiodi *nova editione adornanda consilium Io. Bern. Koehleri, eiusque editionis subsidia* 89
— — — *aetate et orationis genere* 91
— — — *editionibus* 92 sq.
de Hetruscorum *artibus, earumque historia* 351
de Historia *Domus Austriacae quaedam* 194 sq.
de Historicorum *methodo quaedam* 158 sq.
de Homagio *hereditatis iure praestando Archid. Austriae ab Ordinib. Provinciar.* 198
Hookiana *telluris hypothesis defensa* 153
Hora *in pictura vetere* 290
Horatii *locus illustratus* 166
de Horologio *vetere rarissimo* 281
Hunnorum et Hungarorum *Annales* 201
Hydrologiae *uberior expositio* 179. 184

Hylas *in pictura vetere* 305
Hypomnemata *ad Theol. Prophetican* 473

I.

de Ideis *fictitiis nonnulla* 472
de Identitate *obſervationes quaedam* 452
Inſcriptiones *Narbonenſes* 39 ſq.
— — — *Guidon. Ferrarii, et de Inſcriptionibus quaedam generatim* 103
— — — *Romanae primam editae* 351 ſq.
— — — *Siculae* 388
de Inſubricis *Antiquitatibus Epiſtolae* 105
de Inſulis *novis e mari natis* 153
Integratio *quarundam quantitatum differentialium, quae originem habent a lineis, et ad circulum referuntur* 361
de Iohanne *Habspurgico quaedam* 14
de Iordanis *aqua quaedam* 234
Ioſephus *Gorionides in numo* 433
Iovis *Satellites obſervati* 272
Iſiaca *ſacra in pictura vetere* 84
de Italorum *vultibus* 347
Iupiter *in olorem converſus, in pictura vetere* 294
Iuno *in pictura vetere* 54. 332
de Iunone *Lucina quaedam* 67
ex Iure *Publico Auſtriaco Diſſertationes* 193

K.

Kallii (*Abrah.*) *de Theogniđe edendo conſilium* 401
Koehleri (*Ioh. Bernh.*) *in Heſiodum curae* 89
Krauſii (*Car. Chriſt.*) *in Celſum merita* 372

L.

Lacunar *et tholus in vetere pictura* 328. 331 ſq.
Lamberti *de calculo univerſali obſervata* 441
de Laribus *obſervata quaedam* 297
de Lectis *veterum obſervationes* 57
Leda *in pictura vetere* 88. 294
Leibnitii *quaedam obſervata* 441
Leonis *ſidus quid referat?* 32
Libraria *tabella in pictura vetere* 85
Libri *veterum in pictura* 87
de Literis *minuſculis apud veteres* 86
Longitudinis *locorum terra marique inveniendi nova methodus* 186
de Lothi *uxore* 235
Lunae *cum Sole compoſitio* 121
per Lunam *quomodo longitudines*

nes locorum terra marique inveniri possint? 186
Lunae *Eclipses observatae* 271 sq.
— — *et Endymionis fabula in pictura vetere* 287

M.

de Ant. Magliabecchio *quaedam* 433
de Magnetico *quodam experimento* 264
Magni, *Ducis Saxoniae*, *charta* 119
Marchionum *Badensium et Hachbergicorum historia* 376 seqq.
in Mari *Rubro Ptolemaeorum commercia* 35
Maris *Mortui natura et origo* 229
Mariae *Virgini dicati sacelli inscriptio* 105
Marsyae *et Apollinis certamen depictum* 63
— — *pictura vetus* 303
Mazzuchelli *Comitis elogium* 436
— — — *museum numismaticum* 427
Medicarum *institutionum nova idea* 161
Medii aevi *res Germanicae illustratae* 116
Mediolanensis *Nosocomii inscriptio* 104
in Mediterraneo *mari Ptolemaeorum commercia* 38
Mercurius *χθόνιος*, *in pictura vetere* 296
de Mercurio *observationes* 266
— — — *in Sole observato Pekini* 275
Meridianae *distantiae apparentes Solis a vertice* 144
de Messana *urbe quaedam* 392
de Metallis *plurimae observationes* 217
de Meteorologia *aetherea* 182
Meteorologicae *observationes* 268 sq.
Microscopii *solaris emendatio* 263
Minerva *in pictura vetere* 54
de Mich. Molino *observatio* 432
de Monochordo *observata quaedam* 48
de Montibus *Glacialibus Helvetiae* 276
de Montium *origine* 153 sq.
Io. Bapt. Morgagni *elogium* 161. 178
de Mosaica *lege paradoxa* 239
de Muhamedis *charactere* 477 seq.
Musarum *imagines antiquae* 44
— — *symbola* 45
— — *virginitas perpetua* 46
Mysteriorum *Bacchicorum summus gradus*, *ἐποπτεία*, *in pictura* 66

Nar-

Digitized by Google

N.

Narbonenſes *inſcriptiones* 39 ſq.
Naturalis *philoſophiae expoſitio* 179 ſq. 212 ſq.
de Navigationibus *et commerciis Ptolemaeorum* 34
Naves *in pictura vetere* 331
Nelleri (*Georg. Chriſtoph.*) *liber de ſtatu Eccleſiae et poteſtate Pontif. R.* 1
de Nemeſi *quaedam* 59
— — — *in pictura vetere* 294
Nereides *in pictura vetere* 301
de Nimbo, *Deorum capita ambeunte, et* Nimbis *in ſtatuis* 51 ſq.
de Nitro *Plinii* 236
de Novariae *urbis nomine et conditore* 106
de Numeris *primis valde magnis* 250
de Numis *ſatyricis et contumeliofis* 334
Numismata *Sicula illuſtrata* 388 ſq.
— — — *Virorum doctrina praeſtantium* 427
Numus *Auguſti, unicus ſui generis* 42

O.

Oceanitidae *nymphae in pictura vetere* 301
in Oceano *Ptolemaeorum commercia* 35
de Oraculis *quaedam* 476
de Ordinariatu *univerſali Pontificis* 10
Orphei *nomen Aegyptium* 33
Oſtienſis *portus in pictura* 80
Otto II. *Grafeius, Epiſc. Baſileenſ. caedis Alberti I. Rom. Regis, particeps* 12 ſq.
Ovidii *locus illuſtratus* 327

P.

de Pado *obſervationes* 171
Pallas *Dea*, *et* Pallas *gigas in vetere pictura* 73 ſq.
de Blaſ. Paſcal *quaedam* 430
de Parallaxi *Solis menſtrua* 121
Peleus *in pictura vetere* 301
Penelope *in vetere pictura* 291
Pentapolis *ubi ſita fuerit?* 233
Periſtelides *veterum* 57
Perſae *et* Phoenices *quantum artes coluerint?* 348
Perſii *Satyrae editae a Sebaldo, et tabulis aeneis inciſae a Schmidio* 335
— — *laudes, et defenſio* 336
de Petaſonis *et* Pernae *diſcrimine* 284
de Petrefactorum *corporum origine* 153 ſq.
Petropolitanae *Academiae Commentarii* 241
Petrus, *primus Apoſtolorum* 3
de Petro II, *Baſileenſium Epiſcopo* 16

de Pharo *Ravennae* 173
Phryxus *in pictura vetere* 288
Physicae *dogmaticae uberior expositio* 179. 212
Phytologiae *copiosior expositio* 212
Picturae *antiquae Herculanenses illustratae* 41 sq. 281 sq.
Picturae *riduculae veterum* 333
Pisces *in Zodiaco* 33
Piscium *rariorum descriptiones* 269
de Plinii *nitro* 236
Plinius *cur Celsum non appellet medicum?* 163
Poetria *citharistria in pictura vetere* 305
Polygamia *frequentillima apud Iudaeos* 226
Polyhymnia *Musa, in pictura vetere* 49
de Pompis *Deorum observatio* 65
de Pontificis *Romani legitima et falsa potestate liber singularis* 1 sq.
Porticus, *earumque varia genera apud veteres* 78
Portus *in pictura vetere* 79
Priapus *in pictura vetere* 311 sq.
de Primatu *in Ecclesia* 3
de Progressionibus *arcuum circularium, quorum tangentes secundum certam legem procedunt* 244
Propheticae *Theologiae hypomnemata* 473
de Propositionibus *universaliter negantibus quaedam* 456
Psyche *in pictura vetere* 322
de Ptolemaeorum *commerciis et navigationibus* 34
Pygmaei *in pictura vetere* 332
de Pythagora *observatio* 50

Q.

de Quadraticis *formulis* 241
de Qualitate *et* Quantitate *quaedam* 446
Quantitatum *quarundam differentialium quae originem a lineis habent, integratio* 361

R.

de Io. Racinio *quaedam* 432
de Ravenna *urbe observatio* 168
de T. I. Reinhardo *quaedam* 431
de Resolutione *aequationum cuiusque gradus* 248. 251
— — — *ideae in notas suas simplices* 460
Rhegina *inscriptio, commentario illustrata* 388
de Richelio *Cardinale quaedam* 429
de Robinsoni *in Hesiodum curis* 93
Romani *quantum artes coluerint?* 358

de Ros-

Digitized by Google

de Rossaeo (Rousseau) *utroque* 434
de Rudolfo *Habspurgico* 15
de Rudolfo IV. *Duce Austriae quaedam* 197
Rudolfi *varii, Marthiones Hachbergici* 385
Rhunkenii (*David.*) *in Hesiodum merita* 93
Rusticae *rei scriptores illustrati* 169

S.

de Sabbathico *anno* 239
Sacerdotes *in pictura Herculanensi* 323
Sagittarius *in Zodiaco quid referat?* 33
de Salium *variis generibus* 216
Salutare concavum, *an ferri possit?* 338
de Sapi *fluvio observata* 172
de Sapinia *tribu* 177
Saturnus *in pictura vetere* 322
de Satyris *Hebraeorum* 223
Satyrus *in pictura vetere* 312
Saxonia, *artibus colendis illustrata* 340
de Paullo Scarrono *quaedam* 429 sq.
de Io. Casp. Schadio *quaedam* 433
Schoepflini *laudes* 376
Schulzius *Operum Theodoreti novus editor* 394
Scorpius *in Zodiaco quid refert?* 32
de Script. S. *vaticiniis* 478
Scripturae S. *loca explicata et illustrata:*
Genes. XXXV, 4. 223
Exod. XXXVII, 25. 237
Levit. II, 13. 237
XVII, 7. 223
Num. III, 43. 225
2 Reg. XVII, 6. 228
2 Paralip. XI, 15. 224
Isa. I, 25. 237
XXXIV, 9. 10. 232
XLII, 6. 237
Jerem. XLVI, 25. 34
Ezech. XXI, 21. 476
XXX, 15. 34
Zephan. II, 9. 230
Malach. III, 2. 236
Sap. X, 7. 232
Matth. I, 11-21. 23
III, 16. 24
XVI, 18. 2
Marc. I, 2. 10. 23
Luc. VI, 10. 18. 25
XII, 15. 26
XXII, 32. 6
Joh. XIV, 22. 27
XVI, 13. 24
XXI. 2
Rom. XI, 33. 21
XII, 2. 3. 17 sq. 22
XV, 12. 22
1 Cor. XV, 16. 159

1 *Theſſ. V, 27.* 28
2 *Theſſ. III, 14.* 28
Iudae v. 7. 232
Sculptura *prior pictura* 353
Scylla *in pictura vetere* 304
poſt Septem *a conceptione menſes an naſci poſſit infans vitalis et perfectus?* 162
Septizonium *in pictura vetere* 78
Serpentes, *cauſſa mortis Cleopatrae* 166
SICIL. *vox in numo explicata* 43
Siciliae *veteris rudera, a D' Orvillio illuſtrata, edita a Burmanno* 388
de Signis *Zodiaci* 31
Sileni *Graecorum an iidem cum Theraphis?* 222
Silveſtre *Numen in pictura vetere* 51
ex Sinenſium *hiſtoria quaedam* 204
de Sirmondi *in Theodoretum meritis* 395
de Sodomae *ruinis* 235
de Sodomitico *Sale* 231
Solis *Eclipſis Lipſiae 1764. d. 1. April. obſervata* 108
— *menſtrua parallaxis, Senis obſervata* 121
— *meridianae diſtantiae apparentes a vertice* 144
— *eclipſis obſervata 1758. Petropoli* 270
Solis *Eclipſis Lipſiae 1769.* 271
de Sortibus *quaedam obſervata* 478
de Stellis *binis in eodem grada Longitudinis* 187
Stilus *in pictura vetere* 317
Strabo *cum Vitruvio conciliatus* 169
— — *eius locus explicatus* 235
Sulphurea *pluvia utrum Sodomam deleverit?* 234
Suſati *urbis res antiquae illuſtratae* 118
de Syllogismorum *doctrina variae obſervationes Lamberti* 461. 468. 469
de Syrorum *vocalibus obſervata ex Ephraemo* 238

T.

Tacita *Numae quid ſit?* 50
Taeniae *victoribus tributae* 68
ex Tartarorum *hiſtoria quaedam* 203
Tauromenitana *inſcriptio* 388
Taurus *in Zodiaco quid referat?* 32
Telamones *in pictura vetere* 71
de Terpſichore *Muſa, eiusque pictura vetere* 47
Terraemotus *montes producens* 114

de Ter-

Digitized by Google

de Terra *obſervationes plurimae* 213
de N. Teſtamenti *textu graeco indagando* 28
Theodoreti *Opera iterum edenda a Schulzio* 394
Theognidis *nova editio a Kallio exſpectanda* 401
de Theraphis *obſervationes nonnullae* 222
Thalia *Muſa, quo ſymbolo agnoſcenda?* 47
Thebani *belli heroes in gemma* 344
Thermopolium *in pictura vetere* 316
Thermometri *metallici deſcriptio* 261
Thermometrorum *punctis conſtantibus gaudentium emendatio* 262
Tholus *in pictura vetere* 328 ſq.
Topographicae *picturae* 326
de Tribuum *Iſraeliticorum exſilio* 226
Troglodytarum *commercium cum Aethiopibus* 36
de Tropaeis *veterum* 313
de Tzetzae *ſcholiis in Heſiodum* 100

V.

Vas *quoddam in pictura vetere* 86. 330
de Vaticiniis, *eorumque diiudicatione in genere* 474
de Vegetabili *regno* 219
Vaſa *antiqua varia* 331
de Veneno *aſpidum* 165
Venus *Paphia, in vetere pictura* 324 ſq.
Venus *in primis marina, et armata, in pictura vetere* 54. 74. 298
de Vicecomitum *origine, principatu, propagine* 107
Victoria *in pictura vetere* 72 ſq. 313
de Vinariis *vaſis veterum* 56
de Virgiliano *ſepulchro* 390
de Virginitate *Muſarum* 46
Virgo *in Zodiaco quid referat?* 32
Vitis *utrum idem fluvius cum Bedeſi?* 170
Vitruvii *locus quidam illuſtratus* 168
Ulphilae *verſio Gothica nonnullorum Capitum Epiſt. ad Romanos in lucem edita* 20
Ulyſſes *in pictura vetere* 291
Volumen *in pictura vetere quid indicet?* 68
Vulcanus *in pictura vetere* 307
de Vulneribus *ex morſu aſpidum* 164

Tableau d'Aristote et de ses disciples . . . . . Pag. 1
Tableau d'Aristote selon le Cte. Pag. 181
de Buat-Nançay 183
de Charles Lenormant 185

Pag. 187 et 188 Tableau des Sciences philosophiques, ou Arbre encyclopédique, d'après Bacon, d'Alembert, Diderot, Condillac, Buffon, Bonnet, Lamarck, Bentham, Ampère, etc. (Voir le Tableau ci-dessous.)

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google